

REINERI NEUHUSI JC.

FLORILEGIUM PHILOLOGICUM.

Sive

Veterum & Recentiorum

ELOQUENTIÆ PROMUS-CONDUS.


In usum

Illustrium Scholarum

WEST-FRISIÆ

Cum Indice

Locorum Communium.





AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↄ Iↄc L.

Illustribus ac Præpotentibus

WEST-FRISIÆ

ORDINIBUS.

D. THOMAE ab EGMOND à NIEUBURG. *Deputato Alcmariano.*

D. MARTINO JOANNIS, GROOT. *Deputato Hornano.*

D. SIMONI JOHANNIS. *Deputato Enchusano.*

D. PETRO PETRI, OUTCLAES. *Deputato Edamensi.*

D. HENRICO SAMUELI, LEISEN. *Deputato Monachodamensi.*

D. PETRO NANNINGIO. *Deputato Medemblicensi.*

D. THEODORO PETRI ROODTHOOFT. *Deputato Purmerendano.*

Ejusdemque Collegii

Nobilissimo & Amplissimo GRAPHIARIO,

D. THEODORO FORESTO. JC.

Libertatis & Literarum

Assertoribus perpetuis.

S. P. D.

REINERUS NEUHUSIUS.

Nobilissimi DOMINI,

SUspensis jam pridem, in sacrâ Concordiæ Æde, Bellorum Insignibus, Trabeâ ac Paludamento, rursum de Togâ & Literis spem masculam concepimus. Quæ tunc præsertim in flore & honore suo existere solent, quando benignæ Pacis recreata auspicio, ipsa tecta atque agri lætari videntur. Sed, cum primo Belli rumore

præ-

præcipiti lapſu in fatalem periodum impingere. Igitur, qui hactenus cum Sapientibus, Pacis causâ, bellum geſſimus, & laborem ſpe otii ſuſtentavimus, nunquam facilè eripi nobis de manibus patiemur, unicum noſtræ Felicitatis Palladium, BONAS ARTES. Quæ memoriam noſtri non modò longam efficiunt, ſed eò magnitudinis procedunt, ut pro mortalibus gloriâ æterni ſimus. Sine quibus, inquam, omnia

jacerent in tenebris, & rudis indigeſtaque moles iterum cum Batavo hoc Sereno, prô pudor! confunderetur. Soli enim Sapientes, qui ſacrum hunc Genium & gratiam Literis debent, cum Diis ex pari vivunt. Et nunquam ullius felicitas & fama in arduo ſtetit, niſi cum illis Doctrinarum quoque lumen accederet. De quo non dubitavit unquam tot ſæculorum proba & prudens Antiquitas: tantâ Doctorum multitudine & mi-

miraculo felix. Quanquam non ignorem, aliquos de Latinâ aut Flaminiâ nobis occurrere, qui præpostera in comitiis dicant suffragia. Illorum jejunum odium ac judicium omnis ævi Principes & Philosophi testimoniis convincunt. Inter quos meritò existit primus, Alphonsus: Qui cum Hispaniæ Regem liberè laudare Principis ignorantiam audiret, Bovis, inquit, illa non Hominis vox est. Quo animo & affe-

ctu in Literas & Literatos fuerunt Themiſtocles, Pompejus, Alexander, multaque Regum & Principum manus: Qui ultrò faſces ſuos Imperatorios Eloquentiæ Majeſtati ſubmiſerunt. E Philoſophis divinum admiremur Senecam: Qui unum diem Hominum Eruditorum plus patere dixit, quàm imperiti longiſſimam ætatem. Et Ingenii egregia facinora, teſte Hiſtorico, ſicuti anima, immortalia eſſe.

Quam ob caufam, ILLUSTRES DOMINI, Penelopem hanc noftram, facram, dico, Minervam, inter publicam Purpuram, & operofas Patriæ curas, de Foro & Fato fuo paucis nunc differere, non invitus permifi. Sub aperto WEST-FRISIÆ Cœlo hîc fumus: Ubi Amaryllida fuam liberè quifquis amplecti ac deofculari poteft. Multum extra Licinii & Caracallæ livorem ac metum pofiti. Sub quorum ty-


rannide amœnissimis Musis mutire aut hiscere, capital erat. Eò res & oratio nostra spectat, ILLUSTRES DOMINI, ut Liberalium Ingeniorum curam & tutelam porrò religiosissimè suscipere dignemini. Et non obscurum quoque VOBIS & POSTERIS fiat, quàm indefesso nos opere & sudore hoc unum semper intendamus, ut JUVENTUS VESTRA, juxta Pietatem in DEUM, politiore quoque

que

que Literaturà ac diſciplinis tam feliciter, quàm fideliter à nobis informetur.

Cæterùm, Fàxit OPT. MAX. in Cœlo PATER, VOS, ILLUSTRES DOMINI, nunquam deſinente in Belgio jucundiſſimæ Pacis hoc Zephyro, ſemper Felices, Florentes, Victoreſque Gentium ſubſiſtatis. Et inclyta Reſp. FRISIORUM Geminâ illâ Anchorâ, PIETATIS & SAPIENTIÆ, firmiſſimè

ſimè innixa, ad ſeræ Poſteritatis memoriam, cum immortali gaudio, propagetur. *Dixi.*



Ad

Florentissimam & magnæ Spei

Illustrium

WEST-FRISIÆ SCHOLARUM

JUVENTUTEM.

De

Materiâ Operis.

Ornatissimi ADOLESCENTES,

Decimus octavus est Annus, quod primùm in Rep. Literariâ formandæ Iuventutis Provinciam susceperim. ANNO CIↃ.IↃC.XXXII. *honestis conditionibus ex Galliâ evocatus, ut, apud Neptunicolas Harlinganos, ipsorum Gymnasii curam & Recturam fideliter obirem. Sex Annorum hac Sparta*

ta fuit. ANNO CI ͻ. IↃCXXXVIII. Nobilissimi & Amplissimi Senatus Alcmariani *consilio & auspiciis, in Illustrem hanc urbem, quod benè vortat porrò* DEUS, *cum publicâ gratulatione sum exceptus. Interea temporis, rerum magistra* Exercitatio *&* Usus, *immane quantum! è tenebris in lucem nobis protraxit: Quæ in immaturæ ætatis calorem & cogitationem sæpè aut non cadunt; aut ab illâ facilè contemni solent. Duo sunt, quæ præcipuè illos Animorum Nutritios undique obsessos & solicitos habent:* INGENIORUM INDOLES *&* DOCENDI FACULTAS. *Vtrumque Terminum feliciter contingere, Virtutis & Fati est. Nam Ingeniorum tam distorta & monstrosa sæpè facies, ut Sexta ærumna*

na Herculis nequicquam ad illam sit comparanda. Via, quâ ad Doctrinam itur, varia quoque & scopulosa.

Ille, rara Avis in terris, & Aquila in nubibus, qui pro omnium arbitrio promiscuè hæc possit. Nunquam enim rerum Natura se totam in aliquo absolvit. Nedum in hoc arcano. Felix, qui minimis urgetur. Vnicuique suum est Depositum, suusque Genius. Qui non tacito in sinu, securè, & sine usurâ habendus. Igitur, datâ operâ, & vestro bono, Adolescentes, hunc in legendis Eloquentiæ Floribus laborem in me suscepi: Vt majore Vobis tabulâ, tanquam in speculo, repræsentarem, Quomodò & Ingeniorum accuratè habitâ curâ, maturè ad possessionem divinæ Sapientiæ perveni-

veniretis. De quâ re felix ſum augur, ſi ita Vos agendo, vigilando ſtrenui, ut Ego, ad normam & amuſſim hæc tam varia ac ſingula, ex optimis Authoribus, digerendo ſedulus. Agite, & ſequimini me Ducem. Per totam hanc aream & arenam recto Vos fune & filo quaſi manuducam. Invenietis in myrothecis & myrtetis iſtis, quod vitam, quod mores veſtros emendet; quod ad Pietatem, ad Virtutem ſtimulos addat; quod à pravo & lubrico in rectum Vos revocet. Sive ſacris, ſive profanis Exemplis inſtrui cupiatis, abundè rerum hîc ſuppetit copia. Quaſi orbem habeatis, ac breve ſchema illarum Artium & Diſciplinarum, quæ niſi libero & ingenuo Homine ſunt dignæ. Exordium à ſacrâ THEOLOGIA *eſto.*

Hanc Titulus de Deo, *de* Providentiâ, *de* Pietate, *de* Religione *in conspectum & compendium dabit. In proximo* JURIS PRUDENTIAM *colloco. Hæc sub Titulo* Legum, Justitiæ, Juris, Magistratuum, Pœnarum, Accusationum, Judiciorum, Carcerum, Damnationum *adumbratur. Subsequitur* MEDICINA: *Cujus sacra passim pertractantur in Loco communi, de* Morte, Morbis, Ægritudine, Dolore, Miseriis, &c. *Inprimis* PHILOSOPHIAM, Animorum *illam fabricam, ignorare Vos nolim. Hic verè Oceanus est inextricabilis. Naturam ejus tunc inprimis cognoscetis, quando illum ad suas partes & rivulos reduxeritis. A Naturalium Rerum Principiis*, PHYSICA, *si initium*

tium faciatis, *hîc* Solem, Lunam, *&* Sidera *in suo orbe contemplabimini. Inde* Maris *fluxus & refluxus*; Montium, Fluminumque *altitudinem. Tum disparem ac variam* Animalium *indolem*; Florum, Arborum, Herbarumque *ad vivum descriptam imaginem. Si à Foro &* POLITICIS *aliquem animis vestris colorem inducere desideretis*, *Agite*, Regum *&* Principum *Theatra ingrediamini*; Pacis *&* Belli *tempora vobiscum examinate. Hîc discetis*, *quomodo civium* Tumultus *ac* Seditiones *maturè comprimantur. Quàm prudenter docto* Dolo *&* Stratagemate *in hostem sit utendum. Quâ instrui authoritate* Legatus *publicus debeat ad Exteros*; *Quo jure se gerere in Senatu* Consiliarius

rius *Principis. Quando cum Augusto de* Annona *sit deliberandum, & quî cùm Tiberio frumento sit pretium & modus præscribendus. Hinc in privatam Domum* OECONOMIA *nos ducet. Vbi quàm varia illius scenæ sit tempestas, inter* Virum *&* Uxorem *contracta docent* Matrimonia. *Cum aut dies* Nuptiarum *sit sacer; aut* Funeribus *ater, & infelix. Sive Liberi in spem Patriæ* educandi; *sive novæ* Affinitates *& Cognatorum fœdera ineunda. Iam super* Thesauris *&* Divitiis *congerendis suscepto certamine; modò de* paupere *domi censu, de* Incendiis, *de* Ruinis, *de* Naufragiis *subitò exortâ quæstione. Vltimò de* ETHICA, *morum Magistrâ, dicere aggredior. Hæc una, post utramque sacræ Scri-*

pturæ

ptura paginam, Hominem verè format & fabricat. Hinc Virtutum, *inde* VITIORUM *propositâ Palæstrâ. Vt vitam tuam emendes atque corrigas, Adolescens, Tituli* Prudentiæ, Concordiæ, *Beneficiorum*, Clementiæ, Conversationis & Amicitiæ *te docebunt. Quam multum Humano generi olim constiterit* Ira, Invidia, Intemperantia, Convivium, Superbia, *pulcherrimè ad oculum videre hîc licet. Quas Reip. procellas Principum* Crudelitas, Magistratuum Ambitio & Avaritia *dederit. Quàm improvidam & inconsultam Iuventutem sæpe in exitium protraxerit* Libido, Calumnia, Alea & Adulterium. *Adde de Artium reginâ*, Eloquentiâ & Poësi *luculentissimas dissertationes. De*

utraque

utraque Fortunâ, *de* Fatis, *de* Inferis, *de* Miraculis, *de* Auspiciis *&* Ominibus: *Quæ singula suis Locis non minus jucundè, quàm utiliter à nobis pertractata.*

Age, Ornatissima WEST-FRISIÆ JUVENTUS, *& per singula tui Ductoris vestigia mactè feliciterque progredere. Nos Lampada tibi in manum tradimus; Tu cave, lucem illam aut culpâ, aut inertiâ tuâ exstingui patiâre. Magnis quoque Viris in publico & pulpito agentibus illic pabulum suum erit. Quorum actioni & memoriæ nos etiam in pulvere nostro suppetias & supplementum damus. Fâxit Omnipotens* DEUS, LIBERALES *ac* HONESTÆ ARTES, *quibus nos Remp. & Posteros erudimus, nunquam ad sui ruinam & in-*

interitum devergant. Sed, semper benigniore astro & omine in majus se extollant. Vestraque, ORNATISSIMI ADOLESCENTES, *studia & Labores cum immortali Ecclesiæ & Reip.* BONO *æternum gloriosè conjuncti permaneant ac perdurent.* VALETE. Alcmariæ in Musæo meo cIↄ. IↄCL. Kal. Jun. *Anno* Ætatis XLIII.

Vobis,

Charissimi Adolescentes,

Addictissimus,

REINERUS NEUHUSIUS.

REINERI NEUHUSII
J C.

FLORILEGIUM PHILOLOGICUM.

Sive

Veterum & Recentiorum ELOQUENTIÆ *Promus-Condus.*

A.

ABLIGURIENDI, vide *Bibendi, Coquendi, Voluptatum. Temperantiæ. Sobrietatis. Vini. Convivii. Parasiti. &c.*



NA Hannibalem hyberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervarunt fomenta Campaniæ; armis vicit, vitiis victus eſt. *Seneca.*

Animo per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt. *Salluſt.*

Voluptas rationi inimica impedit conſilium, ac mentis perſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. *Cic.*

Miſerrimi ſunt mortales, qui in quantiſcunque opibus refulgeant, ventri aut libidini dediti, quorum animus inerti otio torpet. *Seneca.*

In voluptatis regno non poteſt virtus ſubſiſtere. *Cicero.*

Nulla capitalior peſtis, quam voluptas corporis hominibus à natura data eſt. *Cic.*

Omnium perturbationum mater immoderata intemperantia. *Idem.*

In luſtris, popinis, alea, vino tempus ætatis conſumpſit. *Idem.*

A Nemo

Nemo illorum Tartaream ingluviem potest explere.

Profusus, dissolutus, perditus nepos. Gurges & vorago patrimonii.

Deartuare suas opes. Contruncare cibum. Genio suo indulgere. Dilapidare pecunias. Lancinare suas facultates.

Proluere opes. Profusis sumptibus vivere. Exinanire domum per hospitia.

Multâ luxuriâ ebrium esse. Effundit patrimonium, ne fœnore trucidetur. *Cic.*

Caveas intemperantiam, memineris verecundiæ.

Vino est mersus ac confectus. Temulentus ac violentus est. Adolescens est escæ maximæ. *Plaut.*

Multi majorem habent famem, quàm ventrem. *Seneca.*

Luxuriam domestico lenocinio sustentare. *Cic.*

Veteres illibatas divitias in profundissimum suarum libidinum gurgitem profuderunt.

Circæo ebrietatis poculo in brutorum speciem transformari.

Velut ad palmam currunt in Dionysiaco hoc agone. Cereales cœnas dare.

Si alia membra vino madeant, cor saltem sit sobrium. *Plaut.*

Vos vestros pantices madefacitis. *Idem.*

Quem tu asservare rectè, ne aufugiat, voles, escâ atq; potione vinciri decet. *Idem.*

Inde usque ad stellam crastinam diurnam potabimus. *Idem.*

Plures perierunt crapulâ, quàm ense.

Plures jam pavones confeci, quam tu pullos columbinos. *Plaut.*

Atque argentum egurgitem domo prorsum.

Ne viderer funditare ac perdere rem.

Pergite, quomodo cepistis, bibite, pergræcamini, este, effacite vos, saginam cædite. *Plaut.*

Lepidam & suavem aliquam cantiunculam occipite comœdicam, ubi perprurilcamus ex unguiculis. *Idē.*

Quan-

Quantulum à funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos bibunt?

Satrapes si fiet, sufferre sumptus non queat. *Plaut.*

Pinguis uterus subtile pectus non parit. *Seneca.*

Nam mihi jam intus potione vinea onerabam gulam. *Plaut. Alii* vinceam *volunt, quod gulam vinciat.*

Prothymè consumpsimus hunc diem: προθύμως, benignè, promptè.

Malè concocta crapula, & adhuc ebria multo Baccho trahere vestigia.

Frustis esculentis mero commistis totum tribunal vomens implevit. *Cicero.*

Edam, atque ambabus malis expletis vorem. *Plaut.*

Cadum tibi veteris vini propino.

Ventrem saburrare. *Saburra*, onus navis est, quo libratur adversus fluctus.

Hic illi semper supparasitatur. *Plaut.* Parasitor, *est parasitum ago.*

Qui parasitando paverint ventres suos. *Parasitus* est, qui aliorum mensas sequitur & cibaria. qui nihil ventris causâ facere recusat. παρὰ τοῦ σιτίου, *quod à cibo totus pendeat.*

Famelica hominum natio, quid agitis?

Majore corporis sarcinâ animus læditur & minus agilis est. Copia ciborũ subtilitas animi impeditur. *Senec.*

O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur. *Idem.*

Quid opus est tot artibus ventri servientibus? *Idem*

Si desiderat saturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variisque coloribus distinctam, & artibus, non fortunæ iste vitio, sed suo pauper est. *Idem.*

Ionum mollities & Sybaritarum luxus proverbio locum fecere.

Comessari & Comessatores. Comos, Deus est luxus. Unde Κωμάζειν, comessari, cum luxu vivere. Nam Sybaritæ adeò deliciis indulserunt, ut luxuriosa omnia Sybaritica dixerint. Sic *Lydorum Caryca.* Carica ferculum est è multis compositum.

Ad tutelarem prætorem ibis, profundis enim tua.

Tu pro orbiculis arenarum diffusum illum terrarum orbem admetiris, & eum ipsum in triumphali veste, purpuratum auratumque. *Lips.*

Nunc verò eò insana edendi bibendique libido adaucta est, ut illum propemodum è symposio exhibilent, qui se non strenuum potatorem præbeat, atque impigrè, ut Plautus ait, cloacam vino proluat. *L. Lemmius.*

Adeo, ut nemini mirum videri debeat,

Unde animi caligo, & tanta oblivia rerum,

Tot subita mortes atque intestata senectus. Juvenal.

De Edonibus lege Epistolam 51. *Lipsii, Cent.* 3. *Miscell.*

De capacitate poculorum certant, adeo ut inter illos optimus censeatur, non qui concinniter instrumentis Musicis, aut sermone Philosophico uti norit, sed qui multos eosque maximos calices exsiccavit, quod vitium apud omnes hodiè incruduit. *L. Lemmius.*

De Prodigalitate vide off. Text. *cap.* 44. *libro* v.

De Gulâ & voracitate vide quoque Eundem *cap.* 51. *lib.* 5.

Sic *Theagenes* Athleta taurum vorabat solus.

Antiochus magnus dies totos dormire solebat ob vinolentiam. Plura *ibidem.*

Caligula quoque maximam partem thesauri à Tiberio relicti cænis & comessationibus cum scortis devoravit.

Claudius Cæsar tanta populi frequentiâ celebravit convivia, ut plerumque sexenti simul discumberent. De *Bonoso*, de *Galbâ* ibidem.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Mente caret Bacchus; nox fronte; cupido pudore;

Et loca sola metu: quattuor ista fuge.

Eò deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus. *Seneca.*

Quid est cænâ sumptuosâ flagitiosius, & equestrem censum consumere? *Idem.*

A privatis compluribus subversi montes, maria con-

constrata: quibus mihi ludibrio videntur fuisse divitiæ. Lubido stupri, ganeæ, cæterique cultus non minor incesserat. Viri pati muliebria; mulieres pudicitiam propatulo habere: vescendi causâ terrâ marique omnia ex quirere. dormire prius, quàm somni cupido esset. *Saluft.*

Nam quicunque impudicus, adulter; ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat. quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret. *Idem.*

Quanto in precio fuerint apud vetustiores pisces & præsertim Muræna, docet *Macrob.lib.2.cap.IX.*

Domus interea secura patellas
Iam lavat & buccâ foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.
Juvenal. Sat. 3.

Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quot recto vertice portat
Servulus infelix, & cursu ventilat ignem.

Ibidem. portat obsoniis capiti impositum ignem.

Ventilat æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoru pondera gemma.
Juvenal. Sat. 1.

Xerxes præmium proposuit ei, qui novæ voluptatis genus invenisset.

Milesiorum proprium fuit in amplis patrimoniis helluari, & familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluere.

Nero Augustus piscatus est in rete aureo, purpurâ & Croco funibus nexis.

L. Lucullus prætor, Romæ in Ludorum apparatus, ad scenam instruendam ducentas detulit vestes purpureas.

Cleopatra cœnam paravit Antonio, in quâ CCL. millia aureorum uno ferculo secundæ mensæ consumpta sunt.

Calig. sæpè in conviviis pretiosissimas gemmas aceto liquefactas sorbillavit. ex auro panes & obsonia hospitibus suis apposuit.

Milesii Joniæ pop. fuerunt, qui deliciis luxuque notabiles fuerunt, quibus illud fuit usitatissimum: Nemo nostrûm frugi esto, alioqui cum aliis ejicietur. Hinc *Milesius sermo*, hoc est, jocosus, delicatus. *Milesiæ fab.* aniles & lascivientes, in quibus nec pes nec caput appareat.

Luxus nepotalis significat immodicam profusionem & victus largitatem. *Nepos* e. prodigus dicitur. Eleganter à Tertull. dictum est: *Aristippus in purpurâ nepotatur.*

GASTRIMARGIÆ.

Non mare, non tellus satis est, invaditur aër,
Prædaque victrici sunt elementa gulæ.
Crescit aqualiculus, pingues lemargia vultus
Tingit, & ad ventris pabula semper hiat.
Mantuanus.
Nam pingue caput, frons prominet alta
Labra, genas oculosque tumens, sub gutture late
Surgit, & inflatum tollit cutis uvida pectus.
Pinguedine vestis
Vix renes clunemque tegit, ventremque profusum.
Raraque collisis ægrè vestigia mutat
Poplitibus, curvis putruere sub unguibus esca.
Lapsus adeps iter & vestigia signat.
Oenophoro læva armata est, abdomine dextra.
Novas superingerit offas.
Escarum infinita vorago. Mantuanus.
Satyra IV. Juvenal. de Crispini Voluptatibus.
Quantis jumenta fatiget
Porticibus, quantâ *nemorum vectetur in umbrâ,*
Cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Nam, quod turpe bonis, Titio, Seioque, decebat
Crispinum.
Mullum sex millibus emit,
Æquantem sanè paribus sestertia libris.
Multa videmus
Quæ miser & frugi non fecit Apicius.

Apicius

Apicius frugi, si cum Crisp. conferatur: qui tamen omnium nepotum gurges maximus.

Hoc pretium squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quàm piscis emi. Provincia tanti
Vendit agros.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Induperatorem: cum tot sestertia, partem
Exiguam, & modica sumptam de margine cana
Purpureus magni ructaret scurra palati,
Iam Princeps Equitum, &c.
Incidit Hadriaci spatium admirabile Rhombi.
Exclusi exspectant admissa obsonia patres. IV. Sat. Juv.
Tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Ad motum pedibus. De quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus Orexin,
Dum redit, & terram loto ferit intestino.
Marmoribus rivi properant; aut lata Falerno
Pelvis olet. Idem Sat. VI.
De convivâ Corybanta videbis
Iurgia proludunt; sed mox & pocula torques
Saucius, & rubrâ deterges vulnera mappâ, &c.
Pugna Saguntbinâ fervet commissa laganâ, &c.
Ipse capillato diffusum consule potat,
Calcatamque tenet, bellis socialibus uvam
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis: cujus patriam titulumque senectus
Delevit multâ veteris fuligine testa, &c.
Juvenal. V. Satyrâ.
Ipse capaces
Heliadum crustas & inæquales beryllos
Virro tenet phialas. tibi non committitur aurum.
Vide Tit. *Bibendi.*

Massiliam navigato. Massilienses effeminatè vivebant, variis vestibus, iisque talaribus & unguentis utentes.

Phocion Filium suum, qui plura solito obsonia coëmerat, objurgans, ita ei est comminatus: si plura, quàm

quam secundum naturam vesceretur, ipsum condignas pœnas luiturum.

Græcis lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegerat, sepulchro patrio non humaretur, sed externo.

Q. Fabii Fil. cum perditam luxuriâ vitam ageret: *Q. Pompejus* pr. Urbanus ei bonis paternis interdixit.

Prima cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.

Homines molles ac delicatulos vocamus, *Melitæas Catellas*, *Delicias tritici*, idem quod: *Alba Gallina filii:* qui tamen proprie *felices* appellantur.

Diog. videns adolescentulum quendam in popinâ, ei præ pudore intro fugienti, *Quo interius*, inquit, *fugeris, hoc magis eris in popinâ.*

Si Trulla inverso crepitum dedit aurea fundo. Juvenal. i.e. si trullam vini ebibit ita, ut crepitum dederit, & in fundum demiserit. Vasis genus, Trulla, sive Trua.

Aprez grand banquet petit pain.

Unâ comedunt patrimonia mensâ.
Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum?
Et crudum pavonem in balnea portat.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It nova nec tristis per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Juvenal. Sat. I.

Qui ventrem invitant pretio, quorumque profundam
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis
Nec freta longinquis Mæotida piscibus explent.
Claudianus.

In Parasitum sic nos.

Dum merum pingui frueris, Parasite, Falerno,
Pluribus & vitæ diffluis illecebris:
Primus amicitiæ pandis sacraria nobis,
Primus Romanam qui probet ore fidem.
At paullum offenso cum Jupiter intonat axe,
Alterius subitò fercla cibosque petis:

Non, Parasite, tui facimus Popysmata tanti,
Ut nostrum lingas amplius ore salem.
Exeute nunc alios; stomacho sat favimus illi:
Hic Pylade ingenio, non Parasito opus est.
At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Canâ desurgat dubiâ? Quin corpus onustum
Externis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.
Horat. lib. Ser. 2. Satyra 2.

Isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt? *Seneca.*

Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum sylvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant? Inde ortis radicibus, quò improbè cacumina egissent? *Idem.*

Magna pars libertatis est, benè moratus venter, & contumeliæ patiens. *Idem.*

Ex vino pallor & nervorum madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes & titubatio. *Seneca.*

Inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, labesque in se putrescentium & retorti digiti. articulis obrigescentibus nervorum sine sensu jacentium torpor aut palpatio sine intermissione vibrantium. *Idem.*

Quid dicam capitis vertigenes? quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æstuantis? *Idem.*

Vide quantum rerum per unam gulam transiturarum permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix. *Idem.*

Innumerabiles morbos mirare? numera coquos. *Ibidem in Epist.*

De nimia ingurgitatione agit *Camerar. Cent.* 1. *Cap.* 93.

In Helluonem sic nos:

Infelix totas se ingurgitat Helluo noctes,
Virtutem in vino vimque virumque probat.
Usibus humanis Divûm quod cura negavit,
Helluo, non una lege tenendus, agit.
Helluo re meritò dicere & nomine totus:
Quod pœnam Stygio dignam Acheronte lues.

In Ebrium.

Ebrius immodico vini corrumpitur usu,
Ingeniique rogus, pestis & ipse sui est.
Omnia contactu fœdo conspurcat & ore,
Nec pars in toto corpore labe caret.
Nam simul expletus Baccho, mens exulat unà,
Et solitâ ingenium de statione fugit.
Expersque ipse sui mox totas territat urbes,
Monstrum immane sonans, terribilemque Feram.
Cur modicè sumas generosi munera Bacchi,
Qui tibi vis felix vitaque sospes eat.
Tempestate gulæ nil turpius adspicit Orcus,
Pluraque mortali damna necesque tulit.

ACCUSANDI. Vide *Damnandi.*
Carceris. Iudicii.

Ibo ad Tres-Viros, ibi faxo erunt nomina vestra *Plaut.*

Ad prætorem te rapiam, & tibi scribam dicam. *Idem.*

Iudicio circumvenire aliquem. Citare aliquem ad judicem. Postulare aliquem de vi. Agere de alicujus capite comitia. In quæstionem aliquem postulare. *Ciceroniana.* Sic judicium constituere de aliquo.

Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia. *Plaut.*

Eorum referimus nomina exscripta ad Iovem. *Plaut.*

Hoc meum officium, precor, ne arrogantiæ condemnes.

Non temerè accusandi sunt alii, quia sæpe sine periculo hoc non fit. *Plaut. in Curc.*

Accusatores.

Accusatores multos esse in civitate, utile est. *Cicero.*

Homines de meo capite possunt ludere; statuere tantum supremus ille princeps. *I. Lips.*

Ostracismus, erat damnationis genus, quo traditis in comitiis testulis, ejiciebantur in exilium viri prudentes, qui potentia, opibus & autoritate plebis invidiam in se concitarant.

Demosthenes jussus ab Atheniensibus, ut quendam accusaret, recusavit. Sed facta in eum acclamatione, surgens dixit: *Vos me viri Athenienses, Consultorem habebitis, Calumniatorem verò, ne si velitis.*

Carbone notare, cretâ notare. Creta aliquem notamus, quando alicujus sententiam approbamus. Carbone dicitur notari, qui condemnatur. Pythagoras dicebat, id, quod esset candido colore, ad boni naturam pertinere. quod a. atro colore ad mali. Sic vulgò alba felicia dicimus, & nigros vocamus infames. Hinc Horat.

Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Illa prius cretâ, mox hac carbone notasti, Persius.

Sic dicimus, *Unione signare*, quando felicia & prospera numeramus. Solebant Veteres singulos dies signare, missis in urnam calculis. Quem arbitrabantur prosperum abiisse, candido calculo aut creta notabant. Quem egregiè felicem unione. Qui inauspicatus nigro signabatur lapillo. Persius:

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.

Loripedem rectus derideat. Iuvenalis hoc est. quod convenit in illum, qui alii objicit quid mali, cui ipse maximè obnoxius. Quasi claudus claudo vitium claudicationis per contumeliam objiciat. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Si fur displiceat, Verri? si homicida Miloni?*

ARMORUM. Vide BELLI. OBSIDIONIS. DISCRIMINIS.

Armorum vocabula vide in *Hadriano Iunio*: quo nomenclatore juventuti & scholæ maximè est opus. Peccant, qui hunc authorem, Promum Condum su-

pellectilis literariæ, negligunt.

Præter vulgaria, explicat quid sit, Agere cuniculos, præpilatis hastis aliquem objicere, ad piaculum noxæ objicere, dicente Livio. De summa rerum prælio decertare. In dubiam imperii servitiique aleam ire. Aleam omnem jacere. *Livius*.

Ad manus venire; collato pede præliari; conferre signa; decernere acie vel ferro; in deditionem, in fidem accipere. Impressionem facere. *Liv. & Cic.*

Canere receptui; vasa conclamare. h. e. signa dare moturo exercitui ut vasa colligat. Vasa colligere. Convasare. Canere bellicum; signum dare buccina. *Liviana & Ciceron.*

Recensere exercitum; lustrare exercitum. Castra metari, ponere. Habere delectum.

Exauctorare militem; sacramento exolvere: Auctorare militem; sacramento obligare. Cogere militem. Conscribere copias, exercitum.

Merere, aera merere. Stipendia facere. Stipendium merere. Sacramentum dicere. Dare jusjurandum. Iurare in verba Cæsaris. Dare nomen militiæ; vel ad militiam.

Opima Spolia, quæ dux hostium duci detrahit *Receptus*, locus, quò in tutum se recipit exercitus. *Missio ignominiosa*, quæ ob delicta sacramento exolvit. *Missio Causaria*, quæ veniam à militiæ laboribus ægrotis indulget. *Missio honesta*, quæ expleta militia tribuitur, vel ante, sed Imp. consensu. Vide *Romam Illust. Lipsii*.

Corona Ovalis, sive myrtea, quâ utebatur Imp. qui incruentâ victoriâ hostem profligarat.

Corona Obsidionalis: quam liberatori suo obsessi dabant, eratque graminea, è gramine loci obsessi sumpta.

Corona Navalis, *Civica*, *Muralis*, *Castrensis*, *Vallaris*, &c. Vide *Romam illust. l. Lipsii.*

Signa erecta. Supina signa. Lorica Castrorum. *Castra Stativa*. Auxilia. Præsidia. *Ala*, equitum ordines. *Cornua*, in peditibus. *Phalanx*, quadrata acies, octonis peditum millibus constans.

Turma

Turma, Equitum. *Centuria*, peditum. *Cuneus*, quod videatur acies cuneum repræsentare. Exercitus frons; Exercitus tergum. *Frumentatio*, *Aquatio*. *Tabulatio*, *Materiatio*. Velitatio. Velitaris pugna.

Buccula. Conus. Scutulata tela. Parma. Verutum. *Framea*. Gæsum. Hasta pura, quæ ferro non munita. *Hasta præpilata*, ferream habens cuspidem. *Hasta amentata*, quæ amento excussa vibratur. *Amentum*, lorum est, mediæ hastæ obvinctum, quo jacitur. *Sparus*, pedis instar recurvum telum.

Sclopus, minor bombarda. Etiam vocari potest tubulus è Sambucino ligno, quo pueri elisa glande stuppea strepitum cieet.

Pyroboli, tela missilia ignita. *Murices*, trioboli sive tribuli, machinulæ ferreæ trigonæ. *Incendiarii Siphones*, vel incendiariæ situlæ. *Catapulta*, *Aries*, *Vinea*, *Plutei* &c.

De Instrumentis & tormentis Bellicis vide præterea *Offic. Tex. lib* 3. *cap*. 29, & 30. 31. de nominib. Bellicis.

Adde *Cl. D. Boxhornii* Nomenclatorem Strategicum ad Obsidionem Bredanam.

Et *Romam illustratam*, sive *Facem Historiarum*, compendia ex *Lipsio*.

Romanus acer in armis,
Injusto sub fasce. Virg.

Dicitur hoc de infinitis laboribus, militum Rom. nam fere dimidiati mensis cibaria secum ferebant. Quare *Cicero* 2. *Tusc.* Nam scutum & gladium, galeam nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.

Arma enim membra militis dicuntur. quæ quidem ita geruntur, ut abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris pugnare possint.

De Gladiis & Clypeis vide quid dicat *Camerar. Cent*. 2. *cap*. 29.

De variis Armorum appellationibus lege *Rosini* antiquitates *Cap*. x. *lib*. x.

ARTI-

ARTIUM. Vide *Doctrina &c.*

Ædificiorum. Miracul.

Artificia mirabilia Vide. *Cap.* 3. *Fatid. Lib.* 3. E. Neuhusii.

Adspice *Romana urbis Theatra* & *Amphitheatra.* M. Scauri, C. Curionis, Pompeji, Augusti. Quorum extremum longè maximum pulcherrimumque opus, hominum octoginta millia Capiebat. *Pompejanum* tantæ fuit vastitatis, ut Nero regni Romani vires Germanorum legatis ostentaturus, populum, publicis ad certum diem ludis universum in hoc convocavit, caveæque ejus quasi gremio comprehensum, mirantium oculis subjecerit.

Vide *Cretensium Labyrinthos*; Arthemisiæ Regis mariti dicatum cineribus *Mausoleum*: *Amasis* ad urbem Elephantinem; *Zoroastra* in Bactris; *Simandii* in Ægypto; *Porsenna* ad Clusium, *Augusti* ad ripam Tyberis *Sepulchra.* &c.

Contuere nobilissima *Thermarum* miracula, *Dioclesiani*, *Neronis*, *Vespasiani*, *Caracalla*, *Severi*, *Gordiani*, *Domitiani*, *Aureliani*, *Constantini.* &c.

De Pontibus, Aquæductibus, Fluminum derivationibus. *Vide Ibidem E. Neuhusium.*

Mirare *Babyloniorum* pensiles quatuor jugerum mensurâ hortos; *Alexandri* ad Tyrum, urbem oppleto domitoque mari substructiones; *Vespasiani* ad Hierosolymam; *Septimi Severi* in Britanniâ; *Julii Cæsaris* ad Lemannum Lacum, exclusis hostium armis, immensâ magnitudine structa mœnia, &c. *Ibid.*

De *Dædali* statuis Plato dixit, quod aliò ex loco suo demigraturæ, nisi catenis injectis vincirentur. nam vitam sensumque habere videbantur. *Memnonis* statua in delubro Serapidis, apud Thebanos Ægyptos, à quotidiano solis emergentis contactu crepabat. *Ibidem.*

Dæmonis Simulacrum in Apis æde Heliopoli, faciem cum sole, in quamcunque ille partem declinaret, convertit. &c.

Septem turres Bizantii! quarum signis uni inclamaret,

ret, sonitus ex omnibus reddebatur æqualis, ita ut ex singulis proprius audiretur.

Quâ efficere potuit arte *Brixalensis* ille miri ingeni *Faber*, ut in Scorpione Chalibæo, quem sub toga uxoris occultaverat, facto instrumento mœchum interficeret?

Qua *Callicratides* currum molitus est, muscæ tectum alis, & in sesami grano versus aliquot Homeri conscriptos?

O artificiosissimæ picturæ *Apellis Equum*, vivos equos ad hinnitum prolicientem; *Zeuxis uvam* in prædam aves proritantem; *Parrhasii mappam* Zeuxi solidæ mappæ similitudine imponentem.

O præstantis ingenii *ligneam Archimedis Columbam!* domum admirabili remigio circumvolitantem. Currus ventorum velorumque adminiculo per campos decurrentes!

Proculi Specula, impactis ab adverso sole radiis, hostium Classem, in modum fulminis, comburebant. Adde his *templum Salamonis* operum humanorum omnium præstantissimum, &c.

De diversarum artium peritis, vide *Off. Text. lib.* 4. *cap. xv.*

De effectis Artium raris. Vide *Val. Max. cap.* xI. *lib.* 8.

Artificialia mirabilia. Vide in lib. 3. Fatid. E. Neuhusii pag. 114.

ADJUVANDI. AUXILII.

Vide *Solatii. Consolationis. Consilii.*

Publicæ utilitati velox remedium adhibere. *Seneca.*

Nisi quis deus nos respexerit. *Plaut.*

Ipsa Salus saluti esse non poterit. *Plaut.*

Sontibus opitulari. Religiosam alicui manum præbere. Ferre opem inopiæ. Ferre alicui suppetias. Succurrere alicujus indigentiæ. Sublevare alicujus calamitates. In partem ærumnarum venire. *Ciceroniana.*

Dare alicui operam adjutabilem; auxiliares manus præbere. Nusquam habeo auxilii aut consilii copiam. Commodare alicui.

Asylum & perfugium alicui esse. Arcem, turrim, præsidium, rupem, portum, aram se alicui præstare. &c.

Oportet firmius in virtute, quam in casu præsidium collocare.

Est unum perfugium Doctrina & literæ, quæ secundis rebus oblectationem, nunc verò etiam salutem præstant. *Cic.*

Veteres Iovem cognomento. *Opitulum* coluerunt, quod opem indigentibus ferret.

Opem quoque deam venerati sunt, quod ipsius ope atque auxilio vita constet. vel, quod Ops terra, & hinc omne opus.

Mihi ipse ero Balneator: h. e. ipse mihi inserviam. dicitur de Balneatore, scalprum sumente & sibi ipsi ministrante.

Ego verò novus Hercules solvam hunc Promethеum? *Lips.*

Magni artificis est, clausisse totum in exiguo. *Seneca.*

ABSTINENDI. *Frugalitatis Abstinentiæ.* Vide *Sobrietatis. Parsimoniæ.*

DOmitas habere libidines. Coercere cupiditatum lasciviam intra rationis gyrum.

Magnus ille est, qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento. nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. *Seneca.*

Multi magni morbi abstinentiâ curantur.

Facile est, pascere paucos ventres, & benè institutos, & nihil aliud desiderantes, quam impleri. parvo fames constat, magno fastidium. *Seneca.*

Frugalitas paupertas voluntaria. *Idem.*

M. *Cato* dixit: unum Cæsarem ad evertendam Remp. sobrium accessisse.

Constantinum Imp. Marcellinus scribit nunquam gustasse pomum; nunquam nares in publico extersisse; nunquam spuisse.

Anacharsis apud Ciceronem, *Mihi*, inquit, *ful-*

famentum

pamentum fames. Cubile solum, vestis Scytharum tegmen.

Zeno, ut discipulos suos exemplo ad temperantiam invitaret aquam bibit loco vini.

In eodem toro alterius adolescentiæ vigor exstinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. *De Antonia*.

De *Curio* ligneo catillo cænante, & Samnitium dona repudiante, lege *Val. Max. cap. 3. lib. 4.*

Ibidem de Fabricio aliisque. &c.

Modum princeps postulet argento, supellectili, familiæ, ne luxus mensæ profusis sumptibus exerceatur. ne promiscuis, viris & fæminis vestes, neve vasa auro solida ministrandis cibis fiant. *Taciti*.

Voluptates commendat rarior usus. Iuvenal.

Heu! quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere letho. Ovid.

Panem & aquam natura desiderat. nemo ad hæc pauper est. intra quæ quisquis desiderium suum claudit, cum ipso Iove de felicitate contendit. *Seneca*.

Maximis viris prandere & cænare in propatulo verecundiæ non erat. nec sanè ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent. Erant adeo continentiæ attenti. *ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset*. Val. Max. Cap. v. lib. 2.

Ideoque in sacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre & sale constat. Exta farre sparguntur, & pullis, quibus auspicia petuntur, puls objicitur. *Ibid*.

Bonæque valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis &c. *Ibidem*.

Id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido sibi vendicaverit. nam quò istæ generis humani pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. *Val. Max.*

Modo sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri, & toga, quæ
Defendere frigus,

Quamvis

Quamvis crassa queat. Horat.

Ex eodem naturæ utero & continentia nata est, & Cato. *Val. Max.*

Bias; beatum esse dicebat, qui & dives esset & cupitis potiretur. Sed eum qui nihil concupisceret beatiorem. *Nullo modo placuit bis in die saturum fieri. Plato* in Epist.

Philos. Epictetus in istis duobus totam vitæ sapientiam posuit, ἀνέχου & ἀπέχου.

• *Iulianus Imp.* Eunuchos, coquos, tonsores ejecit è palatio. *Epicurus* interrogatus, qua quis arte ditesceret: Non si præsentibus adjecerit, respondit. *Democritus* dicere solebat, *Fortis est, non tantum hostium sed & voluptatum victor.* Vita doliaris. Sumptum videtur à Diogenis frugalitate. *Cœna Hecatæ*, pro victu admodum frugali, quod apud inferos tenuissimo victu vivitur.

Seneca: Una Sylva pluribus elephantibus sufficit: homo verò pascitur vix terra & mari. Venter præcepta non audit. poscit, appellat, non est tam molestus creditor, parvo dimittitur; si modò das illi quod debes, non quod potes. Sine fastidio implendus est venter. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quicquid acceperit. Infelices estis, qui intelligitis vos famem majorem habere, quam ventrem.

De Abstinentiâ & pastu corporis prodigioso, Vide Cap. XV. Lib. 2. Fatid. *Edonis Neuhusii P.* Ibidem de ficta Abstinentia.

Frugalitatis exempla vide & in *Val. Max. Lib. 2. Cap. V.*

Abstinentiæ & Continentiæ in *Eodem cap. 3. lib. 4.*

ADULANDI. *Decipiendi.* Vide Simulandi. *Aula. Parasiti.*

QUam blandè mulieri palpabitur! Palpo aliquem percutere. Largiri alicui dicta Dapsilia.

Verbis aliquem blandis delinire. Ducere aliquem phaleratis dictis.

Auribus aliquid dare ad voluntatem, non ad veritatem.

Pessum

Pessum me dedisti blandimentis tuis.

Permulcere aures alicui. Vt unus homo te vivat nusquam quisquam blandior.

Aliquem suam salutem, suum præsidium vocare.

Res amicos invenit. Vt dulcis es! ut mulsa dicta dicis! Aures alicujus lactare blanditiis.

Assentatiunculâ aucupari gratiam. Blando sermone aliquem delinire. Noli putare nos hoc auribus tuis dare.

Me velle tuis auribus inservire. Assentationis artificio gratiam alicujus aucupari.

Compta ista oratio mihi non arridet. Valeat hæc officii plena oratio.

Tralatitia hæc verba quæso prætermitte.

Composita hæc blandaque & aulica verba minime desidero.

Blandicella nimis verba dare non est meum.

Non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet.

Ille circumagitur vulgarium judiciorum omni vento.

Palpator, *est adulator: inde palpum nonnulli pro blanditiis usurpant:* Palpo percutere, *est, plausu blando manus tangere & velut poppysmo.* Poppysmata, *propriè dicuntur ea vocis blandimenta, quæ fiunt equis indomitis cum tractatione manuum.* ποππύζω *idem est quod adulor, sibilo.* Nimis hic scitus Sycophanta est.

Viscus merus est vestra blanditia. *Plaut.*

Nulla in amicitiis pestis est major, quam assentatio, blanditiæ, adulatio, *Cic.*

Ambo Colubrino ingenio estis & duplices habetis linguas, *Plaut.*

Quicquid dicunt laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. Negat quis, nego: ait, ajo. *Terent.*

Aulici. Adulatores.

PRinceps sæpe hiantes talium Cupiditates amicorum explet. *I. Hist.*

Et largitur privatim, quod avidius de Rep. sumat. 2. *Hist.*

Nimirum

Nimirum ipsi Vultures, spes votaque ad Deum, quàm ad Principis aures conferunt 4. *Annal.*

Petunt, & ubi prima provenerint, iterum petunt. donec uterque mensuram impleat, & Princeps quantum tribuere illis potest, & illi quantùm ministri ab eo recipere 14. *Annal.*

Huc accedit, ut cogitationum ejus periti paulatim huc flectant, ut Principem ad vitam procul Urbe, amœnis locis degendam impellant &c. 2. *Annal.*

Decipitur à quibusdam Princeps, qui quò somnom & inertiam magis ostentant eò acriores sunt. 3. *Annal.*

Quorum dicta & facta, quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, fortè gratius in speciem simplicitatis accipiuntur. 16. *Annal.*

Palam laudares, secretò malè audiunt, apud proximos, apud Collegas variis illecebris potentes. nimiæ voluptates, cum vacat quoties expedit, magnæ Virtutes. 1. *Hist.*

Ex JUVENAL. Satyra 3.

Rides? majore cachinno.
Concutitur: flet, si lacrymas adspexit amici,
Nec dolor. igniculum Brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem.
Nocte dieque potest alienum sumere vultum.
Laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Faciem deformis amici
Et longum invalidi collum, cervicibus aquat,
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Antæus cum in palestra reciperet vires à matre Terra contacta, gigantem hunc à terra levatum Hercules præfocavit.

Nec ingenuum violarent marmora tophum.
Maneant, qui nigrum in candida vertunt.
Qui verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter. Pressus Pollex, signum populi intercedentis pro victo.

Omnia novit.

Graculus

Graculus esuriens, in calum jusseris, ibit. Satyra 3. Iuvenal.

Admiranda sunt, quæ hic Poëta in hoc genus vitiorum diversis locis graphice convexit.

Philoxenus parasitus, qui cæna quadam, ubi atriorem panem vidisset apponi, *Ne multum, inquit, attuleris, ne tenebras nobis inducas.*

Demagoram Athenienses decem talentis multaverunt, quod Alexandrum Deum appellasset.

Nicesias quum videret Alexandrum Magnum petitum à muscis, *Quanto,* inquit, *hæ cateris præstant, qua sanguinem tuum degustant imperator.* Idem cum vulneratum eum conspiceret, illud Homeri protulit:

Qualis Divorum percurrit corpora sanguis.

Sic Philippi Macedonis parasitus claudum se fingebat, quod Philippus fractum crus haberet:

Augustus adeo repressit & neglexit adulationes, ut se dominum appellari ne à suis liberis aut nepotibus vel seriò vel joco sustinuerit. *Vid off. Text. lib. 5. cap.* 40.

Nec desunt pravi magistri accendendis offensionibus callidi, qui vera intendant, adgerant falsa; ad scelus increpent, ad quod facillimè ab ejusmodi voto transitur. 2. *Annal.*

Sunt, quibus est juxtà Adulatio & superbia, palam compositis pudor. intus summa adipiscendi libido. 4. *Annal.*

Fronte læti, licet pectore anxii. *in Agric.*

Valide spernendis honoribus, subdoli fingendis virtutibus, luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus misti. 1, *Hist.*

Alexander Severus hominem adulatorem palo curavit affigi. postea ingentem jussit exstrui focum, ut fumo intermoreretur. Testatum eo fecit hominis favorem prorsus cum fumo & re nihili convenire.

Zopyrus quidam adeò suppalpatus est Dario Babylonem obsidione prementi, ut sibi ipsi faciem & nares inhonesto vulnere deformaverit, ut sic Babyloniis

niis fidem faceret, se perpetuum fore Dario inimicum. Quo moti Babylonii, illum in urbem acceperunt: quam paullò post prodidit suo regi. *Hinc adagium: Zopyri talentum*, de his, qui sibi nocent ut aliis prosint.

Diogenis est sententia: Κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας.

Quantum malum adulatio, dixit Cic. Adulatio quàm similis est amentiæ! apud *Senec.*

Cassæ fidei sunt, qui jugiter blandiuntur. Nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. *Cic.*

Nolo esse laudator, ne videar esse adulator.

Adulatorum guttur dicitur in Psalmo sepulchrum patens.

Adulatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit.

Aristippus, quum malè audivisset à Diogene, quod Dionysium coleret: Si Diogenes, *inquit*, sciret uti regibus, non vesceretur crudis indies oleribus.

Fervet olla, vivit amicitia. in eos, qui cœnæ causa amicitiam contrahunt.

Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret, quomodò rarissimam rem in aula consequutus esset, senectutem: *Injurias*, inquit, *accipiendo & gratias agendo.*

Aliquis Regum Persarum *Harpago* liberos epulandos proposuit, & deinde quæsiit, an placeret condítura. Deinde ut satis illum plenum malis suis vidit, afferri capita illorũ jussit, & quomodò esset acceptus interrogavit. *Apud regem*, inquit, *omnis cœna jucunda.* Quid hac adulatione perfecit? Ne ad reliquias invitaretur.

Frumentum in populo. Beneficia adulatorum intellige. nam pop. Romanus viritim dividundo frumentum gratiam & favorem aucupabatur. Sic Tiberius, ejusque frater Cajus, Gracchus regalis potentiæ gratia frumentum populo dari instituerunt.

Fides, libertas, amicitia præcipua animi bona, constantia retinentur, obsequio & adulatione imminuuntur. *Tac. Hist. lib. 1.*

Ex

Ex plebis adulatione omnis tyrannus fit. *Dionys. Halicarn.*

Laus falsa & precibus expressa, perinde cohibenda quàm malitia. *Tac. Annal.* 15.

Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. *Idem Ibidem.*

Perpetuum malum Regum adulatio. *Curtius.*

Iis omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est. *Tac.* 2. *Annal.*

Vide plura in *Philosophiâ Historica Goulartii* Tit. Adulat.

ADULTERII. Vide *Meretricum. Conjugii.*

Capere uxorem usurariam. Mulier ex concubitu facta est gravida.

Cubare cum aliqua intus.

Eductum esse in nutricatu Venereo. Dare operam Amicæ in lecto.

Omnes vigilias in stupris & adulteriis consumere.

Turpissimi amoris flamma conflagrare. Subagitare alienam uxorem.

Meus Herus magnus Mœchus mulierum est. Ludificatus est Virginem.

Virginem vitiare. Constuprare fœminam. Furere in Libidine.

Tradere, dedere se Libidini.

Fundum alienum arat, incultum familiarem relinquit.

Thalamos violare jugales. Vetitum sollicitare torum. Conjugii fallere fidem.

Furtivi fœdera lecti. Stupris exposita, lupanar ibis ad immundum.

Do adulterio vide officinam *Textoris.* Cap. 62. Libr. 5. De Meretricibus, Incestu, Raptoribus *Ibidem.*

Bos porrecto ultra Taigelum capite.

Ex Lacedæmonio hoc natum. Is ab hospite interrogatus, quæ pœna foret adulteris apud Lacedæmonios, negavit ullos ibi esse adulteros. At instans

Ille

ille: Quid si quis existeret, quam pœnam daret? Is, inquit, *Taurum daret, qui producto ultra Taigetum montem capite, biberet ex Eurotâ.*

Vetus illi erat stupri consuetudo cum Fulvia. *Sallust.*

Primò ingentes sumptus stupro corporis toleraverunt. *Idem.*

Metue concubitus novos.
Miscere thalamos patris & gnati apparas.
Uteroque prolem capere confusam impio?
Sen. in Hippol.

Dum felle libidinis ardens,
Impletur vitiis.
Ibo per impuros, fervente libidine, luxus.
Prudentius.
Succensusque nimis saliente libidinis astu.
Mantuanus.
Luxuries predulce malum, qua dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraque Circais effaminat acrius herbis.
Vide Apparatum Poet. Tit. Adult.

Habitus luxuriæ & mores vide in Mantuano lib. 1. de calam. temp.

Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum;
Nam simul ac venas inflavit tetra libido.
Sunt, qui nolint tetigisse, nisi illas:
Quarum subsuta talos tegat instita veste.
Vide lib. 1. Serm. Horat. Satyr. 2.
Cum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret, & Patruo similes effunderet offas.

Juvenal. Sat. 2. *Domitianus*, qui in alios censor rigidus, Iuliam fratris filiam, quæ marito nupserat, corrupit, revocata lege Iulia. Qui deformes erant, instar Domit.

O pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis Pastoribus? unde
Hac tetigit Gradive tuos urtica nepotes?
Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest condità pixide Lyde.

Nec

Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Ibidem. Ferunt Physici mulierem sterilem concipere posse, si pixide arenam inclusam in sinu gester. Lyde unguentaria erat, quæ hujusmodi medicamenta circumferebat. De Lupercis, qui nudi per urbem currebant hircinis pellibus palmas mulierum ferientes, satis notum.

Caligula, auctore Suet. Capillamento celatus & veste longa adulteria noctibus obibat.

Plato mortis supplicio adulterum condemnavit. Apud *Arabes* adulteris semper capitis pœna fuit.

Quum quidam *Diogeni* referrent *Didymonem* Mœchum comprehensum: Dignus est, *inquit*, ex ipso nomine suspendi. Didymi Græcis testiculi nominantur.

Solon suis Legibus voluit fas esse deprehendenti Mœchum, interficere in *ipso adulterio*.

Adulterium, flagitium atrocissimum, nam eo dissolvitur societas, quo hæc vita consistit, *est violatio tori alieni*. Magis committitur adulterium à marita, quia hæc etiam cum non conjugato committit adulterium. Maritus verò cum soluta non committit adulterium; sed fornicationem. Adulterium committitur in solas maritatas personas: quod adeò verum est, ut etiam in sponsam committat. In Viduam verò, seu virginem non, quia hic solum stuprum committitur.

Adulterium punitur hoc modo: Vir jure Civili plectitur capite; Fœmina v. in monasterium detruditur, ne ulli alii nubat. Verum jure divino extremo supplicio afficitur, tam adulter quàm adultera, quam pœnam Imperii Constitutiones retinent. *Stuprum violentum* punitur pœna capitali. *Stuprum voluntarium*, si stuprator honestus est, publicatione dimidiæ partis bonorum. Sin humilis persona coërcitione corporis cum relegatione. *Lenocinium* exercentes gravius puniuntur. In horum duorum criminum vindictam prodita est *Lex Iulia*, de adulteriis.

Patri quoque vindicta privata est licita. Vt si quis

in domo sua cum Filia adulterum invenerit. Sic & Marito, si antè ter testibus adhibitis maritæ denunciarit, ne cum hoc aut illo conversetur.

De Messalina vid Tit. Regni. ubi & De *Cleopatrâ*.

Vide *Tyrocinium nostrum* Eloquentiæ Oratione XII. ubi de Romuli lege diximus: *Adulterii convictam Vir & cognati, uti volent, necanto.*

Spectare lacunar.

Doctus, & ad calicem vigilanti stertere naso.

Iuvenal. Satyra I.

Non ullos exceptos legibus horret
Concubitus. Lucan.
Ne qua sit externa Veneris mixtura. Idem.
Concubitu vetito thalami ne pollue fœdus.
Qui Venere externa socialia fœdera lædit.
Qui pater est factus, neglecto conjugis usu. Ovid.
Vterique prolem capere confusum impia. Seneca.
Et noctes emere, & nuda indulgere palæstra. Mantuan.
Franoque remisso solvit vagam libidinem. Buchanan.

Iuvenalis Saty. 2.

Vbi nunc lex Iulia? dormis?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sylla si dicant discipuli tres?
Qualis erat tragico nuper pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocârat amaras Omnibus.

Domitianus Iuliam Vespasiani filiam alteri nuptam corrupit. Vide *Suet.*

In adulterum.

Quæris, adulterium quâ ducat origine nomen?
Is quod in alterius, *per mala furta*, torum.
In Thalamo poscit puros Hymenæus amores,
Et Venus ex omni parte pudica fiat.
Turpe nimis dictu! castos violare penates;
Turpe est, legitimi rumpere sacra tori.
Impia prostituit meretrix quæ corporis usum,
Digna est non unâ claudere morte diem.
Dignus ut Ætneas vivus damnetur ad umbras,
Qui secus ac propriam Pallada sponsus amat.

Vide

Vid. Tit. IUDICII. De *Lege Iulia.*

ET *Iuvenalis* legatur in variis Satyris: cui hic inprimis ingenium venat.

ÆDIUM. *Ædific. Domus. Civitatis. Artium.* Vide, *Habitandi.*

PEssulum ostio obdere. Occludere ædes.

Observa ostium intus. Crepuit à Glicerio ostium.

Ianuam calcibus insultare. Amoliri ædium senectutem.

Ædibus ævo victis novitatem reddere. Quisnam pepulit hasce fores? Quis mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus, faxo næ tu illas calcibus sæpè insultabis frustra.

Faxo illum Eunuchum aliquò concludam. Cadentia integrare. Parietum discidia sarcire.

Atriensis is erat, cui credebatur cura atrii.

Paries cæcus, est sine fenestris. Fenestra arcuata, quadrangula; Fenestrarum interseptum.

Fac habeant linguam tuæ ædes. Aperite nobis actutum ostium.

Peniculum, *i quo parietes dealbantur, è pilis caudæ equinæ, aut setis porcinis.*

Fenestra clatrata, *h. e. clatris vallata.* Clatrare *est lignis transpositis aliquid munire.*

De *Architectura* vide *Pontani Progymnasma* secundum lib. 3. partis posterioris.

Ianua: *primus est ædium ingressus, sic dicta: quia Iano consecratum est omne principium.*

Fores *proprie dicuntur, quæ foris aperiuntur.* Valvæ, *quod revolvantur, secundum Varronem.*

Cardo *dictus cor Ianuæ, quo movetur,* ἀπὸ τῆς καρδίας.

Probæ & fideles Ianuæ Clavis suæ crebrâ immissione patefiunt.

Ianuam firmiter oppessulatam pulsare vocaliter incipio.

Alexander Magnus Thronum aureum fabricari sibi fecit in Babylone. Erat 12. cubitorum, ad quem per

12. gradus aureos ascendebatur. Hinc inde duodecim statuæ aureæ: in quibus erant scripta nomina 12. principum. Sursum eminebat Alexandri sedes ex Smaragdo: undique parietes ex Topazio & per universos gradus pretiosi lapides cujuscunque generis. Rutilabat in summitate noctu & interdiu lapis rubicundus, variis imaginibus illustratus: quibus appendebantur versus Græci Latinique; nomina etiam Provinciarum, quæ subjectæ Alexandro. Corona omni genere pretiosorum lapidum circumsepta, Titulum sequentem Græcis & Latinis literis sculptum habebat:

Ortus & Occasus, Aquilo mihi servit & Auster.

Cicero non minoris quinquaginta millibus aureis habitavit.

Pittacus optimam domum esse pronunciavit cui superfluum nihil abundet, & necessarium nihil desit.

Crassus olim *Djotaro* dixit: Duodecima hora diei ædificare cœpisti.

Vide Domorum & imprimis Civitatis *Leoverdianæ* elegantissimam Descriptionem *in Theatro ingenii* Cap. 19. Lib. 2.

Alexandro tabernaculum erat C mensarum, L Columnis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Tectum ipsum erat inauratum. Circa ipsum interius stabant Persæ, purpureas melinasque stolas induti. Post eos Sagittarii mille, flammei coloris vestibus amicti. Ante hos centum scutati Macedones, cum scutis argenteis. In mediis verò castris aurea sella ponebatur, in qua sedens Alexander causas solebat cognoscere. Ambibat autem castra circuitus, quem tenebant mille Macedones, & Persarum decem millia. *Vide* Ælianum.

Atrium, videtur dictum esse ex fumo, quod inde scil. sit atrum. Alii dicunt *Atria*, Etruriæ civitatem fuisse, quæ domos amplis vestibulis habebat, quæ cum Romani imitarentur, atria appellaverunt.

Alii Atria capacissimas sedes dictas tradunt: unde atria Licinia & atrium Libertatis. Fuit apud antiquos *Dea Cardea*, quæ Cardinibus præerat:

Proverbium

Proverbium est: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, dictum de Testudine. Iupiter ad Nuptias omnia animalia invitaverat: quæ cum in tempore affuissent præter unam testudinem, quæ novissima omnium venit. Sciscitatur caussam tarditatis Iupiter. Illa ait: *Domus dulcis; domus optima.*

Ægyptii olim sapienter, qui domos has nostras, hospitia appellabant. Sepulchra a. domos. nam mora quàm brevis sæpe in illis est! quam in istis certa & æterna! *Lipsius.*

Nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserint; nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sit. nisi Thasius lapis piscinas nostras circumdedit. *Seneca.*

Pyramides, structuræ Ægyptiæ, tantæ molis, ut non humanis manibus, sed Deorum potentia, aut Gigantæis viribus eductæ putentur. Altitudo umbrarum mensuram egreditur, cacumine quadraginta passus amplo vix acus tenuitatem à terra suspicientibus reddente. Vastitas unius quatuor angulorum paribus distincta intervallis, ab inferiori parte octo & viginti jugera; alius stadium integrum complectitur. Opera hominum trecentorum sexaginta millium, viginti annorum spatia, unam elaboravit. tanta quidem rerum prodigentia, ut in raphanos, allium & cæpas, quib. vescebantur operarii 1800 talenta erogata sint. Firmitas post trium millium quadringentorum annorum intervalla integra & inconcussa videntium oculos obstupefecit.

Intuere structuræ penè ejusdem *Obeliscos*, quos Ægyptii Reges, in honorem deorum, ex montium venis exciderunt: lapidem asperrimum, in figuram metæ, à quadrata specie sensim in angusti verticis excelsam proceritatem gracilescentem. *Vide de his cap. 3. lib. 3. Fatdic. Parentis mei.*

De ædificiis sumptuosis consule quoque officinam Textoris. *Cap.* 65. *lib.* 4. *Et cap.* LXV. *lib.* 4.

De *Operibus Romanis, & situ ac formâ urbis* lege in compendio Romam illustratam lib. 3.

Ibidem de *Capitolio.* de *Templo urbis*, *Genii*, *Pacis.* De *Foro Iulio*, *Augusto*, *Nerva*, *Trajani.* De *Thermis*, *Balneis*, *Rostro*, *Statuis.* *Aquiaductib.* *Cloacis.* Et de *Domibus privatis.* &c.

De Ædificiis publicis lege quoque politicam *Schonborneri Cap.* XIV. XV. *lib.* I.

ADMONITIONIS.

PAucis monitos vos velim. Sedulo moneo, quæ possum, pro sapientia mea.

Stimulos exhortationis adhibere. Aculeis admonitionum aliquem pungere.

Urgere aliquem calcaribus. Bona voluntas non est agitanda calcaribus.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,

Respuit, atque odio verba monentis habet.

Imitamini virtutem, & enitimini, ne Ego meliores liberos sumpsisse videar quam genuisse. *Micipsa apud Sallust.*

Maximum est officium sapientiæ, ut verbis opera concordent. *Seneca.*

Ne pugna cum temporibus, & serva te ad meliora fata. sed sub tegmine & umbra semper modestæ virtutis. *Lips.*

Animi firmitate & cupiditatum diminutione verba rebus proba. *Seneca.*

Solum illud fertile magis assiduo, ut sic dicam, vomere inverte, & ingenium tuum, mi adolescens, in omnia validum semper exerce. Diligentiam à te volo, diligentiam, nec eam cum impetu, sed stabili quodam animi tenore. *Lips.*

Oro a. te & exhortor excolere optimam indolem, & naturæ, ut sit dicam, agrum: quem Deus feracem optimarum artium & rerum donet. si industriæ aratro scindis, & semina scientiarum injicis, ut cepisti. Et jam adeo in eo es, ut metere incipias, & colligere laboris tui fructus. Qui tamen, ut bene maturescant, & quasi concoquantur: mihi haud displiceat solem Italiæ adhiberi. *Lipsius.*

Subsilire

Subsilire in cælum ex angulo licet. Exurge modò, & te quoque dignum finge Deo. *Seneca.*

Piscator ictus sapit. De iis qui commisso delicto agnoscunt & sapiunt.

Qui tollit censuram ex amicitia, pulcherrimum ejus usum tollit. *Lips.*

Thales rogatus, quid esset facile? Alterum ait admonere.

Omnes enim cum valemus, recta consilia ægrotis damus.

Admoneri bonus gaudet: pessimus quisque correptorem asperrimè patitur. *Senec.*

Descende in te, subtrahe ab circumfusis & externis, & oblectare cum interno illo Deo, qui in te vivit. ille, ille, melior ignis, nisi opprimes, exstinguere una flamma potest hæc omnia & lenta curarum. *Lips.*

Cave, ne quid labis aut maculæ trahas ex cæno juventutis maculosæ. Fuge illos, fuge, qui liberioris vitæ obtentu ad licentiam trahunt, quæ una janua & aditus ad omne scelus. *Lips.*

Mare, mare navigas, & id scopulosum. Cave, ne obhæreat alibi ista ratis. Cautè inter captatores homines ambula, te cela, linguam preme, omnia proba, etsi non probas. Certamen aut dissensus omnino tibi cavenda. Et ut feliciter hospitem agas, age servum. Et ne quid delibent ex eo obscænæ illæ aves: quamtumvis fama aut plumis blandiantur. *Idem in Cent. Epist.* 2.

Vetas me cælo interesse, hoc est, jubes me vivere capite demisso? major sum, & ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis: quod non aliter adspicio, quam vinculum libertati meæ circumdatum. *Seneca.*

ADVOCATI. Vide *Legum. Iuris. Convicii* in *Phil. Ictos &c.*

AN illud dignius in foro latrare, tribunal, sive aulam lambere, fastum in æquales, adulationem in

 superiores

ſuperiores exercere, quam ſapientiæ ſacrum colere? *Lips.*

Dum Siſyphi ſaxum aſſidue volvunt, ac ſexcentas leges eödem ſpiritu contexunt. Adjungamus his Dialecticos ac Sophiſtas hominum genus quovis ære Dodonæo loquacius. Adeo ut de lana caprina pertinaciſſimè digladientur. *Eraſ. in Moriâ.*

Inter iſtos, quos togatos vides, nulla pax eſt. alter in alterius exitium levi compendio ducitur. Nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt. felicem oderunt, infelicem contemnunt. majore gravantur, minori graves ſunt. diverſis ſtimulantur cupiditatibus. Omnia perdita ob levem voluptatem prædamque cupiunt. Non alia quam in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viventium pugnantiumque ferarum iſte conventus eſt. niſi quod illæ inter ſe placidæ ſint, morſuque ſimilium abſtinent, hi mutua laceratione ſatiantur. *Seneca de Ira.*

Advocati, qui profeſſoria lingua, non jus, aut verum in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectant. 2. *Hiſt.*

Lege *Schonborn.* in Politicis *lib.* 3. *cap.* 41.

Amelii vetus querela an ſcomma fuit, *Iuriſprudentiam multorum camelorum onus eſſe.* quid nunc dicam? Elephantos ab India adde, vix ferent. *Lipſius in Epiſt.*

Non e. Celſus veriſſimè ſcripſit, *bona conſcientia, ſed victoria litigantis eſt præmium.*

Nihil verò tam venale publicæ mercis quam advocatorum perfidia. 1. *Annal. Tac.*

Forum, advocationes, judicia fugere debemus, & omnia quæ exulcerant vitium. *Seneca.*

Carolus IX. in Gallia ſiſtendæ prurigini advocatorum vectigal juridicum excogitavit, ut quicunque litem ordiretur, deponeret in fiſcum regium duos aureos; recipiendos, ſi jure litigaſſe judicatus eſſet. ſin aliter, omittendos.

Advocati inimicitias quoque, accuſationes, odia & injurias fovent. 11. *Annal.*

Namque ut vis morborum pretia medentibus; ſic illi

illi fori tabes pecuniam adfert. 11. *Annal.*

Ipsa olim Cineia lex lata fuit, qua cavebatur, ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur. 13. *Annal.*

In Rabulam Forensem.

Ah! quoties damnat miseros sententia Cives,
Cum sentina fori sceptra forumque tenet.
Vertitur in prædam facilis Tutela Clientum,
Et res in lites Curaque crimen abit.
Non secus ac Tygris timidis irascitur agnis,
Cum stimulat ventrem longa minaxque fames.
Dii talem Batavis Rostris avertite pestem.
Et sacra Hyrcanis Tygribus Aula vacet.
Dic igitur quid causidicis civilia præstent
Officia, & magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant: sed, tunc, cum creditor audit,
Præcipuè, vel, si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus. Etc. Juvenal. Sat. VII.
Surgis tu pallidus Ajax
Dicturus dubia pro libertate bubulco
Iudice. rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ. de Gemoniis intellige. Ibidem.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus, & vas
Pelamydum: aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi:
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes in fœdere pragmaticorum. &c. Ibid.
Purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, & facie majoris vivere Census.
Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, post te an sit sella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paullus agebat
Sardonichè, atque ideo pluris, quàm Cossus agebat;

Quam Bassus. RARA *in tenui facundia panno.* Etc. Ibid.

Ægritudinis. Miseriæ. Doloris. *Vide* Morborum. Ægrotandi. Tristitiæ. Medicinæ.

Quam doleat cordi meo amici funus, dicere nequeo. Caperare frontem severitudine.

Aliquem odio enecare. Dolor ille sauciavit meum cor. Impietas hujus sæculi malè me habet. Eximere ex corpore omnes mœrorum maculas.

Crucior bolum tantum mihi ereptum è faucibus. In cruciatum abripi. Doloribus se macerare.

Mea ægritudo nullam admittit levationem. Adjungere ægritudini sedationem.

Miseriis obtorpescere. Miseriarum incendia excitare.

Qui amat, si eget, miserâ afficitur ærumnâ.

Malorum usus sensum mihi ademit.

Callum obduxit animo meo diuturna calamitatum consuetudo.

Occalluit jam animus diuturno malorum usu.

Nec tibi illud magis dividiæ est, quàm mihi hodiè fuit, *hoc est dolori.*

Ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimales.

Hæres vitæ me saturant; hæ mihi dividiæ & senio sunt. Ædes mihi sunt lamentareæ.

Ærumnis deformari. Decoquere crudum dolorem ratione.

Fortunæ nostræ magnum est vulnus. Exspectati gaudii ferre dispendium.

Rerum tuarum amaritudo me mordet.

Pacem ab Æsculapio petas. Nunquam quicquam meo animo fuit ægrius.

Vno labore absolvere ærumnas duas.

Ecastor lege durâ vivunt mulieres, multoque iniquiore miseriâ, quàm Viri.

Soli & Lunæ miserias suas narrare.

Ego tuo mærore maceror, macesco, consenesco, &

& tabesco miser. Ita amburet misero ei corculum Carbunculus.

Hæc res mihi pectore & corde dura est.

Adimit animam mihi ægritudo. Hic Homo *sinapi victitat:* hoc est, sic tetricus & tristis est. Cur hunc dolorem cineri ejus atque ossibus inussistis?

Dolor, dicitur à dolando: quod cor hominis edolet ac minuat.

Vt labor cum pluribus communicatus levior fit, sic etiam dolor. *Vt serenitas nautis gratior in tempestate advenit:* sic lugenti *amico amicus.* Lips.

Ad fauces Orci destitutus mihi hos menses fuisse videor. *Idem.*

Circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras
Promptius expediam, quot amaverit Hippia machos.
Quot Themison ægros autumno occiderit uno
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus.
Pupillos; Quot longa viros exorbeat uno
Maura die; Quot discipulos inclinet Amillus.
&c. Iuvenal. Sat. x.

Socrates rogatus, quomodò quis vitam tristitiâ vacuam degeret? respondit fieri non posse, ut qui in civitate aut familiâ habitat, & cum hominibus conversatur, non aliquando tristetur.

Chrysippus dicebat, sapientem quidem dolere, non torqueri & demisso reddi animo.

Epictetus interrogatus, quomodò expellendus esset dolor, respondit: *quæ futura sunt, sic æstima, ac si jam accidissent.*

Non sum tam demens, ut ægrotare cupiam. sed si ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effeminatè faciam, optabo. *Seneca.*

Pallida pestifero pestis grassata veneno,
Stravit humi mortale genus.
Cum pestis penetrat flammantibus inguina telis.
Pestis Lethæas depellit ad inguina glandes.
Præludia mortis. Sidera dispensant morbos. Mantuan.
Pestifer annus Humano generi incubuit, Petrarcha.

 Iam

Iam tua carnifices populantur corpora morbi. Hessus.
Et laxata manus, plantas nodosa tumentes
Nobilium morbus, Medicos risura Podagra.
Improba mordaci serpens prurigine Lepra.
Et caput involvens nebulis Lethargica moles,
Ferreus & medica sopor incurabilis arte.
Aspera pulmonem tussis quatit. Mantuanus. Silius.
Sic quib. intumuit suffusa venter ab unda
Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ. Ovid.
Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor. Horat.

Magnus me agitat morbus.

De vento caput condoluit. Cubare in morbo.

Aqua intercus illum tenet. Podagrosis esse pedibus.

Valetudo huc usque à me dissentit.

Bonæ valetudinis esse compotem. Cum valetudine in gratiam redire.

Senectus ipsa morbus est. Cum arderet podagræ doloribus. Cum truculentissimo hoste res mihi est. vis nomen ejus scire? Calculus ei nomen est, Phalaride & Mecæntio crudelior. *Eras.*

Delectu dapum restauranda est valetudo. Nullam jucunditatem tristis morbi sensus admittit.

Dolorem ventris manuum compressione sedare. *Symmais.*

Gravedo profluit. Calculi dolor me lancinat.

Tanquam in Equuleo me exercet calculi carnificina.

In decimum diem graviter ex intestinis laboro.

Cum ego me non bellè haberem. Ventris profluvium me arripuit.

Animum morbis perturbare. Collapsam valetudinem resarcire.

Ægritudinis illo morsu succumbit. Valetudo effusione sanguinis est sauciata.

Omnium membrorum doloribus obsideri. Ad fau-

ces

ces orci destitutus mihi hos menses videor fuisse. Valetudo mea magis varia quam Panthera. *Lips.*

Valetudo tenuis fili me ligat. A Fati limine paucos pedes abfuit. *Idem.*

Concussiuncula hæc satis vehemens fuit, & mei penè evertendi.

Meliusculè, sed ambiguè valeo, & dies imò horæ alternant. Ipse æger, & medicorum sententia jam diu funus. *Lips.*

Curatio processit ad scalpellum. Febris non levatur; sed æquè concitata continuat. *Idem.*

Febris habet circuitum, hoc est, *si tertio aut quarto die revertatur.* Facilè omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus. *Terent.*

Nam jam, quasi zona, liene cinctus ambulo. Geminos in ventre habere videor filios. *Plaut.*

Nihil metuo, nisi me medius disrumpat miser. Huic morbo Æsculapius destinabatur.

Sicut Junonia avis, ubi colorem & plumas circumspexit, sibi placet & fidit, dejicitur cum ad pedes se dejicit. Tale est mihi, animo valeo & præfido, languesco cum ad exteriorem hominem me converto. *Lipsius.*

Sum adhuc in valetudinario & ut lumen quod exstinguitur flammulas interdum jacet, sic mihi fieri videtur. Velut resurgo interdum & exorior, sed fortasse lapsurus. *Lipsius.*

Lien necat, renes dolent, pulmones distrahuntur, cruciatur jecur, radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent, hoc est, intestina.

Spiramenta faucium libera, nihil jam stridulum sonant.

Ut Deus, sic Medici ab omnibus postremò cognoscuntur: etenim non nisi in extrema necessitate coluntur.

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
Vir medicus enim aliorum instar multorum est.
Miserandaque venit.
Arboribusque satisque lues & lethifer annus.

Linque-

Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant.
Corpora. Ovid.
Pestis & ira Deûm Stygiis sese extulit undis. Virg.
Eripit interdum modò dat Medicina salutem.
Impediunt certam medicamina crebra salutem.
. *Sed immedicabile vulnus*
Ense rescindendum, ne pars syncera trahatur.
Principiis obsta, serò Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Hadrianus Imp. Medicinæ studiosissimus fuit, & fortasse plus satis. proindè sepulchro incidi voluit: Turba Medicorum perdidit Cæsarem.

Herculana Scabies. Id est, scabies curatu difficilis, cujus sanatio Herculana balnea desiderat. Minerva enim Herculi multa lavacra aperuit, ad refocillationem laborum.

Alphonsus interrogatus cur podagrici loquaciores cæteris essent? *Resp.* Podagricos pedum vitio afflictos ambulare non posse: ideoque linguâ velut ambulatione quadam eos crebrius uti solere.

Seneca: Gravissima infamia est Medici, opus quærere. Multi quos auxerant morbos & irritaverant, ut majore gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.

Medicum ajunt, cum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leviter fovet, scalpellum Spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem quia non expectavit, dolorem tulit.

In malum medicum.

Vt valeant homines totiesque à morte resurgant,
Nil Æsculapii hic pollet in arte labor.
Has curas relinque Deo: qui reddere vitam
In desperatis rebus opemque potest.
Non homini est virtus punctum brevis addere vitæ:
Respicit hæc solum cura laborque Deum.
Vah! pudeat medica spem tantum ponere in arte,
Qui propriis medici nolumus esse malis.

Econtra

Econtra, qui frigidæ sunt humentisque naturæ, ut opifices sedentarii, quique umbraticam vitam amplectuntur, mephitim quandam exhalant, atque animæ graveolentiam. Cum enim humorum collectiones ob caloris nativi penuriam non concoquant, nec vapores exercitatione discutiant, necesse est, hujusmodi corporibus magnam inesse putredinem, indeque tristes odores atque insuaves halitus promanare.

L. Lemmius de Honesto An. & corp. Oblect.

AERIS. Vide *Cæli. Aquarum. Terræ. Ignis. Venti. Tempest.* &c.

Spatium, quod separat æthere terram. Lucanus.
Cui fundit ab antris Æolus armatas hyemes. Claudian.
Emitte profundis Æolias antris animas. Mantuan.
Æolii sæva agmina Carceris horret. Statius.
Ventosi ceciderunt murmuris auræ. Virgil.
Nubivagi meatus. Silius.
Et fratres Boreas cælo dum nactus aperto.
Astræi turbant & eunt in prælia fratres. Ovid.
Iter liquidum. Pendentesque viæ.
Linquentes campos aëris.
Attentare vias volucrum.

Vide plura in Parnasso & ipsis Poëtarum fontibus.

AER est elementum moderatè calidum & humidissimum, complens omnem locum nullo alio corpore repletum. *Arist. lib. 2. de gen. cap. 3.*

De AERE consule *Fatid. lib. 3. Fatid. Parentis p. m.*

ÆRIS ALIENI. Vide *Pecunia.*

Versuram facere. In æs alienum incidere. Æs alienum conflare.

Laborare ex ære alieno. Non esse solvendo. Æs alienum multiplicare.

Facere æs alienum. Obæratum esse. Exire ære alieno. Dissolvere æs alienum.

Conficere cum aliquo rationes.

Argenti nobis facta est gratia. Nondum animam debeo.

debeo. Opus mihi est viginti minis celeriter calidis. *Plaut.*

Pro alieno ære se devovit emptori. Æris alieni aliquantulum est relictum.

Res eos jam pridem, fides deficere nuper cœpit. *Cic.*

Illic enim stat acerbus super caput creditor, qui nullum diem gratu occidere patiatur. Seneca.

Repetundarum accusantur, qui in officio constituti, pecuniam acceperunt, ut officium impertiantur, quod gratis præstari oportuit. Tales interdum exilio, interdum quadruplo, triplo, duplo puniuntur.

Residuorum solent accusari, qui pecuniam publicam sibi concreditam in alios, quàm oportuit usus consumpserunt, & qui eam, quæ ex publicis rationibus apud ipsos remansit, non restituerunt. Hujus criminis damnati amplius tertia, quam debent, parte puniuntur, *ex L. Iulia de Residuis.*

Au prester Ange, au rendre Diable.

ÆSTIMANDI, *Pretii. Ponderandi.* Vide *Pecuniæ. Divit.*

Minoris pendo tergum illorum, quam meum.
Flocci aliquem æstimare. Fac pretium.
Non hoc de nihilo est. Ponere multum in aliqua re.
Mea opera parvi tibi est pretii. Magno ære rem aliquam censere.

Aurichalco contrà non carum fuit meum mendacium. Credibile non est quantum in tua prudentia & fide ponam.

Pretium conficere emptioni.

Quid ponderis habeat pignorum commendatio apud eum, qui suos diligit?

Sperno divitias, quibus impotens hominum libido pretium imponit.

Vel aurum contrà pendo. Remittere aliquid de æstimatione.

Qui ipsus se contemnit in eo indoles industriæ est.

Iam

Iam mihi auro contrà conſtat Filius.

Nantiſſa obſonia vincit. Mantiſſa eſt appendix, ſive additamentum, quod merci appenſæ & numeratæ ſuperpondii loco manu adjicitur. uſus hoc Lucilius in Satyris. Quaſi diceres Spicilegium melius eſſe tota meſſe.

ÆSTATIS. Vide *Veris*. Hyem. Aut. Temp.

Cum terra ardore dehiſcunt, & cum ſole novo denſa tori entur ariſta.

Cum calet & medio ſol eſt altiſſimus orbe.

Cum ſitiunt herba & pecori gratior umbra eſt.

Cum ardens æſtas Phœbais ignibus agros ſcindit.

Vbi denſa Ceres campo multicolore nitet. Cum variis ſe prata coloribus ornant.

Cum ſiccas inſana Canicula meſſes decoquit. Cum lethiferos accendit Syrius agros.

Vbi pulſam Hyemem Sol aureus egit ſub orbem, cœlumque æſtiva luce recluſit.

Tempore, quo ſiccos Cancer adurit agros.

Cum paragunt Cancri ſydera ſolis equi: Cumque Ceres curva falce reſecta cadit.

Solarium locus eſt, ubi homines apricari ſolent. Fiebat enim in ædibus ad excipiendam auram & vaporem ſolis, unde & *Heliocaminus* quaſi ſolis vaporarium dicebatur. Alii putant tectum quoddam fuiſſe planum & ſubdivale. *Turneb.*

Æſtas anni erat & ſumma ac pene perpetua cæli flagrantia: inde aſſiduis flammis adúſta arva triſtiori enituerant facie. & ſata velut igneo decocta fomite flavo nimis & penè areſcenti, ut ſic dicam, crine paſſim apparebant. Iam lymphæ quoque exili venula per lapillos fluere ceperant: ipſaque adeo flumina difficili & lento fluxu iter explicabant. &, quod ille ait:

Per notas ibant morientia ripas.

Vide plura in initio *Ioh. VVoveri*, de umbra, libello doctiſſimo.

Æthiopiam

Æthiopiam ferventissimam esse, indicat hominum adustus color. Saxa velut igni fervescunt, non tantum medio, sed inclinato die: ardens pulvis, nec humani vestigii patiens. argentum replumbatur: signorum coagmenta solvuntur. nullam materiæ superadornatæ manet operimentum. *Seneca.*

ÆTATIS. Vide *Vita. Temporis. Annorum. Senecta.*

MEdia est mulieris ætas. Defloccatus senex, id est, calvus.

Sapere isthac ætate oportet capite candido. *Plaut.*
Iam plenus ætate animaque fœtida. Excessit ex Ephebis. ἡβῶν pubes. *Terent.*

Excessit mihi ætas ex magisterio tuo. Longinquitas ætatis obstat. Ætas jam à diurnis laboribus devexa ad ostium.

A parvulo; à teneris; à puero; ab unguiculis; à lacte materno; ab ineunte ætate; à vitæ exordio; à conceptæ lucis usura; A tyrocinio juventutis; ab uberibus maternis; à prima balbutie, &c. *Ciceroniana.*

Mea ætas est declivis in senium. Ætate confectum esse. Totis quatuor lustris Callionem præcedebat. *Barclajus.*

Vbi hoc caput colorem commutavit. Ne primùm sapere discas, ubi capillus sit versipellis. *Plaut.*

Plus annis triginta natus sum.

Triduo non interest ætatis, uter major fiet; verum ingenium plus triginta annis majus est, quam alteri. *Plaut.*

Egregia puella octoginta annorum. Anni sedecim, Flos ipse. *Erasmus.*

Senectus Insanabilis morbus est. Quid est enim turpius, quam senex vivere semper incipiens? *Seneca.*

Devirginati dicuntur pueri, cum ex Ephebis decesserunt. Sic *Rosa Virgines*, intactæ.

Media ætas, ut tradit *Celsus*, tutissima est, quæ neque

neque juventæ calore, neque senectutis frigore infestatur. *Media ætas* est inter 30. & 40: quam Avicenna ætatem pulchritudinis vocat.

Ingravescit ætas. Esse ætate senecta.

Hesiodum ferunt posito senio in virides annos rediisse.

Crudam Senectutem fovere. Et ecce jam anni graviores & cani me incipiunt spargere.

Ego senesco & caput meum nives spargunt. *Plaut.* Suæ senectuti acriorem hyemem parat. *Idem.*

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaque
Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu
Quo sane populus numurabilis, &c.
Postquam cepit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius, festis impune diebus,
Accessit numerusque modisque licentia major.

Horat. in Arte Poët.

Tam venerabile erat præcedere quatuor annis.
Primaque par adeo sacra lanugo senectæ.
Nunc si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem.
Prodigiosa fides, & Thuscis digna libellis.
Quaque coronata lustrari debeat agna.

Iuvenal. Sat. 13.

Ludovicus Hungariæ Rex, vix egressus cunabulis adolevit, in prætexta barbam, ante duodevigesimum canos emisit.

Hermogenes Sophista in pueritia senem, in senectute puerum egisse dicitur. Singularum ætatum mores vide in *Theatro Ingenii Humani Cap. 6.*

Charior est auro Iuvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

Hesiodia senectus. De natu admodum grandibus.

Supra Catalogum. De extremo senio confectis. Facies tua computat annos. *Iuvenalis.*

Dum nova lanugo est. Addiderant annos ad duo lustra duos.

Ad

Ad decimum ternos adjunxerat annos. Primæ lanuginis anni.

Nondum roseis venit umbra genis. Dum lanugo primo flore opacat genas.

Jucundum cum ætas florida ver ageret. Viridique genas spectabilis ævo.

Bis octonis integer annis. Et suberat flavæ jam nova barba Comæ.

Tempore quo primùm vestis mihi tradita pura est.

Ter senos adoleverat annos. Discedit volucri passu formosa juventus.

Quid mollem pateris luxu torpore juventam?

Postquam lasciva cecidit color ille juventæ.

Primævo flore juventæ insignis. Quibus integer ævi sanguis, solideque suo stant robore vires.

Ætas inter juvenemque senemque. Vbi jam firmata Virum te fecerit ætas.

Robustis adolescens viribus ætas. Posito fervore Juventæ Maturus.

Temperie medius. Me strenua sustinet ætas.

Animumque gerens curamque virilem. Sera & sapientior ætas.

Tremulo gradu venit ægra senectus. Tarda gelu sæclisque effæta senectus.

Tarda situ rebusque exhausta senectus. Venit properata malis inopina senectus.

Subeunt morbi tristisque senectus & labor. Cana nive tempora sparsus.

Tardus gravitate senili. Ævo macieque senescit.

Mihi canities pulsis melioribus annis Venerat, antiquas miscueratque comas.

In rugas totus defluxit aniles. Frigent effœtæ in corpore vires.

Hic membris & mole valens, sed tarda trementi genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.

Cui plurima mento Canities inculta jacet.

Ætatu cruda Exempla, & senilem amorem & matrimonia vide *pag.* 332, *cap.* 18. *lib.* 2. Fatidicorum Parentis mei.

Heu;

Heu! ubi ego ſum? quatuor luſtris minor cæcutio. & niſi vitrea auxilia ſublevent, vix legam aut ſcribam. *Lipſ.*

Veſicæ te dolor inquietavit. Epulæ fuerunt parum dulces. quid tu, neſciebas hæc te optare, cum optares Senectutem? Omnia iſta in longa vita ſunt, quomodo in longa via & pulvis, & lutum, & pluvia. *Seneca 12. Epiſt.*

Cruda Deo viridiſque ſenectus.

Vires ultra ſortemque Senectæ. Virg.

Ætatis aureæ deſcriptiones apud Senecam in Hippolyto.

Nullus his auri fuit
Cæcus cupido. nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.
Nondum ſecabant credula pontum rates.
Sua quiſque norat maria. non vaſto aggere
Crebraque turre cinxerant urbes latus.
Non arma ſæva miles aptabat manu.
Nec torta clufas fregerat ſaxo gravi
Baliſta portas. Etc. Actu 2. ſect. 2.

Horatius lib. Epod. Od. 19.

Reddit ubi Cererem Tellus inarata quotannis,
Et imputata floret uſque vinea
Mella cava manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante limpha deſilit pede.
Illic injuſſa veniunt ad mulctra capellæ,
Nec veſpertinus circum gemit urſus ovile, Etc.

Virgilius.

Ecloga IV.

Incipient magni procedere menſes,
Iam redit & virgo, redeunt Sat. regna.
Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas.
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella. Etc.

Ovidius.

Aurea prima ſata eſt ætas: quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat.
Pæna metuſque aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur &c. lib. 1. Metamorph. Fab. 3. & 4.

Cum

Cum frigida parvas
Præberet spelunca domos, ignemque laremque
Et pecus, & dominos communi clauderet umbra:
Sylvestrem montana torum cum sterneret uxor,
Frondibus, & culmo vicinarumque ferarum
Pellibus.
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, Cæloque recenti
Vivebant homines: qui rupto robore nati
Compositique luto nullos habuere parentes.
Sub Iove nondum.
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viveret horto. &c.
Iuvenal. Sat. VI.
Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces. omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos. &c.
Virgil. Ecl. IV.

AFFABILITATIS. Vide *Salutandi.*
Amicitia.

IVbeo te salvere voce summa, quoad vires valent.
Multam alicui salutem dicere. Salus vobis saluti esse velit.
Porrigere alicui ad salutem brachia.
Propino tibi salutem plenis faucibus.
Salutem tibi ac sodali solidam nuncio. Adscribere alicui salutem.
Articulose alicui salutem dicere. Salutationis munere aliquem impertire.
Circa aliquem salutationis honore perfungi. Salutationis vicem alicui reddere.
Non temerarium est, ubi dives blandè appellat pauperem.

En fictum hominem, ut manum injicit benigne.
Quid tu ridiculi causa me sic salutas?
Favoris tui aura suaviter mihi adhuc adspirat.
Illum Gratiæ finxerunt, lepores Attici educarunt. *Lips.*

Antalcidas rogatus à quodam, quo pacto quis maximè placere possit hominibus? *Si, inquit, loquatur illis jucundissima.*

Antiqui Mercurium cum Venere in eodem templo soliti dedicare: quid, nisi significantes, sermonem & blanditiam conciliatritem esse amoris? *Lips.*

Bella est elegantia, & comitas istorum morum: quis nescit aut negat? sed sapientia si adjungitur ejus mater aut proles modestia, quantum decus accedit? sicut auro à gemma. *Lips.*

Difficile est dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis.

Affinitatis. *Cognationis.* Vide *Prosapia.*

Cognatio est cohærentia quædam personarum, quæ per generationem contracta ex eodem sanguine constat, cujus communione altera alteri conjuncta est.

Linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, contigens gradus & distinguens cognationes.

Gradus est transitus de proximo in proximum, & quot sunt transitus in remotiorem, tot sunt gradus. Vel quot generationes tot gradus. Gradus sunt *Descendentes*, *Ascendentes*, *Collaterales*. Sub *Ascendente* sunt Parentes, Avus, Proavus, Attavus, Tritavus, &c. Sub *Collaterali*. Agnati & Cognati. Frater, soror, patruus, matertera. Sub *Descendente* Filius, nepos, & qui infra seriatim succedunt.

Agnati per virilem sexum cognatione juncti. *Affines* sunt viro, Cognati uxoris. *Cognatus* est consanguineus. *Gentiles*, qui ab eadem linea sunt. *Filius naturalis*, Filius legitimus est. *Spurius*, qui incerto patre natus.

natus *Filius incestus*, qui ex damnato
Parthenius, Filius qui à Virgine non nupta
Filius abdicatus, qui ob flagitia rejectus
Filio filiave natus. *Frater uterinus*, qui ab
matre. *Avunculus magnus*, est aviæ frater. *Avunculus major*, proaviæ frater. *Avunculus maximus*, Abaviæ frater. Sic de *Patruo magno, maj. max. Amita* patris soror. *Matertera matris* soror *Proavus*, avi pater. *Abavus*, proavi pater. *Pronepos*, Nepotis Filius. *Amita magna*, *Proamita*, avi paterni soror. *Matruelis*, Filius vel filia fratris meæ matris. *Patrueles*, è duobus Fratribus nati. *Consobrini*, quasi consorini, duarum Sororum Filii. *Amitini*, Fratrum & sororum Filii. *Privignus*, *privigna*, liberi, qui Vitricum vel Novercam habent. *Levir*, mariti frater. *Fratria*, uxor fratris mei. *Gener*, maritus Filiæ. *Socer*, uxoris pater. *Socrus*, uxoris mater, *Nurus*, Filii uxor. *Ianitrices*, duorum Fratrum uxores. *Consoceri*, quorum liberi conjugio inter se juncti.

Consule *Had. Iunii* Nomenclatorem. Et Ictorum arborem, diffusam in suos Ramos.

Hic inseratur Tabula.

AGRI, *Arandi Agricultura.* Vide *Hortorum. Vita Rustica. Montis. Loc.*

FVndum alienum arat, incultum familiarem deserit. *Plaut.*

Rus abscedit, huc rarò in urbem commeat. Terræ sulcum altius imprimere.

Ager optimos & grandiores fœtus edit. Fascibus aratra permutavit.

Exercere culturas. Arridet nobis Vindemiæ libertas.

Nobis est segetis magna opimitas. Negotiis rusticis immorari.

Arboribus inserendis operam dare, & ducendis vitibus.

Rubigo

Rubigo segetibus obfuit, & avena fruges necavit. Se exercere in opere rustico. Ruri opus facere.

Rusticæ vitæ descriptionem. Vide apud *Senecam in Hippol.* in Actu 2. sect. 2. ubi sic orditur:

Calibem vitam probet
Sterilis juventus, hoc erit, quicquid vides,
Vnius avi turba, & in semet ruet.
Non alia magis est libera & vitio carens
Ritusque melius vita qua priscos colat,
Quam qua, relictis manibus, sylvas amet.
Non illum avara mentis inflammat furor.
Qui se dicavit montium insontem jugis. Etc.

Et Nobiliss. HORATI oda 2. lib. Epod. in *laudem vita Rustica*:

De fertilitate Regni Neapolitani *Camerarius agit. Cent.* I. *Cap.* 85.

Laudem vitæ rusticæ apud *Horat. Sat. x. Epist. lib.* I.

Et quare rustica vita præferenda Urbanæ *lib.* I. *Epist. Sat.* XIV. *Horat.*

Vita rustica consanguinea sapientiæ est. *Varro.* Villici arant, seminant, occant, putant, pastinant, messant, metunt, vindemiant, pascunt, tondent, venantur; piscantur.

Degere in rurestri portu procul ab undoso urbium mari. Lips. Malo versari in agri cespite, quàm in fori silice. *Apul.*

Delphicum oraculum *Aglaum* quendam felicissimum prædicavit, quod in Arcadia parvum prædium colens nunquam hoc egressus esset.

Virgilius fortunatos, *Horatius* beatos appellat.

Sed miseri homines, tam altum de agricultura sapientes, ignorant hunc esse effectum peccati.

Quem non delectet tam varius cultus & adspectus magnæ matris? *Lips.*

Pales pabuli Dea censetur, aliis Dea pastorum & pecoris, à pascendo nomen adepta, sive à pariendo, quasi *Parens* sit. Ejus etiam feriæ *Parilia* & *Palilia* dicebantur.

Quis viros & vires unquam in oppidis quæsivit?

Vetus illud verum in omni ævo & gente. *Optimum militem legi ex agris. Parthi* olim bello potentes; sed sparsi in agris. *Scythæ*, sed in tuguriis oberrantes. *Germani*, sed priusquam urbes coluissent. *Turcæ* hodie, sed nimium dediti amœnitatibus oppidorum. Nam *Romanos* tibi quid ingeram. *Curios* & *Fabricios* nosti occantes, serentes. *Quintios* arantes & *Dictaturam* induentes.

Manè surrexisti? ad Musicam quidem, & circumsonant te & velut salutant chori illi alitum suaviter fritillantium, trutilantium, ad quos non æquiparent se tibiæ, cytharæ, aut ex arte ullus cantus.

In hortum prospexisti? oculorum aciem tibi perstringet illa ipsa nocte exortum agmen florum. In pratum? occurrent vere novo arbores odora quadam & cana nive persperfæ. Insitiones mirabere & matrimonia, adulteria etiam & suppositos fœtus, inscia matre nec invitâ. Adde ad illa commoda agnum aut hædum è stabulo & tot dapes ineptôs. Hæc *Lipsius* in prima Cent. Epist. 8.

Scitum illud *Themistoclis*, qui cum fundum venderet, præconem jussit proclamare: γείτονα χρηστὸν ἔχει. hoc est, vicinum bonum habet. Tanquam ex vicini bonitate ager vendibilior sit.

Ossaque post tergum magnæ jactate parentis.

Magna parens terra est. Nota est historia de Bruto, qui Tellurem magnam Matrem suam osculabatur.

Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset.
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.

Ovid. in Fastis.

Cespes vivus. Est focus. *Cespitium* tribunal Duci veteres in castris excitabãt, unde ad milites verba faciebat.

Ita *Cespititiam aram* rustici excitabant & focum. Horat.

Posit usque carbo in cespite vivo.

Tu Cespite. vivo pone Focum. Ubi deerat sc. altare Cespititiam aram exstruebant.

Non impendebant cælata laquearia; sed in aperto jacentes sidera superlabebantur & insigne spectaculum

lum noctium, mundus in praeceps agebatur, silentio tantum opus ducens. tam interdiu illis, quàm noctu patebat prospectus hujus pulcherrimae domus. *Seneca in Epist.*

Quid ni juvaret vagari inter tam latè sparsa miracula? *Ibid.*

Non habebant domus instar urbium. Spiritus ac liber inter aperta flatus. & levis umbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes rivique non opere, nec fistula, nec ullo coacta itinere obsolefacti, sed sponte currentes. & prata sine arte formosa. Inter haec agreste domicilium, rustica positum manu. *Ibidem.*

ALEÆ. Vide *Ludorum.*

Simul atque strepitum tesserarum audiverint, protinus illis cor salit palpitatque *Eras. in Mor.*

Cum omnium facultatum naufragium fecerint, in aleae scopulum illisa nave *Ibid.*

Senes jam & caecutientes, vitreis etiam oculis lusitant? postremò cum jam justa Chiragra contudit articulos, vicarium etiam mercede conducunt, qui pro se talos in pyrgum mittat. *Ibidem in Moria.*

Ludere doctior
Seu Graeco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Horat. Ode XXIV. lib. 3.

Egregiè *Alexander*; qui hominem, solo oris halitu, cicera minutissima, ex magno intervallo, in acum certissimè infigentem, cicerum modio donari voluit. Eodem modo istas aleatorum officinas, circulatores, pantomimos & funambulos & Italiis, in Gallias, & inde in Belgium inundantes, jam pridem fugassemus.

Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae; posita sed luditur arca.
Praelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! Simplexne furor sestertia centum
Perdere & horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem

Secretò canavit avus? Etc. Iuvenal. Satyra. I.

ALLOQUII. *Verborum*. Vide Eloquentiæ. *Literarum*, &c.

CErebrum mihi excutiunt tua verba. Lapides loqueris.

Cædere ſermonem cum aliquo. Sermonem cum aliquo copulare.

Graviſſima verba ex intimo Eloquentiæ artificio depromere.

Sermonem in anguſtias & Stoicorum dumeta cogere.

Ariſtoteles aureum eruditionis flumen dicitur effudiſſe. Mellifluam Linguæ Suadam adhibere.

Mellea verba loqui. Floſculos ſermonum uſurpare. Nectar Verborum fundere.

Exornare orationem multo lepore atque elegantia

Oratio ipſius lucernam olet. Perplexè loqui.

Utinam quæ tu dicis, dicta factis ſuppetant. Nunquam cuiquam noſtrum verbum facit. Ecquid tinniunt tibi aures mi Duoſa? *Lipſ.*

Eſt oratoris proprium, aptè, diſtinctè, ornatèque dicere.

Ex Platonis quaſi quodam ſancto auguſtoque fonte noſtra omnis manabit oratio.

Refrigeratus de iſthac re ſermo.

ALTERCANDI. *Litium*. Vide *Moroſitatis*. *Diſput*.

VElitari labris. Contrahere cum aliquo litigium.

Incidere in pugnam Verborum. Diſcordare inter ſe ſermonibus. Litem alicui intendere.

Digladiari inter ſe ſermonibus.

Nunquam hodie tecum commutaturus eſt pater unum verbum.

Nunc impendet ſumma inter eos contentio. Iurgium hinc auferas, ſi ſapis.

Ut iſti de luto litigant! Arbiter ſuperior diſputat rectius.

Ptolemaica

Ptolemaica lis. Vetula quædam fuit, quæ ad extremum usque spiritum lites persequendo nunquam iis se expedire voluit.

Altercari pars est Rhetoricæ Disciplinæ. Præcipit Quintilianus *ut bonus altercator vitio iracundiæ careat, & ne turbidus & clamosus sit.*

Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβην βλάβη.
Lis litem parit, noxa noxam parit.

Parnus ob amissam naviculam cum obviis quibusque litigabat. Hinc *adagium:* Disceptare scaphulam.

Hyperbolus fuit mirum in modum appetens litium. Hinc *adagium: ultra Hyperbolum.*

Laurentius Valla maledicus in omnes fuit, contra ipsam denique religionem latravit. Ex quo defuncto non defuit, qui hujusmodi distichon jactaret:

Ohe! ut Valla silet, solitus qui parcere nulli:
Si quæris quid agat, nunc quoque mordet humum.

Litem suam facere. Dicitur de judice nec solùm de eo, qui malè judicat; sed qui qua hora judicare debebat, ad comitium non veniebat.

Litis contestatio est quasi contractus quidam, quo se uterque litigantium obligat alteri in id, quod judicis sententia constituetur.

AMBITIONIS. Vide *Honoris. Laudandi. Invidiæ. Cupiendi. Gloriæ. Magnanimitatis.*

AMbitio jam more sancta est, libera est à legibus.

Complures scelere se contaminârunt imperii cupiditate.

Quotusquisque est quem avi sui non pudeat? cui non est propesutrina vel pedum? pace tua dixero, sæpe de sterquilinio surgunt, & vixdum lotis manibus rerum publicarum negotia tractant. *Lips.*

Veluti licitatione facta sanctissimæ dignitatis fastigium ascendere.

Ambitus magnas mentes occupavit, plurimas libido, otium denique & ignavia penè omnia collegia pertentavit: in quibus inertes fuci languidis voluptatibus desident.

Non me interpellat insatiabilis cretatæ Ambitionis cupiditas, non spes honoris improba perturbat; non metus effundendæ popularis auræ sollicitat.

O quàm ridiculi sunt mortalium termini. Ultra Istrum Dacus non exeat. Strymo Thracas includat. Parthis obstet Euphrates. Danubius Sarmatica ac Romana disterminet. Rhenus Germaniæ modum faciat. Pyrenæus medium inter Gallias & Hispanias jugum extollat. Inter Ægyptum & Æthiopiam arenarum inculta vastitas jaceat. *Seneca.*

Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? *Idem.*

Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. magisque vultum, quam ingenium bonum habere. *Sallust.*

Primò magis ambitio, quàm avaritia animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. *Idem.*

Bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certabant, neque illis modestia, neque modus contentionis erat. utrique victoriam crudeliter exercebant. *Sallust.*

Ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit. *Idem.*

Decus, pudorem, corpus cuncta regno viliora habet ambitio. *Tac. Annal.* 12.

Alexander. M. cum inaudisset Anaxarchum de mundorum infinitate disserentem, illacrymatus est, cum se unius vix mundi Dominum doleret.

Erostratus Dianæ Ephesiæ templum incendit; *Pausanias* illustrium Virorum sanguine se polluit; *Caligula*, cum Virtute nullam laudem mereretur, sceleribus voluit innotescere.

Socrates animadvertens Antisthenem ambitiosius ostentare vestem laceram & detritam, facetè hominem increpavit, *οὐ παύσῃ, inquit, ἐγκαλλωπιζόμενος ἡμῖν*, Non desines te nobis comere?

Dominandi

Dominandi cupiditas rarò bonos habet eventus. *Thucyd. l. 6.*

Ægerrimè homines tolerant sibi à suis æqualibus ac familiaribus anteiri. *Dion lib. 41.*

Cupido regni est fratre & filia potior. *Tac. Annal. 12.*

Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
Prætexta, & trabea, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi:
Et tunicâ Iovis, & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa toga, magnaque Corona
Tantum orbem, quantò cervix non sufficit ulla.
Hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad fræna Quirites,
Defosso in loculis quos sportula fecit amicos.

Iuvenalis Satyra x.

Bellorum exuviæ, truncis affixa trapæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens
Et curtum temone jugum, victaque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcum
Humanis majora bonis creduntur. &c.

Iuvenal. Sat. x.

Quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano: Niloque admota tepenti
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque Elephantos
Additur Imperiis Hispania. Pyraneum
Transilit, opposuit natura Alpemque nivemque:
Diduxit scopulos, & mentem rupit aceto. Ibidem.

Iulius Cæsar. qui in Hispania cum Gades venisset, ibiq; amaginem Alexandri vidisset, in gemitum erupit: *heu, nihil etiam memorabile à me gestum in ætate, qua iste orbem terra vicit.*

Idem in Alpibus & cum comites tuguria & pauperes illos cœtus riderent: *atqui malim hic primus esse, quam Romæ secundus. Nolo secundus esse, vapula libertus.*

Ultra liberi Patris trophea constitimus, non quærimus orbem, sed amittimus. *Seneca.*

Ultra Oceanum rursus alia littora alius nascitur orbis. *Idem.*

Quippe vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, quæ cum imperii magnitudine adolescit. 2. *Histor.*

Themistocles, cum aliquando Theatrum peteret, interroganti cuidam, cujus vocem esset libentissimè auditurus? *Ejus*, inquit, *à quo laudes meæ optimè canerentur.*

Videtur Ambitio magni animi. Non est contenta honoribus annuis. Si fieri potest, uno nomine occupare fastos vult; per omnem orbem titulos disponere. *Seneca.*

De *Ambitu* agitur contra eos, qui pecunia & largitionibus honores, Sacerdotia & Magistratos ambiunt. Pœna est deportatio. Quanquam potius pecunia mulctentur, & Infamia notentur.

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga
Vt ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio? Horat.

Cupido dominandi omnibus affectibus potentior *Tac.* 15. *Annal.*

Orpheus ille vester Lugduni est, & invideo vobis hunc risum, partes has simulat & ambit professionem. Exambietne? non, si Batavos novi: in quibus, certè, plusculum, quam pro veteri verbo, auris est & oris. Euridice ejus etiam hic: & illa professionem. O Dousa vivis & Satyram non scribis? *Lipsius.*

Lubidinem dominandi, causam belli habere. maximam gloriam in maximo imperio habere. *Sallust.*

Natura mortalium avida imperii & præceps ad explendam cupidinem, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transversos egit. *Idem.*

Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere. mihi bene jam

ex

ex consuetudine in naturam facere vertit. *Idem.*

Cum ex æqualibus nonnulli ex Alexandro percontarentur, ad Olympicum nunquid stadium libens decertaret? Libens equidem, inquit, si decertaturos mecum reges sim habiturus. *Curt. lib.* 1.

Quoties à Philippo aut nobile quoddam captum oppidum, aut memorabili prælio parta victoria nunciabatur, haud magnopere lætabatur. Cæterùm ad suos ajebat æquales: *Omnia, ô pueri, genitor occupabit, ita ut ne vobiscum grande ullum ac insigne facinus ostentare mihi sit reliquum.* Curt. lib. 1.

Non ipsum ulla illecebrarum, aut pecuniæ, sed sola virtutis ac gloriæ cupido tenebat, quoque majores à patre facultates eò se minora gerere posse existimabat. Non opes, non deliciarum usus, verum certamina & pugnas ardebat. &c. *Ibidem.*

Eodem fere tempore *Philippus* Delphos misit, consulens de successore. responsum tale accepisse ferunt: Is demum tuo imperio, omnique orbe potietur, quemcunque Bucephalus sessorem passus fuerit.

Alexander verò, qualem, inquit, equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem uti nesciunt? cumque mira arte, sine verberibus equum tractasset, tandem conscensum ad cursum admisisset, tum calcibus usus est, ac molliter flexis habenis, quum equum reduxisset, descendentis caput exosculatus pater, emissis lacrymis. *Aliud*, inquit, *ô Fili tibi par regnum quære, quando te jam Macedonia non capit.* Curt. lib. 1.

Talem *Alexander* in eadem pugna se præstitit, ut non inferior patre, imo etiam nulli secundus extiterit. postea quoque, eam victoriam sibi invidia ac fraude patris præreptam fuisse conquestus sit. *Ibid.*

Gloriæ avaritia & insatiabilis cupido famæ nihil invium, nihil remotum videri sinit. *Curt. lib.* 9.

Sordent prima cum majora quæque sperantur. *Idem lib.* 10.

Ad nefanda scelera filis pestifera mortales impellere solet. *Fr. Guicciard. hist. lib.* 1.

Ut quisque suis finibus contentus vivat, ambitio non permittit. *Idem.*

Inviti, non ambientes in Rep. sunt collocandi. *Lamprid. in Severo.*

Vide plura in *Goulartii Hist. Philos.*

AMENTIÆ. *Stultitia.* Vide *Iræ.*

QUæ intemperiæ te agitant? Quæ oculis tuis oberrat Erynnis? Quæ oculis tuis objicitur Medusa?

Mulo es inscitior. Tu es lapide Silice stultior.

Ardent oculi, fune opus est. Atra bilis hominem agitat.

Deliramenta loqueris. Quæ te mala crux agitat? Plus occisam suem sapere puto, quàm istum hominem. *Plaut.*

Illi homini Helleboro est opus. Nunquam ego nisi hodie ad Bacchos veni in Bacchanal.

Effrenatus & præceps furor me agitat. Amens Furiarum castra sequitur.

Suum quemque scelus agitat, suus furor inflammat, conscientia terret. Das operam, ut cum ratione insanias. Qui cum insanis non insanit, is insanit.

Cescum habitas. Civitas est Pamphiliæ, stultis referta.

Traligatum pectus. Idem putat Doctiss. *Turnebus*, quod insanum pectus: ab his qui veneficiis ceu vinculis ligati videntur, & illecebris quibusdam velut defixi tenentur.

Fuit *Athenis* Homo, qui lampadem *Epicteti* volebat emere, hac ratione Philosophi se consequuturum eruditionem putabat. Sic & hodie multi exstarent non sic stipites, quin aliqua patrimonii sui portione Doctrinam, si auro esset venalis, emerent: sed πόνος ἀσκλείας πάτηρ. Omnia Dii labore vendunt.

Thrasyllas quidam Athenis fuit, qui sibi imaginabatur omnes naves quæ ibi in portum veniebant, suas esse. Redeuntes, abeuntes suo more salutabat. De mercibus, de lucro, de omnibus exactissimè percunctabatur. Rem benè auctam gaudebat; jacturam

familiari dolore persequebatur.

AMICITIÆ, *Familiaritatis.* Vide *Amicitia*, *paullò post.* *Inimicitiæ.* *Conjugii.*

Bis tanto inter nos erimus amici, quàm prius. Vtimur inter nos amore surreptitio.

Ego discrucior miser amore. Potissimus est, domi nostræ, & primas in amore possidet.

Audivi hærere illum in amore. Amor usque in pectus penetravit, & permadefecit meum cor.

Medullitus aliquem amare.

Intimum se facere apud aliquem. In familiaritatem alicujus penitius intrare.

Omnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitudinis. Arctissimo necessitudinis vinculo conjuncti sumus.

Pervenit ad summum amicitia nostra. O te magnum & stomachi mei Vatem! *Lipsius.*

Secum insolens novos amoris despuit igniculos.

Est iste mihi Discipulus tranquillus magis quàm mare.

Res amicos invenit. Cordi meo neminem habeo cariorem.

Multum valet communio sanguinis, magna vis humanitatis. *Cic.*

Ad conjungendas amicitias studiorum & naturæ similitudo magnam vim habet. *Cic.*

Solem è mundo tollit, qui amicitiam è familiaritate. *Lips.*

Quid amicitia melius? si in plures diffusa nimis, turbat, & quod utilissimum in vita est, tempus, eripit aut partitur. *Lipsius.*

Quæ tàm avida Parca, quæ vincula sanctissimi nostri amoris abrumpere non parcat?

Hoc memorabile est, ego tu sum, tu es ego, unius animi sumus.

O festus dies hominis, amice salve. *Plaut.*

Iucundissima est amicitia, quam morum similitudo conjugavit. *Cic.*

Salem & mensam ne prætereas: *hoc est, ne violes amicitiæ jura.* Sal *amicitiæ Symbolum fuit, durationis gratiâ.*

In felicem parietem inflectere. Amico ægrotanti medicus est oratio.

Amicus magis necessarius, quam ignis & aqua.

Plures adorant solem orientem, quàm occidentem, *hoc est*, juveni plus adhæremus, quàm seni.

Tales mihi sunt amici, qui utroque calculo utuntur, albo & nigro etiam cum opus est. nam laudare in promptu est, & sine labore peragitur: judicatio cum inventione, & peritia est, & virum quærit. *Lips.*

Detrahit amicitiæ majestatem suam, qui illam parat ad casum. *Seneca.*

Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide pariuntur. Quis a. amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? *Sallust.*

Obsequium in Principem & æmulandi amor, validior est, quam pœna ex legibus, & metus. 3. *Annal.*

Privati affectus à consultationibus publicis abesse debent, quod præclarè docet *Camerar. Cent.* I. *cap.* XXXIII.

Inter sanguineos inimicitiæ gravissimæ. *Camerarium vide Cent.* I. *Cap.* 92.

AMORIS. *Stulti, ridiculi.*

XErxes adeò arboris flagravit amore, ut illam osculari & amicè brachiis complecti soleret, & plus indè lætitiæ & suavitatis conceperit, quàm ex hominis commercio.

Talis etiam *Athenis* fuit, qui adeò statuæ marmoreæ amore incendebatur, ut nunquam ab eâ nisi cum lacrymis & dolore discesserit. Quod amplius, suæ illi amicæ coronam imposuit, pretiosas vestes induit: posteà sibi ipsi vitam ademit, cum ex decreto Atheniensium prohiberetur istum locum frequentare.

Rivalis, qui eundem amoris quasi rivum petit.

Rivalem possum non ego ferre Iovem.

Propriè sunt *rivales*, qui jus habent ex eodem rivo aquam petendi: ex quo sæpè rixa exoritur.

Hipparche olim, virgo nobilis, cum Cratetem Cynicum, id est mendicum, ultrò ambiret, & nuptias ejus vellet: ille in medio plurium coram virgine se revelavit & gibbum in dorso, & si quid aliud vitii ostendit; tum & baculum & peram & illas suas opes.

Aversa Venus. Concubitus puerilis & obscœnus & præposterus. M. *Cato* in hominem muliebria patientem: *Adversus*, inquit, *& aversus impudicus es. Præpostera* & *postica* quoque libido vocatur aversa illa Venus.

Plinius severiter & sanctè: in hominum genere maribus diverticula Veneris excogitata, omnia scelera naturæ. *Marobianus ait.*

Sed non ulla magis vires industria firmat;
Quàm Venerem & cæci stimulos avertere amoris.

Amor quid aliud, quàm flamma fertur? Exstinguitur lucerna amatoria, quandò vapore ætatis exstincto, libido commoritur, & omnis coloratæ juventutis igniculus tepidæ veternositatis algescit ingenio.

Albertus Magnus columbos ex eo appellari opinatur, quasi colentes lumbos. Hinc in Veneris tutela esse columbas, propter fœtum frequentem & coitum. Sic & passeres in famulitio Veneris sunt, quos constat esse libidinosissimos.

Amator habet in ore & pectore illud Plautinum: *ubi sum, ibi non sum; ubi non sum, ibi est animus meus.*

Quisquis in primo obstitit
Repulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recusat ferre, quod subiit, jugum.

Sen. in Hippol.

Quod ratio poscit, vincit ac regnat furor.

h. e. insanus amor. *Ibidem.*

Pectus insanum vapor
Amorque torret, intimas sævus vorat.

Penitus

Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus, & venis latens,
Vt agilis altas flamma percurrit trabes. Ibidem.
Suppostaque furto
Pasiphae, mistumque genus, prolesque biformis:
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefanda.
Virg. lib. VI. Æneid.

Pasiphae fuit Solis filia ex uxor Minois, quæ nefando Tauri amore deflagravit. Cum quo, beneficio Dædali, concubuit. intra vaccam ligneam conclusa & septa juvencæ Corio. Ex quo concubitu natus Minotaurus, medius homo, medius taurus.

Videsne languida illa & umbratica corpora, quæ rarus sol vidit, ventus non strinxit, aura tristior non libavit? tales mollium istorum & perpetim felicium animi sunt, quos dejiciet & resolvet minima adversantis Fortunæ aura. *Lipsius.*

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cum conjux viduata tædis
Ardet & odit.
Non ubi hibernos nebulosus imber
Auster advexit; properatque torrens
Ister, & junctos vetat esse pontes
Ac vagus errat.
Non ubi impellit Rhodanus profundum,
Aut ubi in rivos nivibus solutis
Sole jam forti, medioque vere
Tabuit Hæmus.
Cæcus est ignis stimulatus ira.
Nec regi curat, patiturve frænos.
Haud timet mortem. Cupit ire in ipsos
Obvius enses.
Seneca in Med. Choro Act. 3.

CHARITAS.

Inter tot sacras, quas scripsi carmine Nymphas,
Hæc etiam possit Nympha placere tibi.
Quæ fuco falsoque caret, tota æmula Divûm:

Quæ

Quæ nunc in terris, prô dolor! exul agit.
Sedibus athereis CHRISTO *desponsa triumphat:*
Hîc agit aternum gaudia Dia CHARIS.

Perithous, *Theseus.* Inter hos flagrantissimus fuit amor. qui duo ad rapiendam Proserpinam ad Inferos sunt profecti. Sed Perithous à Cerbero statim interemptus. Cui cum Theseus manum & auxilia vellet adferre, à Dite est detentus, & postea tamen ab Hercule liberatus & Superis restitutus. Lege *Ovid. de Trist. lib.* I. *Eleg.* IV.

Laodameja Acasti filia tanto amore Protesilaum virum suum amavit, ut, cum ab Hectore occisum cognovisset, superstes esse noluerit, priusquam tamen expiraret, in solatium mœroris optavit umbram mariti videre, qua visa, in illius amplexibus exspiravit.

AMORIS *in Parentes aliosque.*

ATys Filius Regis Crœsi, videns aliquem facere impetum in parentem, licet à nativitate mutus, exclamavit: *Cyre*, *Cyre* parce patri meo.

Si quis apud *Persas* in parentes commisisset crimen, dicebant hoc ab illegitimis factum esse, quia inauditum apud illos tale quid in parentes edi.

Scipio Africanus ideò Scipionis nomen accepit, quod patri senio confecto fulcrum & Scipio fuerit.

Plotina tonso capillo virum mentita, conjugem comitata est in exilium euntem, impavida, imperterrita, & quædam quasi virago tolerans ærumnas acerbas. γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιόν ἐστ' οἰκίας.

Consule officinam Textoris *Cap.* 3. *lib. v.*

Ibidem cap. VI. de parentum indulgentia erga liberos. & de Liberorum amore in parentes.

De amore Fratrum & Sororum. *Cap. x. Ibid.*

De Amore Conjugali agit *lib.* 4. *Cap.* VI. *Val. Max.*

Amor patrum in liberos *Val. Max. lib.* V. *Cap.* VII.

Tollere dulcem
Cogitat haredem, cariturus turture magno
Mullorumque jubis & captatore macello.

Iuvenal. Sat. VI.

Simul

Simul ipse loquaci
Gaudebit nido: viridem thoraca jubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum
Ad mensam, quoties parasitus venerit infans.
Idem Sat. v.

AMICITIÆ. *Favoris.* Vide *Amicitia.*
Familiaritatis. Vide & hic paullo ante.

ANimus meus Clavo Cupidinis apud te est fixus. Deperire aliquem amore. Amor & Cupido in pectus perfluit; Madent in corde parietes. *Plaut.*

Amoris poculum bibere. Utinam mihi esset æqua amoris pars tecum. *Terent.*

Devovere se amicitiæ alicujus. Sum ex summatibus tuorum amicorum.

Penetrali familiaritate aliquem dignari. Amicitiæ sacrarium alicui recludere.

Amoris poculum bibere. Quàm elegans formarum spectator sum.

Priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum. Verbum herclè verum est: Sine Cerere & Libero friget Venus.

Cultum amicitiæ cum bonis libenter exerceo. Meus in te cultus annosus est. Singulis vobis soliditas mei amoris accessit. Hærere alicui in medullis. Est mihi, ut scis, in amoribus.

Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine: si vis amari, ama. *Lips.*

Qui amat, cui odio est, bis facere stulte dico.

Obsequium animos, Veritas odium parit. Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu?

Uterque utrique est cordi. Amicorum fida debet esse sinceritas.

In retinendis amicitiis firma constantia. Potissimis amicorum annumerari.

Amicitiæ sinceritas magis fidem postulat, quam delinimenta sermonis.

Viget in eo vena fraterna. Crescere inter nos quotidie

tidie amoris debitum volo.

Semper in primore affectu te habeo. Adolescens multorum gratia viget.

O Virum corde mihi, non ab annis; sed à lustris amatum. *Lips.*

Quæso in hunc devergat libra amicitiæ tuæ, & favoris. *Lips.*

Fidei illo adamante sumus alligati. Animo illos indui, nec nisi Fato ex eo delendos. *Idem.*

Amicus in pectore, non in atrio quærendus est. *Seneca.*

Nisi mors meum animum abs te abalienaverit. *Odit verus amor nec patitur moras.* Horat.

Amicos incolumes cogitare, melle & placenta est frui. *Seneca.*

Nullum majus malum habet occupatus homo, & bonis suis obsessus, quàm quod amicos sibi putat, quibus ipse non est. *Seneca in Epist.*

Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum. *Ibidem.*

Diu cogita, an in amicitiam tibi aliquis recipiendus sit: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quàm tecum. *Ibidem.*

Nulla tanta possessio est, qua non amicus sit melior. *Xenophon.*

Quâ à Diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. *Cicero.*

Quæ potest esse jucunditas vitæ, sublatis amicitiis? *Idem.*

Solitudo & vita sine amicis, insidiarum & metus est plena. *Idem.*

Nullum majus boni imperii instrumentum, quàm boni amici. *Tac. 4. Hist.*

Otho juventa & æmulatione luxûs flagrantissimus in amicitia Neronis erat. 13. *Annal.*

Sic *Tigellinus* multos vita famaque laudatos in animo ejusdem anteibat. 15. *Annal.*

Per impudicitiam sævitiamque, quæ Neroni pro cognatis moribus fuêre. 14. *Annal.*

Validus

Validus apud eundem *Narcissus*, quod ejus vitiis per avaritiam ac prodigentiam mirè congrueret. 13. *Annal.*

Et id quidem certissimum, multis ex similitudine morum amicitiam esse. 12. *Annal.*

Socors *Vitellius*, qui scurris, histrionibus, aurigis, & cæteris amicitiarum dehonestamentis mirè gaudebat. 2. *Hist.*

Quibus artibus potentiorum amicitia comparetur, docet *Horat. lib.* I. *Epist. Sat.* XVII.

Quæ ad amicitiam conservandam sint facienda. *Idem lib.* I. *Epist. Sat.* XVIII.

Euripedes non vanè mihi visus scribere. Non serenitatem nautis gratiorem in tempestate advenire, quam lugenti amico amicum.

Sicut Pharus nautis eminus conspecta lucem & solatium adfert: sic nobis afflictis etiam absentium amicorum affectus. *Lips.*

Sicut solem qui jucundum habemus, etiam cereum noctu aut candelam: sic in amicitia, cum præsertim causa aliqua subduxit, grata est scriptio, quæ vicem ejus refert. *Idem.*

Sal & mensa. apud antiquos amicitia salis & mensæ consortio constabat. Quemadmodum apud Germanos acceptus à propinante Cyathus adimit omne jus injuriarum. utinam, qui salem nostrum lingunt & mensam adeunt, etiam sacra amicitiæ præstarent.

Tantali Philothesia. Amicitiæ poculum significatur, quo plerumque à cœnâ sub somnum se invitabant. Ferunt apud Indos morem quoque fuisse, ut majoribus poculis præbiberent cubitum ituri pronis in phialas capitibus, ad conciliandam amicitiam. Hujus poculi initiator Tantalus fuit, qui humanitate inter homines præcelluisse dicitur. Quare, ubi ineunda cum aliquo amicitia, & injuriæ suspicio tollendà, poculo hoc Herculis auspicium faciebant. Qui mos fermè durat apud Germanos, ut hospiti finita jam cæna ingens meracioris vini poculum apponatur.

Amicitia vera, & Amici arctè conjuncti cap. 14. Officina *Text. lib.* V.

De

De amicitiæ vinculo *Val. Max. lib.* 4. *cap*. 7.

Sol citius suum cursum, quàm ego relinquam tam diu sanctè habitum amorem. *Lips*.

Sicut facem ad accendendum frustra admoves, quę ipsa non accensa: sic in amore conciliando evenire sensi, & frustrà eum poscit, qui non adfert. *Lips*.

Laus & Charitas sunt vitæ sine metu degendæ prę-sidia firmissima.

Hæc est una via & laudis & honoris & dignitatis, à bonis Viris & sapientibus & benè à natura constitutis laudari & diligi.

Ea est jucundissima amicitia, quam morum similitudo conjugavit. *Cic*.

Nullius boni sine socio jucunda possessio est.

Fervet olla, vivit amicitia: in eos, quos cœna amicos facit.

Detrahit amicitiæ majestatem suam, qui illam parat ad casum. *Lips*.

Bonos omnes inter se (*ut inquit Plato*) oportet amicos esse, etsi sint minus noti: quorum mores sectæque conveniunt.

Diogenes amorem dixit otiosorum esse negotium.

Poëta inquit: Si non vis fieri desidiosus, ames.

Ovid. Semper habe Pyladen aliquem qui curet Oresten. οὐδὲν ἀντάξιον γνησίου φίλου.

Seneca: Nullum habet majus malum occupatus homo & bonis suis obsessus, quàm quod amicos sibi putat, quibus ipse non est.

Post amicitiam credendum est; ante amicitiam judicandum. Isti verò præposterè officia permiscent, qui cum amaverint, judicant, & non amant cum judicaverint. Diu cogita an in amicitiam aliquis tibi recipiendus. Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere quàm tecum. *Idem*.

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.
Cætera fortunæ, non mea turba fuit.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Indelibatas

Indelibatas cuncta sequuntur opes.
Vulgus amicitias utilitate probat, &c. Ovid.

Ad Amicitiam.
EX CICERONIS Lælio.

AMicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil enim tam Naturæ aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas.

Hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate amicitia tolli potest, ex amicitia a. non potest.

Est e. amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum, cum benevolentia & charitate summa consensio.

Quis potest esse vita vitalis, ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat. Quid dulcius, quam habere quocum omnia audeas sic loqui, quàm tecum? *Quu esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illu æquè ac tu ipse gauderet?*

Amicitia plurimas res continet. quoque te verteris, præsto est, nullo loco excluditur. nunquam intempestiva, nunquam molesta est.

Quæ domus, quæ civitas tam stabilis, quæ non odiis ac dissidiis potest everti?

Qui amicum intuetur, tanquam exemplar sui intuetur.

Ut beneficium non fœneramur, sed natura propensi sumus ad liberalitatem; sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed, quod omnis ejus fructus in ipso amore est, expetendam putamus.

Sed, quia natura mutari non potest, idcircò *veræ amicitiæ sempiternæ sunt.*

Magna etiam dissidia, & plerumque illa nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur, ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à virtute defeceris.

Igitur

Igitur ne auſpicari poſſumus quemquam horum ab amico quippiam contendiſſe, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra Remp. eſſet.

Hac igitur prima lex in amicitia ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati.

Præcipiendum igitur bonis, ut, ſi in ejuſmodi amicitias ignari, caſu aliquo inciderint, ne exiſtiment ita ſe alligatos, ut ab amicis in magna re aliqua in Remp. peccantibus non diſcedant. &c.

Plurimum in amicitia valet amicorum bene ſuadentium authoritas.

Commodiſſimum eſt, quam laxiſſimas habenas habere amicitias, quas vel adducas cum velis, vel remittas.

Nihil eſt, quod ad ſe rem ullam tam alliciat, quàm ad amicitiam ſimilitudo.

Quid a. ſtultius, quàm ut plurimum copiis, facultatibus poſſint, cætera parare quæ parantur, pecuniam, equos, famulos, veſtes, pretioſa vaſa, amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitæ ſupellectilem.

Charitate & benevolentia ſublata, omnis è vita ſublata eſt jucunditas.

Nulla in amicitiis peſtis major, quàm adulatio, quàm blanditia, &c.

Cato dixit: multo melius de quibuſdam inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur.

Maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea verecundiam.

Veræ amicitię difficillimè reperiuntur in iis, qui in honoribus, & Rep. verſantur, ubi enim iſtum invenias, qui honorem amici anteponat ſuo.

Divinus ille de AMICITIA *liber ſedulò legendus.*

Animalium, Vide *Canum, Equorum, Elephantum.*

De terreſtribus animalibus, vide *Fatidica cap.* I. *lib.* 3. Et de eorum uſu & proprietatib. *Ibid.*

De animalibus, Quadrupedibus, & eorum natura vide

vide *Text. Offic. cap.* 27. *lib.* 7.

Ibid. de Animalibus quorum ministerio homines sustentati.

Avium garritus *Augusto* tam familiaris, ut contempta salutantis picæ acclamatione, *Tales*, diceret, *domi habeo salutatores multos.*

Quod principem magis fecit admirari, eadem à tergo tunc acclamavit: *Oleum & operam perdidi.*

Agrippina Claudii Principis conjux Turdum habuit, hominum sermones imitantem.

Drusus & Britannicus Sturnum & Luscinias Græco & Latino sermone dociles. *Vide plura l.* 3. *cap.* 1. *Fatid.*

Vespertilio. est mediæ speciei inter avem & murem, ut mus alatus dici possit. Volat e. pinnatis alis. Sed inter volucres non habendus, quod quatuor pedibus graditur, pullosque parit, non ova: quos & lacte nutrit. Vespertilio dictus, quod vespere ad volandum se paret. Per translationem *Vespertiliones dicti debitores*, qui ære alieno obruti metu creditorum interdiu domi latent, noctu prodeuntes.

De viribus nostratium Taurorum. Apud *Camerar. Cent.* 2. *cap.* 98.

De Piscibus vide Creationis Divinæ Sextiduum *pag.* 94. *Fatid. lib.* 3.

Ibidem de *Avium* speciebus, *Cantu*, & mira quorundam *naturâ*, *Loquelâ*.

O gratum jucundissime vocis sonum! ô suaves numeros delicatæ flexionis! ô delectabilem arguti gutturis cantum! Quid est vestro, dulcissimæ volucres, concentu festivius, quando surgentibus plumis inflatoque gutture argutam ad numeros vocem resolvitis? &c.

Effert numeris septem discrimina vocum *Philomela*. Modulatur elatâ capitis casside *Galerita*. Queritur tremulo gutture *Acanthis*. Personat patrium carmen voce argutâ *Canaris*. Cantillat, frangitque modos exiguo cornu *Fringilla*. Vernat docili ad omnes sonos collo *Sturnus*. &c. *Ibid.*

Bos ἀπὸ τοῦ βόσκω, pasco. quod homines suis laboribus pascat.

Cornix. avis vivacissima, minor corvo cæterarum avium dux. *Cornices* accipi solent pro iis, qui aliis sapientiores esse volunt. Hinc Proverb. *Cornicum oculos configere.* h. e. veterum sapientiam novo invento obscurare. Cornix quoque annulus ferreus, quò ostium pultari solet, à garrulitate quasi.

Grus. avis minimè solivaga. Volantes ordine quodam y litteram faciunt. quod Palamedem primùm observasse ferunt. unde & Martiali Palamedis aves dictæ. Excubias nocte dividunt alternis pedibus insistentes. Vide Plin. lib. 10. Cap. 23. Hinc *congruere.* &c.

Surgebat in pedes *Leo*, arrectisque jubis & vibrato caudæ flagello, generosi pectoris robur ostentabat. Eminebat prodiga corporis magnitudine *Elephas*, porrectisque ad pastum manibus larga ventrem dape explebat. Attollebat oblongum collum & procera crura *Camelus*, dorso ad ferendas sarcinas tuberante. Circumferebat trucē oculorum aciem informis corpore villoso *Vrsus.* Spirabat indomitam sævitiam maculosa *Tigris.* Spargebat soporiferam vim utroque potens sexu *Hyæna.* &c. Vide egregiam animalium descriptionem in *Lib.* III. *Fatid. cap.* I.

De *Equorum* & Equarum præstantia tractat *Ravis. Text. lib.* 7. *cap.* 33.

De *Canibus* & eorum fidelitate ac solertia *Eundem adi cap.* 38. *lib.* 7.

De *Serpentibus* diversis Ibid. cap. 40. Ibid. De *Piscibus*: Ibid. de *Avibus* cap. 42.

In Animalia bruta mansueti simus. Vide *Camerar. Cent.* I. *Cap.* XXI.

De Horoicâ Leonum indole *Cap.* XX. *Ibid.*

De Equorum elogio & Luporum ac equorum dissensu *Cap.* XXIII. *Ibid.*

Nobilem Equi descriptionem, præter Virgil. vide in Poëmatis Cl. BARLÆI, *lib.* 3. *Heroic.*

De avium pugna & solertia & serpentibus memorabilia.

rabilia *Camerar. in Cent.* 1. *cap.* 68.

De *Apibus* lib. IV. Virgil. Vide.

Quasi Dynastia populi Quiritium illic describitur. *Iul. Pomponius* hoc modo Regem describit: Melior Rex niger, variusque, omnibus semper forma egregia & duplo cæteris major. Pennæ breviores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula, quodam diademate candicans. Multum & ipso nitore à vulgo differt. Et cum sine aculeo sit, majestate tamen armatus est. Mira plebis est obedientia circa Regem. Cum procedit, totum examen civium conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis, circa eum satellites quidam, quibus desides & pigros punit.

Aristoteles de Apibus inquit: quoties flatu vehementer jactantur, lapillos gestant, quo se quasi fulcro & fundamine stabiliunt contra ventos. Virg. *& sæpè lapillos, ut cymba instabiles, fluctu jactante saburram, Tollunt: his sese per inania nubila librant.* 4. Georg.

Iove creato Curetes insonuerunt æra, ne vagitus infantis posset audiri à Saturno. Apes sequutæ crepitum, alimentum præbuere Iovi. Dein dedit Iupiter nutricibus mellificandi potestatem.

Animi. Animæ. *Mentis. Consilii. Cogitandi.* Vide *Consiliorum. Conscientiæ. Corporis.*

MEo in pectore conditum est consilium. Animus rediit mihi. Animum inducere credere.

Animum occupare in funambulo. In re aliquâ animum habere.

Gubernat me animus & sapiens consilium.

Habe bonum animum. Ne despondeas animum ac abjicias. Sta forti animo. Nitere firmâ mente. Tene fugitivam animam.

Ne te deserat animus. Est incredibili quodam animi robore septus.

Statutum sic cum animo & deliberatum habeo. Ac posteaquam libavi sanctissimum limen alias cogitationes

cogitationes strenuè quidem projeci. Sententia nihil claudicat.

Magnam fortunam magnus animus decet.

Nostra omnis vis in animo & corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur. alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius videtur, ingenii quàm virium opibus gloriam quærere. *Sallust.*

Omnia orta occidunt & aucta senescunt, animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque ipse habetur. *Idem.*

Rationi origo à cælo, imò à Deo est, & magnificè eam Seneca celebravit: *partem in homine divini Spiritus mersam. Lips.*

Anima & corpus, illa mobilior, quæ spiritum, ignemque refert, hæc vilior, quæ terram.

Iuncta ista inter se, sed concordia aliqua discordi. Terra se supra suum ignem attollere conatur, & cænum supra hoc cælum. *Lips.*

Non tota anima, ne aberres, recta ratio est: sed, quod in eâ uniforme, simplex, immixtum, secretum ab omni fæce & lentore. quodque ut verbo dicam, sidereum in ea & cæleste. *Idem.*

Nam anima ipsa, quanquam labe corporis & contage sensuum graviter corrupta & infecta sit: tamen vestigia quædam ortus sui altè retinet, & clarè in ea scintillantes reliquæ primi illius purique ignis. *Idem.*

Eminent semper subsiliuntque illi igniculi, qui in his tenebris illustrant, in his sordibus depurgant, in his ambagibus dirigunt, & ad constantiam ducunt & virtutem. *Idem.*

Thales olim interrogatus, quid in tota rerum natura esset velocissimum? *Resp.* Mens humana. Discurrit enim per universa hominis cogitatio.

Phocion semper admonere homines solebat, ut mente vigilarent, cujus somnus veræ morti finitimus esset.

Plutarchus dixit, Consilia Senum, hastas juvenum esse.

Phœbaa vox est: Consilia calida & audacia prima

specie læta sunt; tractatu dura; eventu tristia. *Seneca.*

Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi. *Seneca.*

Nihil magni discriminis consiliis tàm inimicum, quàm celeritas.

Nemo animum ligat, ille emicat & evolat. Orbis terrarum ei angustus est. Cogita: in libertate es, & pone teneriores illas cogitationes, quas imbecillitas aut ambitio dictant. *Lipsius.*

Cogita, in te præter animum nihil esse mirabile. Cui magno nihil magnum. *Seneca.*

Animus nisi purus & sanctus sit, Deum non capit. *Idem.*

Vt heliotropium & flores quidam ingenio suo semper ad solem: sic Ratio ad Deum obversa & originem sui, firma in bono & immota, unum idemque sentiens, unum idemque appetens, aut fugiens: recti consilii, recti judicii fons & origo. Domuit enim cupiditates & exultantes animi motus, quisquis hanc audiit, & in omnibus vitæ Labyrinthis tutus ab errore, qui hanc sequitur, ut Theseium filum. Deus ipse per hanc sui imaginem ad nos venit, imò, quod propius, in nos, & rectè ille: *Bona mens sine Deo nulla est.* Lips.

Vt navis vacua & inanis circumagitur in mari omni vento: ne in nobis vaga illa mens, quàm pondus & tanquam saburra Rationis non stabilivit. *Idem.*

In corpore ægro & corrupto quicquid infertur, alimentum est morbi, atque abit in noxam. sic in homine, qui internum illud non depuravit, pectus dico, fontem & originem cupiditatum. *Idem.*

Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô quam pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem videremus! *Seneca.*

Dux atque Imperator vitæ mortalium animus est. qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque & clarus est, neque fortuna eget, &c. *Sallust.*

Mentis humanæ perspicacitas describitur *lib. 3. Fatid. Edon. Neuhusii cap. 2. ab initio.*

Natura humana signa divinationum impressa. *Ibidem.*

Mundum Deus, si nescitis, pro amplissimo theatro homini proposuit, ut expressas & perpolitas in cœlo terraque imagines ac simulachra intuitus, tum Opt. Max. Creatorem in præsens laudaret; tum sibi ipsi in futurum prospiceret &c. *Ibidem.*

Animus hic est rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm deum in humano corpore hospitem? Hic animus tam in Romanum-Equitem, quàm in servum potest cadere. *Seneca.*

Habet hoc optimum in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. *Idem.*

Magnanimi est magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. *Idem.*

Non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus, animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. *Idem.*

An anima vivere, an mori dicatur secundum veteres Theologos. Lege *Macrobium lib. 1. cap. x.*

De Animi moderatione legatur *Val. Max. cap. 1. lib. 4.*

Opiniones de *Animabus mortuorum* legantur in lib. 2. *Fatid. parentis mei.* pag. 468.

ANNI. Vide *Temporis.* Vide *Ætatis. Vetustatis. Senecta.*

Servius annum ab annulo deducit, quod in se redeat. Hinc *Virg.* videtur dixisse, *in sua per vestigia labitur annus.*

Apud *Ægyptios* ante inventas literas, Dracone picto suã mordente caudam indicabatur. Alii à verbo Græco, ἀνανεόω, quod significat renovo.

Triplex olim annus fuit. *Lunaris*, triginta dies habens: *Solaris*, qui 12. continet menses, qui dicitur solis anfractus: quando 12. signa Zodiaci decurrit.

Magnus annus, quem esse voluerunt omnibus Planetis in eundem locum concurrentibus. Hoc fit secundum mille noningentos, quinquaginta quatuor solares.

Anni quadripartita tempora vide in 3. lib. Fatid. *Ed. Neuh.* pag. 38.

Et Macrob. lib. 2. cap. XIII.

De Calendis, Idib. Nonis. *Eundem lib.* XV. *cap.* XV.

Ibidem de dierum discriminibus apud Romanos. *cap.* XVI.

Adde *Alexand. ab Alexandro*, qui agit de anno mundi, de Solonis dimensione anni, & multis aliis. *cap. 24. lib. 3.*

Annuus exactis completur mensibus orbis. Signa Deus bis sex acto lustraverat anno.

Hic mihi labentis pars anni magna paracta est. Ut patria careo bis frugibus area trita est. Dissiliit nudo pressa bis uva pede.

Bis me sol adiit gelidæ post frigora brumæ, Bisque suum tacto pisce peregit iter.

Ut sumus in Ponto ter frigore constitit Ister, Facta est Euxini dura ter unda maris. Tertius æquoreis inclusum piscibus annum Finierat Titan.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas, Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.

Bruma ter posuit nives. Tertia jam falce decubuit Ceres.

Quatuor Autumnos Pleïas orta facit. In Scythica nobis quinquennis Olympias acta est.

Quarta redituris hæc jam messoribus æstas, Et toties cano bruma gelu riguit. Sex mihi natales ierant.

Nam te jam septima portatOmpibus errantem terris & fluctibus æstas.

Annuus & nonum jam sol confecerat orbem. Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.

Addiderant annos ad duo lustra duos. Iamque decem vitæ frater geminaverat annos. Iam sol lustra decem confecerat.

Annus Climactericus. Cùm majorem vim & efficaciam ad summam fatalem habere putarent hos vel illos numeros.

Lis sæpe una Metonis annum tenet. *Metonis annus* erat novendecem annorum, à Metone Astronomiæ peritissimo

tissimo observatus, & etiam dicitur *magnus annus.*

Lustrum. Secundum Varronem à *luendo* dicitur: id est, solvendo: quod quinto anno vectigalia per censores locata solvebantur. Quia Census sive lustrum quinto quoque anno habebatur, quo temporis spatio durabat Censorum Magistratus, invaluit consuetudo, ut lustri appellatione spatium quinque annorum appelletur: quod *Olympias* apud Græcos dicitur, hoc est, Quinquennium.

Annum *Asiani* ab Æquinoctio autumnali; *Attici* à Meridie primi diei Hecatombeonis, circa solstitium æstivum; *Hebræi* post exitum ex Ægypto à mense Martio, in verni Æquinoctii principio cum sol ad Arietem accedit XIV.

Vide Fatid. Sacra lib. III. *cap.* I.

ANNONÆ. Vide *Famis. Ægestatis. Paupertatis.*

Magna est annonæ caritas. Annonæ magna est vilitas. Mirum in modum annona creverat.

Cum ingravesceret annona. Congerere frugem in proximæ hyemis impendium.

Annonæ defectum timere. Res frumentaria in tranquillum deducta est. Solennis alimoniæ subsidia alicui detrahere. Mittere Legationem ob angustias rei frumentariæ.

Quasi ego frumentum aliquod compressum tenerem. Flagellare annonam.

Putarem annonam in macello cariorem fore. *Cic.*

Annonæ flagellationem qui committunt *L. Iulia de annon.* extra ordinem solent puniri.

Annona res omnis est, quæ ad annuum victum pertinet.

Veteres etiam *annonam* annuã mercedem vocàrunt.

Annotinus, quod ad annonam pertinet. Hinc *Annotinæ naves.*

Gravitate annonæ sæpe juxta seditionem ventum est. 6. *Annal.*

Vulgo una ex Rep. annonæ cura. Ideo Princeps levet

vet apertis horreis pretia frugum. 2. *Annal.*

Augustus populum annona pellexit. 1. *Annal.*

Sequutus exemplum patris Tiberius, sævitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium, binosque nummos in singulos modios de suo adjecit. 2. *Annal.*

Annona quoque Dea. Sic inscriptiones fuerunt, ANNONÆ, SANCTÆ. Et in nummo: ANNONA AUGUSTA. Sumitur quoque pro Salario annuo. Vegetius: *præter laudem interdum duplas consequebatur annonas.*

Romani ut propitios sibi haberent Deos *Augustos* appellarunt, Deasque *Augustas*. Sic Genio Augusto & Laribus. Isidi Augustæ sacrum. Fortuna Augusta &c.

Magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, & frugi canula magno.
Fictilibus cœnare pudet. Juvenal. 3. Sat. Romæ sc.

Flagellare opes & Dardanarii. Flagellare annonam dicuntur illi, qui magnas opes, sive annonam scriniis clausas tenent. Quod fruges invitas velut verberibus & carceribus coërcitas erumpere foras non sinant. unde Martialis: *Et cujus laxas arca flagellat opes.* Sic alii dixêre, strangulare opes. Qui proprie dicuntur *Dardanarii.* quasi veneficio in horrea sua fruges contrudant, ut postea carius eas vendant. Dicti à *Dardano* insigni Mago, à quo artes Dardaniæ, sive Magicæ.

Sterilitatis exempla pag. 369. lib. 2. Fatid. Parentis p. m.

Super Annonæ quæstione lege *Rosinum* de Antiquitatibus Romanis.

AQUARUM Vide, *Terra. Aeris. Ignis. Navig. Tempest. Populorum. Fluminum. Maris.*

DE *Mari* & *Aquarum* Creatione, Vide crp. 1. de Creatione divinâ lib. III. Fatid. *L. Neuhusii.* ibidem de *Oceano, & fluminibus*, eorumque ortu, Et *reciprocatione fluendi.* Con-

Confluxum cumulumque collectarum aquarum Oceanum dicimus. qui fluviorum fons terram universam circumfluit, fissamque per medium superiorem per inferiorem distinguit.

Ab ortu Eous & Indicus, ab occasu Atlanticus; ab Australi plagâ Æthiopicus; à Boreali Glacialis nominatur.

Neque illis contentus titulis; ubi ab occasu inter Herculis irrupit columnas, sejunctis Africæ Europæque littoribus, ab Iberis, Gallis, Liguribus, Tuscis, Siculis sumit nomen.

A quibus flexo in Aquilonem cursu Græciæque circumvagatus littora, postquam Ionii, Cretici & Corinthiaci appellationem assumpsit, in Ægeum se pelagus effundit. Ex quo per Hellesponti angustias in Propontidem devolutus, & inde ex Bosphori eluctatus faucibus Pontum Euxinum fundit.

Idem *Tartaricis* se insinuat regionibus & Britannicas circumerrans insulas Germaniæ alluit littora, & ad extremos usque Gottos excurrit. Neque minus ab ortu ingressus Asiam Persicos & Arabicos facit sinus. &c.

Aqua est elementum grave, frigidum & humidum. terram undique ambiens & interfluens. *Adi Physicos.*

De Aquæductibus vide *Rosinum* de Antiq. Rom. *lib.* 1. *cap.* 14.

ARBORUM. Vide *Lauri*, *Hortorum* &c.

De Arboribus diversis vide longum tractatum apud R. Text. *lib.* 7. *cap.* 17. *&* 18.

De Sylvis diversis *cap.* XXI. Ibid.

In Hortis *Hesperidum* Poëtæ fabulantur fuisse arbores auriferas, quarum custos esset insomnis Draco.

Phæacum regio, cujus Rex Alcinous, hortos habuit tantâ pomorum varietate nobiles, ut præmaturis nova statim, renascerentur. Iuvenal.

Illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore.
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat.

De *Herbis*, de *Florib.* Vide Had. Iun. & offic. Text. lib. 7. cap. 26.

De *Arboribus* consule librum 11. Georgicῶν Virgilii: ubi variæ species illarum recensentur.

Populus arbor est caudice procero & erecto, cortice levi, foliis, dum tenera est, circinatæ rotunditatis, quæ in senectute angulosa evadunt sine flore.

Æsculus dedicata Iovi. Ideoque eam sæpe numero fulmina feriunt. Plato latifoliam appellat. sic dicta, quod primi mortales ejus glande pro escâ uterentur.

Corylus, genus arboris, ex quâ antiqui nuptiales faces faciebant.

Fraxinus præconio Homeri, & hastâ Achillis insignis. mirè serpentibus inimica. Adeò, ut ejus umbras neque matutinas neque occidentes attingere audeant. & citius in ignem, si frondis fraxini gyro clauderentur, quam in fraxinum fugerent.

Lotos singularis arbor Africæ, unde & panis & vinum. & nomen etiam genti terræque dederit. *Lotos* Nympha quoque fuit amata à Priapo. quæ dum pudicitiam suam defenderet, in arborem sui nominis mutata. *Vide Virg. lib. 2. Georg.*

De *Inoculatione arborum* & *insitione* vide lib. 2. Virg. Georgicῶν.

Videsne arbores quosdam sine cultura crescere & foliis lignisque luxurirre? Sed aliis fructus vix adest, & umbram & speciem modò præbent. At in cultis & humanâ manu factis, insitione emendatis, vides usum multiplicem, & fructificare, non solùm obumbrare. *Lipsius.*

Pomum generaliter comprehendit omnem arboris fructum, durum vel mitem, humano usui aptum, ut pyra, mala, nuces. Alia sunt *Volema*, *Mulsa*, *Crustumina*. *Dolobelliana*. *Laterana*. *Rhegia* &c.

Vide Commentatores Virgil. & Hadr. Iun.

Quicquid in Alcinoi sylvis & Adonidis horto Crescit.
Cognita Cedrus erat, sylvaque Atlantidos arbor,
Palmaque victoris signum, laurusque furentem.
Nunquam formidata Iovem, nec fulminis ictum,

Pomaque Persarum, modicum crescentia in orbem,
Et domitor cerebri succus, ramusque Minervæ,
Et pinus post se nullum missura nepotem.

Mantuanus.

Cum se medio trudunt de cortice gemmæ,
Quotque in vere novo pomis se fertilis arbor Induit.

Virgil.

Arbor cui longa propago Innumeræque manus.

Lucanus.

Cupressus. dicta à puero Cyparisso in arborem conversó. numeratur inter arbores funestas, eò quod & tardè crescat, & succisa non repullulet. Ideo funebri signo veteres ante defunctorum ædes eam posuêre. Ovid. *Funeris ara mihi ferali cincta cupressu* &c.

Cedrus, arbor perpetuò virens, junipero non absimilis. laudatissima in Cretâ nascitur, & Africa Syriæque montibus. Cedro æterna materies, cariem non sentiens. Cedrus in Cypro maxima nascitur CXXX pedum longitudine, crassitudine ad quinum hominum complexum. *Cedro digna locutus. Nec cedro charta notetur.*

ARGUTIARUM. *Facetiarum.* Vide *Nugarum. Ioci. Stultitia.*

FLuere facetiis. Qui mihi inter patinas exhibet argutias.

Iocularium in malum insciens penè incidi. Cavillor tecum familiariter.

Pagina erat Atticis salibus respersa & thymo odora. Dicam unum ridiculum dictum. Nugator maximus.

Mimus & momus.

Demonax *rogatus, an Philosophus etiam placentis vesceretur?* Quid, *inquit*, num putas apes stultis tantùm mellificare?

Diogenes *ad puerum spurium, lapillos jacientem in populum; cave, inquit*, Diogenes, ne patrem ferias.

ASTRORUM. Vide *Cœli. Siderum. Solis. Lunæ.*

De Præsensione ex Astris consule cap. VI. *lib.* VII. *Fatid.* Parentis mei.

De Astrologis *cap.* 19. *Text. lib.* 4.

Illi, qui siderum collegerunt metas & annuas hyemis atque æstatis vices ad certam legem redegerunt. *Seneca.*

Eclipsis Lunæ Pannonicas legiones à seditione retraxit. *Cap.* VIII. *Ioh. VVoveri*, in libello *de Umbrâ.*

Signifero quæ signa fluunt labentia cœlo. Lucan.

Cœlique micantes scintillare oculos. Statius.

Sparta quoque in vario paßim miracula cœlo. Ovid.

Bissenaque signa, Quæ variant nitidum
Stellati limitis axem. Mantuan.

Extra anni solisque vias. Et rota terribilis Phœbi. Sectus in obliquum, lato curvamine limes. Ubi variæ pingunt animalia formæ. Zodiaci descriptio.

Hic qui sacris pervius astris secat obliquo tramite Zonas. Seneca.

De singulis signis vide Poëtas, nimis operosum huc omnia transferre.

De *Astromantiâ* verâ & falsâ vide Fatid. Sacr. *lib.* 3. *pag.* 313.

Pythagorea disciplina præcipit, quòd Deus astris parem numerum animarum distribuerit, singulis singulas adhibens. Eisque tanquam vehiculo impositis, monstravit universi naturam. quæ animæ tandem ex variâ commigratione corporum perpurgatæ, ad suum astrum redirent.

Cometæ recentioris ævi. Vide in lib. 2. Fatid. Parentis mei.

In Astrologum.

Ingerit in Divûm sese consortia stultus
Astrologus: quorum pars quasi magna fiat.
Ignorat proprias animi metirier umbras,
Et vult Cœlituum pareat aula sibi.

Cum

Cum benè se spatijs didicit complectier ipsum
Astrologus, Cœli tentet adire domos.

AVARITIA. Vide *Liberalitatis Pecunia.*

AVido est ingenio. Inhiat aurum & devorat. Pumex non æquè aridus est, quàm hic senex.

Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior. Defraudare animum & Genium suum præ avaritia.

Aliquantulum ad rem est avidior. Tabes avaritiæ animum invasit. Habet patrem quendam avidum, miserum, aridum.

Insimulare aliquem avaritiæ. Homo hiante avaritiâ. Exprobrare, objicere alicui Vitium avaritiæ.

Avaritiæ nomine pessimè audire. Infecti sunt omnes avaritiæ labe. Aurum sitire maximè unus omnium Crassus putabatur.

Mirum lolio te victitare, tam vili tritico. In omnium animos irrepsit avaritia.

Avaritia orbem terrarum est complexa. Avaritia multorum malorum sustinet culpam.

Avaritia senilis vituperanda est maximè. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm quo minus vitæ restat, eo plus viatici quærere?

Congeratur in te, quicquid multi locupletes possederunt; ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, & eò deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abscondas. accedant statuæ & picturæ & quicquid ars aliqua luxuriæ elaboravit, majora cupere ab his disces. *Seneca.*

O miserum! si quem delectat sui patrimonii liber magnus. *Idem.*

Quod tamen ulterius monstrum, quàm mollis avarus? Iuvenal. Sat. 9.

Avarus dum de incremento cogitat, oblitus est usus, forum conterit, Kalendarium versat; fit ex domino procurator. *Seneca.*

Non erubescimus summa apud nos habere, quæ fuerunt

erunt ima terrarum. *Idem.*

Omnibus modis pecuniam trahunt, vexant. tamen ſumma lubidine divitias ſuas vi[illegible]e nequeunt. *Salluſt.*

Hominum animi corrupti ſu[illegible]dmiratione divitiarum.

Avaritia eſt opinio vehemens de pecuniâ.

Duæ res ſunt, quæ maximè homines ad maleficium impellunt, *Luxuries* & *Avaritia.*

Avaritia hominum mentes obſtrictas tenet, ut reſpirare nequeant.

Habere quæſtui Remp. non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium.

Ad omnia alia ætate ſapimus rectius:
Solùm unum hoc vitium adfert ſenectus hominibus,
Attentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt.
Quod nimium ad rem in ſenectâ attenti ſumus;
Hanc maculam nos decet effugere. Terent.

Tempore *Hannibalis* cum obſiderentur Caſilinates, tanta graſſabatur in urbe fames, ut murem ducentis aureis emerent. Factum eſt, ut qui tanti murem emebat, vita fuerit ſervatus, alter pecuniæ tam cupidus, mortem cum ſuâ avaritia oppetierit.

Alcmeon, monſtrum hominis, cum permitteretur ipſi liberè ingredi theſaurarium Crœſi, togam ſibi fecit oblongam, multis involucris & plicis, calceos, caligas præter morem laxas & capaces. Hoc pulchro indutus habitu, conſcendit in congeſtum auro cumulum, unde omnes veſtis ſuæ lacinias multo auro & argento replevit. Aures, nares, buccam totam oneravit. Sic pulchrè fartus Crœſum adiit, quem totum in ſtuporem & formidinem conjecit.

Imperator Iulianus quatuor confecit prandia uno lepore, quem dono acceperat.

Pontifex Martinus de nocte cereas exſtinguebat candelas in S. Petri templo.

Cardinalis *Angelotus* avenam equis de nocte auferebat. Accidit ut forte fortuito ſtabularius hoc reſciverit, qui bonum Cardinalem, ſicut furem decet, non benignè excepit.

Quin

Quin quum it dormitum follem obstringit ad gulam, ne quid animæ fortè amittat dormiens: Etiam obturat inferiorem gutturem. Aquam herclè plorat, quum lavat, profundere. Famem utendam si roges, nunquam dabit.

Ita cum potentiâ avaritia sine modo modestiaque invadere, pollucre, & vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere quoad semet ipsa præcipitavit. *Sallust.*

Dives positus in fœnore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat: atque
Nomina sectatur. Horat. lib. 1. serm. ubi multa in vituperium Avaritiæ.

Quin ipsi pridem tonsor ungues demserat; collegit, omnia abstulit præsegmina.

O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus. *Seneca.*

Rex Philippus dicere solitus, nullum castellum adeò benè munitum esse, quin facilè superari, modò asinus auro onustus ingredi posset.

Parthi cum Crœsi avaritiam non ignorarent, illi capto liquefactum aurum per gulam in ventrem infuderunt, additis his verbis: *Satia te nunc auro, quo te in vitâ satiare non potuisti.*

Midas omnia, quæ tangeret, in aurum optavit converti posse. Quod cum Bacchus ipsi votum permisisset, valdè sibi placuit. Postquam voti factus compos, doluit amentiam suam, ubi ventrem intus murmurantem sentiret.

Socrates videns insatiabilem Alcibiadis avaritiam, vocavit ipsum ad tabulam orbis terrarum, ut illi Atticam suam monstraret. Ubi eam invenire non posset; *Quid*, inquit, *superbit Alcibiades; cujus regnum nusquam inveniri potest?*

Caligula tam avarus fertur fuisse, ut testatores adigeret, ut illum testamento heredem scriberent. Qui si supervixissent, illos vitâ spoliabat, tanquam stultum facto testamento diutius supervivere.

Euclio, de quo anteà dictum, habebat ollam pecuniâ refertam.

refertam, & abditam terrâ, domo non audebat egredi, ne quis suffuraretur. Omnes, qui ipsum accedebant, illos suspectos habebat furti.

Caligula fœminarum mariumque lupanaria turpiter postulatâ mercede elocavit.

Cyneas, Pyrrhi Epirotarum Regis medicus, eò pecuniæ cœcitate impulsus, ut se pharmaco interempturum Pyrrhum, Senatui Romano polliceretur.

Tiberius Cæsar adeo parcus & tenax pecuniæ, ut comites peregrinationis suæ tantum cibariis juverit.

Nero tabernulas expilabat, templis dona eripiebat. &c.

Thebani Ægyptii juxta legem patriam neminem ad Magistratum admittebant, nisi prius à mercimoniis destitisset annos decem. Adeò apud illos exosa fuit avaritia & nimium lucri studium.

Apud *Murobios* Æthiopiæ populos æs pluris æstimatur, quàm aurum: Cujus tam vilis est usus, ut eò profecti Cambysis legati fontes viderint aureis catenis in custodiâ vinctos.

Lycurgus apud Spartanos, liberos homines vetuit quicquam attingere, quod circa rem pecuniariam versaretur. Quæcunque libertatem civitatibus adferrent, hæc sola instituit persequenda.

Iudæi, cum Hyerosolyma à Tito Vespasiano expugnaretur, in summo vitæ periculo imminente jam morte aurum deglutierunt.

Philoxenus muccum ferculis solebat injicere, ut solus illis sine socio frueretur.

Commodus Imp. multorum criminum impunitatem auro condonavit, alienæ mortis facultatem cupientibus pecuniâ permisit.

Multi cum *Demosthene* linguæ facundiam pretio venalem exponunt, & ex optimo Æschinis judicio non *Anginam* & *Synanchem*, periculosum gutturis morbum, sed ipsum in medullis *Argyranchem*, & pecuniariam ægritudinem patiuntur.

Prodigiosa auri fames Christum Servatorem prodidit. Apud Romanos *Posthumium Albinum*, ut ab oppugnando

pugnando Iugurtha desisteret, infami crimine notavit.

Hæc *Tarpejam Vestalem*, ut hostibus Capitolium traderet, pessimis consiliis adegit.

Hæc *Danaës* pudicitiam tot custodibus munitam, tot catenis asservatam sine armis expugnavit.

Non ignoravit hoc *Numidarum Rex Iugurtha*, qui quod hodie de multis, olim de Româ dixit: *Venalis esses Roma, si emptorem haberes.*

Complusculos hodie invenies, qui exemplum *Anania* & *Saphira* imitentur, qui Deo mentientes, agro divendito partem pretii ante pedes Apostolorum posuerunt, partem sibi reservantes.

Multo auro suffarcinati Deum sequuntur & foris pannosi ac senti, domi aureos ventilant: non tam Σωτῆρα servatorem nostrum, quàm argentinum Deum æsculanumquè percolentes.

Bion dicebat: avaritiam omnis improbitatis esse metropolim.

Plato ad quempiam pecuniæ semper incumbentem, ô improbe dixit, ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati.

Lucri bonus est odor ex re qualibet. Hic vapulat *Vespasianus*, qui cum ex lotio faceret vectigal, & à filio propterea admoneretur, quod tam sordidi lucri avidus esset, post collectam pecuniam filii naribus admovit rogavitque: *ecquid illa puteret?*

Servorum ventres modio castigat iniquo
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet unquam
Mucida carulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri. &c. Minutal condimenti genus, quod ex rebus minutis concisum conficiebatur. *Iuvenal. Sat.* XIV.

Ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines, majorque videtur
Et melior vicina seges. Ibidem.
Armenta ad virides hujus mittuntur aristas
Nec prius inde domum, quam tota novalia savos

In

In ventres abeant ; ut credas falcibus actum. Ibidem.

Sed, quæ reverentia legum ?
Quis metus aut pudor est unquam properantis avari ?
Vivite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,
Vestinusque senex : panem quæramus aratro
Qui satis est mensis. &c. Ibidem.

Lucri bonus est odor ex re
Qualibet.
Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem :
Hoc discunt omnes ante alpha & beta puellæ. Ibidem.

Sed longe Calpe relictâ,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Grande operæ pretium, ut tenso folle reverti
Inde domum possis, tumidaque superbus alutâ
Oceani monstra, & juvenes vidisse marinos. Ibidem.

Semiramis in monumento, quo post mortem erat recondenda, hæc jussit insculpi: *Quicunque Regum post me pecuniâ indiguerit, recluso conditorio, sumat inde quicquid visum fuerit.* Darius auri cupiditate sepulchrum jussit recludi, in quo tamen pecuniam invenit nullam; sed hoc tantum literis sculptum: *Nisi malus fores & avarus, non mortuorum loculos moveres.*

De Avaritia nos in *Tyrocinio Eloq.* diximus, Oratione XLII.

A mortuo tributum exigere, de iis qui per fas & nefas omnia corradunt.

Ut trutina in eam partem vergit, in quâ plus ponderis : sic perfidi in eam, ubi plus æris.

O tempora ! ô mores ! Eóne venisse, ut ipsi *Dynastæ in Danistas degenerârint ?* Lips.

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia. *Seneca.*

In nullum avarus bonus est, in se pessimus. *Seneca.*

Hoc unum deest avaritiæ, ut beneficia sine sponsore non demus. *Seneca.*

Achilles ductus avaritiâ cadaver Hectoris Priamo exposuit venale.

Per hominum Deorumque iras ad aurum itur. *Seneca.*

Primò

Primò pecuniæ, deinde imperii cupido crevit. *Salluſt.*

Namque avaritia fidem, probitatem cæteraſque artes bonas ſubvertit. Pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere, edocuit. *Idem.*

Avaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupivit. Ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat, ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neque copiâ neque inopiâ minuitur. *Idem.*

Quam ſententiam non totam tollo, ſed tempero, & velut ſcalpello circumcido rectæ rationis. Alium ira, alium amor, quoſdam ambitio patria elicuit. Et hodie, quàm multos Lucrius ille Deus? *Lipſ.*

In juvenilibus noſtris:

Imperioſa fames quid non deſignat Avari,
Dum fragili Nummo Numen ineſſe putat?
Et male metitur cenſus, humanaque cuncta
Fortuna in fluxo collocat arbitrio.
Eheu? quàm tetricis horret frons aſpera rugis.
Obſcœnus quantò pallor in ore ſedet.
Nil eſt, quod rabiem flammamque exſtinguat avari,
Immodicis lucri finibus urget amor.
Omnia poſſideat ſolus, furit ardor habendi,
Nec minus ac pleno Tantalus amne ſitit.
Da mare, da terras, & quod capit omnia cælum
Non mare, non cœlum, terra nec ampla ſatis
Semper avarus eget, ſitis inſanabilis auri:
Mendicum medias ſuſtinet inter opes.

Poëtica.

vel avarus in auro
Mergitur, atque Mida curis flagrantibus ardet.
Mantuan.

Condit opes alius, defoſſoque incubat auro? Virgil.
Avidique animum diſpendia torquent Fœnoris. Statius.
Alius ſub divite tecto
Vivit inops, nec habet, quod habet, miſerabile nummi
Mancipium. Mant.

Ambitione

Ambitione mala, aut argenti pallet amore. Horat.
Non Tarteßiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hamum,
Ardebit majore siti. Insatiabilis auri Proluvies. Claud.
Incestus flagrabat amor, nullusque petendi Cogendique pudor

haud paravero
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam:
Discinctus aut perdam ut nepos. Horat.
Nullus argento color est avaris
Abdito terris, nisi temperato
Splendeat usu. &c.

Avaritiæ pictura elegans est apud *Bapt. Mantuanum* lib. I. de Calam. temporum. Vide *Parnassum* poëticum. Inprimis *Horat. lib.* I. *Serm.*

Non tamen Principis cupido auri immensa sit. Obtentum habeat, quasi subsidium regno paretur. *Tacitus.*

Ne subditi pacem exuant, ejus magis avaritiâ, quàm obsequii impatientes. *Tacitus.*

Quid juvat immensum te argenti pondus & auri
Furtim defossâ timidum deponere terrâ?
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus quam meus.

Etc. vide lib. I. Serm. Horat. ibi pulchra admodum multa.

Avaritiæ exempla abundè habes in *Val. Max.* cap. 4. lib. 9.

De Romanis egregiè Juvenal. Sat. 3. sic ait:
Quis gener hîc placuit censu minor, atque puella
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur hæres?

AUDACIÆ. Vide *Constantia, Superb. Fortitud.*

PRojectus ad audendum. Imperterritus. Effrenatæ audaciæ homo.

Solutus omni verecundia. Nihil tam sanctum, quod non violaret tandem audacia.

Os

Os non modò tuum oſtendis, ſed etiam offers. His temporibus audacia pro ſapientiâ licet uti.

Omnis actio vacare debet temeritate & negligentiâ.

Philoxenus aliquandò in carcerem detruſus, quod Dionyſii Siciliæ Tyranni carmina prorſus nihili faceret. Inde liberatus iterum Dionyſii carmina audire cogebatur. Quid factum? ſurrexit Philoxenus & abiit. *Malo*, inquit, *ad lapidicinas damnari, quàm verſibus tam inconcinnis vel ſemel auſcultare.*

Ubi audacia priores partes habet, ibi probitatem laborare neceſſe eſt. *Dion lib.* 41.

Inſulſa audacia in exitium ducit, prudens verò cunctatio ſervare ſatis eſt apta. *Procopius.*

Quanta cujuſque animo audacia naturâ aut moribus ineſt, tanta in bello patere ſolet. *Salluſt.*

Qui humanis rationibus ea inveſtigat, quæ humani ingenii captum ſuperant, inexpiabili crimine ſe ipſum imprudens obſtringit. *G Pachymer. hiſt. lib.* 6.

AULÆ. *Aulici.* Vide *Principis Majeſtatis. Regni. Adulandi-Paraſiti.* &c.

De miniſtris aulicis lege *Schonborneri* politicam *cap.* 32. *lib.* 3. *Ibidem* de Aulæ moribus.

Tanto proclivius eſt injuriæ, quàm beneficio vicem exſolvere, quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. 4. *Hiſt.*

Animus illis audax, ſui obtegens, in alios criminator, juxta adulatio & ſuperbia, palam compoſitus pudor, intus ſumma adipiſcendi cupido. 4. *Annal.*

Callidi, prompti, & prout animum intenderint, pravi aut induſtrii eadem vi. 1. *Hiſt.*

Dicta factaque illorum quantò ſolutiora, & quandã ſui negligentiam præferantia, tantò gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiuntur. 16. *Annal.*

Subeſt tamen & vigor animi par negotiis, eo acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentant. 3. *Annal.*

Serendæ in alios inſidię artifices. Criminando, quod facillimum factu, bonos & modeſtos ante eunt 1. *Hiſt.*

Sollicitudo

Sollicitudo nos in nostrâ purpurâ versat, & acerrimis excitat stimulis: mollem somnum illis dura tellus dabat. *Seneca in Epist.*

Vatinius inter fœdissima Neronis aulæ ostenta fuit. primo in contumelias assumptus, deinde optimi cujusque criminatione eò usque evaluit, ut gratiâ, pecuniâ, vi nocendi etiam malis præmineret, *Tac.* 15. *Annal.*

Sæpe ob virtutes certissimum exitium, nec minus periculum ex magna famâ, quem ex malâ. *Agric. Tac.*

Sinistra semper erga eminentes interpretatio. *Ibid.*

Id Principi maximè formidolosum, privati hominis nomen supra suum attolli. *Ibid.*

Beneficia eousque læta sunt, dum videntur exsolvi posse. ubi multum antevenêre, pro gratia odium redditur. 4. *Annalium.*

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum, quàm fama potentiæ non suâ vi nixæ. 13. *Annal.*

Graviorum facinorum ministri, quasi exprobrantes adspiciuntur. 14. *Annal.*

Sejanus, in proximo Tiberio fastigio collocatus, ac Claudiæ ac Iuliæ domus pars, Cæsaris gener, ejusdem consulatus socius, in ore senatus laqueo strangulatus, in Gemonias tractus, ac manibus populi dilaceratus periit. Tiberius scelerum ministros ut ab aliis everti nolebat, ita plerunque satiatos & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraves adflixit. 4. *Annalium.*

Id verò summa ope parent, ut inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere possint iter ambitione ac periculis vacuum. 4. *Annal.*

Angusta & lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuit, adulationem odit. 2. *Annalium.*

Injurias patienter ferant: quarum unicum remedium, si non intelligantur, 14. *Annal.*

Facetiis abstineant, quæ ubi multum ex vero traxêre, acrem sui memoriam apud præpotentes relinquunt. 15. *Annal.*

Et

Et Princeps ſæpe haud falſa eſſe credit etiam, quæ vera non probantur. ut faciendis ſceleribus promptus, ita audiendi, quæ faciat, inſolens. *Ibid.*

Subduntur majeſtatis crimina, vinculum & neceſſitas ſilendi, quod plerunque omnium accuſationum ſupplementum eſt. 3. *Annal.*

Nec Sejanus uſu & ſenectâ domum Principum edoctus, fulgorem honorum unquam precatus excubias ac labores, ut unum è militibus pro incolumitate imperatoris malle ſimulans. 4. *Annal.*

Peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique utilitas. Blanditiæ, adulatio vetus in aula malum. 2. *Annal.*

Non patiatur Princeps, quod caput eſt, & privati hominis nomen ſupra, vel juxta ſuum attolli, quod eſt formidoloſum. *In Agric.*

Ubi enim Princeps ab aliquo ſuorum artibus vincitur, ſtatim ſe illi incautum, intectumque officit. 4. *Annal.*

Non capit unquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeja domus.
Circa regna tonat,
Volat ambiguis
Mobilis alis hora, nec ulli
Praſtat velox Fortuna fidem. Sen. in Hipp.
Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina. &c. Horat.

Aulici quàm ſæpe diteſcant ex Principum bonis.

Adeo innumerâ pecuniâ dites ſpectantur, ut quis eorum intra ſe ipſum aliquando volvat: Egone provinciali, & humili loco ortus Proceribus civitatis adnumeror? Ubi eſt amicus ille modicis contentus? inter nobiles & longa decora præferentes novitas mea enituit?

enituit? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fœnore exuberat? 14. *Annal.*

Vidi ego multos ex aulâ ætate provectâ speciem magis in amicitiâ Principis, quàm vim tenuisse. Idque & Mecœnati acciderat. 3. *Annal.*

Libertas monendi ab Aulis plerunque exulat. *Camerar. cap. 90. Cent. 1.*

AUGURIORUM. *Auspiciorum.* Vide *Ominu. Prodigiorum. Somniorum. Spectrorum Religionis.*

AN te auspicium commoratum est; an tempestas continet? *Plaut.*

Non temerè est, quod corvus cantat mihi nunc ab lævâ manu. *Plaut.*

De cælo servare, hoc est, per auguria, quid agi publicè debeat, significare.

Cicero cum vidisset exhaustam aquam de jugi puteo, terræ motum dixit instare.

Ipse Romulus augur fuit & Magistratus instituit auguriis confirmari.

Apud *Romanos* Augurum collegium fuit: qui ex motu, situ, gestu, incestu, volatu, voce, cibo, colore, opere animantium conjecturas & præsagia sumebant. Intestina, exta, viscera inspiciebantur.

Cum aliquandò mactato in opimo bove cor non inveniretur I. Cæsari à Spurinâ Aruspice mors prædicebatur.

Pindarum, cum esset adhuc adolescentulus, Thespias proficiscentem per æstatem meridiano calore fessum, somnus arctior complexus est. Advolârunt apes, quò pauculum de viâ diverterat, & ad ejus labia mel adleverunt. Hoc fuit carmina pangendi Pindaro initium.

Platonem in ulnis fovebat Perictione. Cum verò Ariston sacra litaret in Hymetto Musis & Nymphis, obeundæque rei divinæ daret operam, illa Platonem in proximis Myrtetis densis & spissis, reposuit. Cui

repentè

repentè examen apum in in os insidere cepit. Platonis Eloquentiæ augurium.

In augurijs sinistrum accipitur pro prospero & salutari. *Sinistra aves*, quæ portendunt felicitatem. *Festus* & *Servius* putant auspicium sinistrum dici à sinendo, quod nos agere aliquid sinat.

Varro ait: ad sinistram partem esse mundi exorientes, ad dextram occidentes: undè factum arbitrantur, quod sinistra auspicia sint meliora.

Plinius, quoque *læva fulmina*, hoc est sinistra refert meliora.

Donatus refert, in sacris signis idcircò prospera accipi, quæ sunt læva, quia sacrificantis, vel precantis latus lævum, dextrum est ejus, qui postulata largitur.

Hinc *Virg. Intonuit lævum*, significare volens sinistrum, *hoc est*, prosperum factum est augurium.

Curetum os. Ipsi Curetes pro Vatibus habebantur, unde pro Curetum ore alii Vaticinum os dicunt.

Oculus dexter mihi salit. sic dicitur, auris dextra mihi tinniit, quando de nobis absentibus cum laude fit mentio. Oculus igitur dexter mihi salit, nihil aliud, quàm spem futuræ felicitatis. Sic apud Comicos: prurit mihi tergum, mamilla salit. &c.

Cum Rex *Alexander* urbem in Ægypto constituere vellet, architectus Dinocrates cum cretam non haberet, polentâque futuræ urbis lineamenta duxisset, ingens avium multitudo proximo lacu emersa, polentam depasta est. quod sacerdotes Ægyptiorum interpretati sunt, advenarum frequentiæ alimentis suffecturam urbem. *Curtius.*

TIMOLEONTI *Corinthio* cum in Siciliam ad pellendum tyrannum, exiguâ manu iret, fax ei in mari, totam noctem naviganti præluxit. Delphos paullò ante profectus è donis suspensis vittam in caput suum deciduum ita excepit, ut coronæ aut diadematis ritu cingeretur. Atque erat ea vitta victorialis & corollis intexta.

Marciano Thraci: plebejo genere & mox imperatori, ad militiam eunti, & ut nomen daret, cadaver hominis

minis occisi in viâ offertur, ad quod substitit, & miseratione tactus, in eo est, ut sepeliat. Dum facit, deprehenditur, accusatur ut homicida. &c. *Vide Lips. Monitor. Polit. cap. 5. de Fatô lib. 1.*

Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est. Cum enim in villâ Cajetanâ esset, corvus in conspectu ejus horologii, ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo usque morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nunciaret. *Val. Max. cap. 4. lib. 1.*

Vide de his copiosè dicentem p. m. *Parentem in Fatidicis suis.* imprimis cap. 10. 11. 12. 13. 14. lib. III.

Et *Offic. Text.* lib. 1. cap. 34. De Aruspicio Ibid. *cap. 35.*

Adde inprimis Rosinum de Antiquitatibus.

T. Gracchus auspicia domi primâ luce petiit: quæ illi perquam tristia respondérunt. Nam januâ egressus, ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur. Tres demum corvi in eum adversum occinentes partem tegulæ decussam ante ipsum propulerunt. Quibus omnibus contemptis à Scipione Nasica Pontifice Max. decussus Capitolio, fragmento subsellii ictus procubuit. *Val. Max. cap. IV.*

P. Claudius bello Punico primo, cum prælium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, & pullarius non exire caveâ pullos dixisset, abjici eos in mare jussit, dicens: *Quia esse nolunt, bibant.* Ibidem.

Cum Metellus Pontif. Max. Tusculanum peteret, corvi duo in os ejus adversum veluti iter impedientes advolaverunt. Insequente nocte ædes Vestæ arsit. quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit. *Ibidem.*

In Augurem.

Inspicis exta boum, verum ut prædixeris, Augur,
Et pecudum in fibris stulta superstitio est.
Observas volucrum dubios per inane volatus,
Dextera Romanis ut bene vertat Avis.

Auspice

Auspice sic Pacem firmamus, & Auspice bellum:
Sic vano quondam teste dabatur honor.
Nunc Trebeam & Fasces donat vis aris & auri,
Ambitioque suis partibus aucta studet.
Differimus prisci nequicquam à moribus avis.
Nunc Aurum nobis Augur & Ales adest.

In Magum.

Quæ tantum Virus diffudit Vipera Musis,
Langueat ut toto nunc Helicone labor?
Nequicquam Magicis locus est hic artibus: alma
Hic colitur Pallas Cecropidumque chorus.
Et nihil est tanto commissi crimine dignum.
Expiet ut nostrum Tisyphone ulla nefas.
Ergo Thessalicis scelerata Venefica succis
Dispereas toties, & mala nostra leves:
Ne fugiant retrò Stygio stridore Camœnæ,
Nec lethale Deum pectora Virus alat.

AURORA. *Mane.* Vide *Ortus Diei. Vesperi.*

FLava pruinoso quæ vehit axe diem. Croceo velamine fulgens.

Operum monitrix & Musis semper amica. Roseo spectabilis ore.

Extremum noctis quæ dea finit iter. Prima vocans tardos ad juga panda boves.

Fulgens tenebris Aurora fugatis. Quæ revocat famulas ad sua pensa manus.

Quæ pueros somno fraudat traditque magistris, ut subeant teneræ verbera sæva manus.

Aurora primùm luce cum roseâ polum perfundit. Cum primùm albescere lucem cernimus.

Eois cum Lucifer exit ab undis. Vbi se nitido Sol aureus extulit ortu. Roscida cum primum foliis excussa pruina.

Cùm primùm crastina cœlo Puniceis invecta rotis aurora rubebit.

Aurora est prima diei lux, qua sub solis adventum aër illustratur.

Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo, quod igne solis aureo aër aurescit. *Varro.*

Poëtæ fingunt Deam esse Tithoni conjugem, & matrem Memnonis. quæ quod maritum habeat senem, relicto ejus cubili, ortum solis antevertit.

AUSCULTANDI, *Animadvertendi. Aurium.*

FAc omnem auritum populum. Auscultate & dicta mea devorate.

Exsurge Præco, fac Populo audientiam. Quæ vox hic aures verberat? Operam dare auribus.

Aures profectò dedi in deditionem tuam. Oculis venaturam facere, auribus aucupium.

Quæ illinc vox ad aures meas advolat? Dare alicui vacivas aures.

Aures alicujus onerare sermone ingrato. Perattentos animos habere.

Oratio non prætervecta est aures meas. Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.

Vnde meæ aures usurpant sonum? Perpurgatis ambo damus operam tibi auribus.

Omnia ego ista auscultavi ab ostio. Quænam vox mihi propè hic sonat?

Quid mihi, scelesto tibi erat auscultatio? Num quis hic est alienus nostris dictis auceps auribus?

Cujus aures tracti subsellii stridor offendisset.

In extremo terrarum orbe *Fanesios* video, aurium mole ad talos usque propendente, quibus vestium modo corpus contegant.

In hoc etiam cœtu *Midas R.* conspicitur, cum Asini auribus ingenti ad caput spatio porrectis. Vide *Theat. Ingenii Hum. cap. 4. lib. 1.*

Surdior Toronæo portu. Toronæ in Thraciâ portus est *mutus* appellatus: qui adeò angustos & longos habet à mari accessus, ut murmur maris in eo non audiatur.

Solus *Plato* Antimachi remansit auditor, cum libellum suum Thebais inscriptum Athenis populo prælegisset. Plato *multorum auditorum mihi est loco*, inquit.

AUTHORIS

AUTHORIS, *Caussa.* Vide *Auxilii. Consilii.*

EGo Caput huic argento reperiundo fui.

Alicui Principem existere ad aliquid. Author tibi sum ut hoc facias.

Me impulsore, suasore hæc feceris. Meo periculo hæc feceris.

Ego scio illum caput huic dono fuisse, te pedem.

AUTUMNI. Vide *Veris. Hyemis. Æstatis. Temp.*

EXonerans uvis pendentibus ulmos. Calcatis sordidus uvis. Extremas mittens in horrea fruges.

Viribus Autumnus turgentes detrahit uvas. Autumnali redolet vindemia fœtu. Incipit Autumnus mediâ sub Virgine.

Cum facit humentes Pleïas orta dies. Cum vinosa madet plenis vindemia labris.

Libra dies somnique pares ubi fecerit horas, & medium luci atque umbris jam dividet orbem.

Seras posuit cum vinea frondes; Frigidus & sylvis Aquilo decussit honorem. Ebria calcatis spumant cum præla racemis.

Ex tempestatibus optimæ æquales sunt, sive frigidæ sive calidæ.

Pessimæ, quæ variant maximè: quo fit, ut autumnus plurimos comprimat.

Nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis & vespertinis frigus.

Hinc Ovid. inæquales autumnos dixit. Idem alibi ait: Cum modò frigoribus premimur, modò solvimur æstu: Aëre non certo corpora languor habet.

Ut nunc canæ frigora Brumæ
Nudent Sylvas; nunc arbustis
Redeant umbræ. nunc æstivi
Colla Leonis Cererem magno
Fervore coquant; viresque suas
Temperet annus. Seneca in Hippol.

AUXILII. Vide *Asyli.*

Sed, quoniam parum tuta, per se, ipsa probitas est,

est, ad vos confugi P.C. quod mihi miserrimum est, cogor prius oneri, quàm usui esse. Sallust. *Verba Atherb. ad P. Rom.*

Vellem, potius ob mea, quàm ob majorum meorum beneficia posse me à vobis auxilium petere. *Ibid.*

Nunc deformatus ærumnis, inops alienas opes exspecto, tamen erat majestatis P. Rom. prohibere injuriam, neque pati, cujusquam regnum per injuriam crescere. *Ibid.*

Vestra beneficia erepta mihi sunt P. C. Vos in meâ injuriâ despecti estis. Eheu! me miserum! Huccine Micipsa pater, beneficia tua evasêre? *Ibid.*

Semperne in sanguine, ferro, fugâ versabimus? extorrem patriâ, domo, inopem, & coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius, quàm in meo regno essem. *Ibid.*

Pars in crucem acti, pars bestiis objecti sunt. pauci quibus relicta est anima. clausi in tenebris cum mœrore & luctu, morte graviorem vitam exigunt. *Ibid.*

Pulsus ex patrio regno rerum humanarum spectaculum præbeo. *Ibid.*

Utinam! emori, fortunis meis honestus exitus esset, ne vivere contemptus viderer. *Ibid.*

Nunc quoniam neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore P. C. per vos, per liberos, atque parentes vestros, per Majestatem P. Romani subvenire misero mihi. Nolite pati regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus & sanguinem familiæ nostræ tabescere. *Sic fatus* Atherbal.

BELLI. *Obsidionis. Armorum*, Vide, *Pugna. Præliorum. Discriminis. Tumultus. Exercitus. Armorum. Discordia.*

DE Disciplinâ Militari lege *Val. Max.* lib. 2. cap. VII.

Inprimis I. *Lipsium* in compendio Romæ illustratæ: qui Militiam Romanam, ejus disciplinam, armaturam, &c. graphicè depinxit.

Disponere

Disponere ordines; destribuere viros. Contra hostes legionem instruere. Pro se quisque edit, ferro ferit, telá frangunt, boat cœlum fremitu Virûm.

Ex spiratu atque anhelitu nebula constat, cadunt vi vulneris & virium.

Inducere Equites dextrâ. Prælium tandem deremit nox interventu suo. Tubæ utrinque canunt contrà, consonat terra, clamorem utrinque efferunt. *Plaut.*

Pulchrè gliscit prælium. Herus meus Elephanti corio circumtectus est. *Plaut.*

Agitare rem militarem. Magnum bellum impendet ab Hispano. Cum magnâ manu militum in aciem descendere.

Militiæ tyrocinium exercere. Rem bellicam fortiter ac strenuè tractavit.

Optandum esset, ne qua belli scintilla relinqueretur.

Bellum quasi flamma urit & consumit omnia. Flos exercitus & robur universum sobolesque militum cecidit.

Res ad arma spectat. Centuriare manipulares.

Suarum in pugnâ virium victoriâ me emit.

Nunc omnes voco contra. Studia rei militaris nunc vigent.

Postquam itum est in arma. Supplementum scribere legionibus.

Saga sumpsimus, ad arma ivimus.

Ernestus Casimirus gloriosam pro patria mortem oppetiit. Inclyta *Nassoviorum* stirps divinitus Christianæ militiæ est destinata.

Clandestinis auxiliis nos oppugnat. Non potui magis in arcem illius causæ invadere.

Cingere, circumvenire, premere, cogere urbem obsidione. Solvere obsidionem, laxare. Id vi & virtute militum expugnatum est oppidum. *Ciceroniana.*

Miles tunicâ coopertus adamantinâ. Militem inducere & castris vitam addicere.

Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος.

 Vides

Vides quæ tela improviso exorsa civilium bellorum: quæ si pertexitur, & nisi stamen ejus aut subtemen pax aliqua rumpat, stare mihi non licitum in hoc loco. *Lips.*

Suscipienda bella sunt, ut in pace sine injuriâ vivatur. *Cic.*

Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata Victoria. *Cic.*

Sapientes pacis causâ bellum gerunt & laborem spe otii sustentant. *Idem.*

Insignia militiæ non sunt purpura, torques, annuli, tiara; sed adverso pectore vulnera, & deformata cicatricibus corpora. Sallust.

Catilina memor generis atque pristinæ dignitatis suæ, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur. *Sallust.*

Nam ferè, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissâ animâ, corpore tegebat. *Idem.*

Catilina verò longè à suis inter hostium cadavera repertus est. paululum etiam spirans ferociamque animi, quem habuerat vivus, in vultu retinens. *Sallust.*

Volventes hostiliá cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. Ita variè per omnem exercitum lætitiæ, mœror, luctus atque gaudia agitabantur. *Idem.*

Amentia! hostis in latere, & tantum non ad portas Hannibal & nos litigamus? *Lips.*

Petreius tubâ signum dat, cohortes paulatim incedere jubet. infestis signis concurrunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani pristinæ virtutis memores: cominus acriter instare &c. *Sallust.*

Integros pro sauciis accersere. omnia providere, multum ipse pugnare. sæpe hostem ferire strenui militis & boni imperatoris officia simul exequebatur. *Idem.*

Quid ni malit, quisquis vir est, somnum suum classico, quàm symphoniâ rumpi. *Idem.*

Clamor virûm; clangor tubarum; fragores & strepitus tormentorum; internecina odia; alterna vulnera;

ra; enses imbuti sanguine; acervi trucidatorum corporum; vastationes & cadavera florentissimarum Vrbium. *Cic.*

Gens gentem praecedit in bello, & plaga coeli non tantùm ad robur corporum, sed etiam animorum facit. *Veget.*

Humilis conditionis homines nonnunquam gravissimas contentiones excitant. *Ph. Comineus.*

Metellus commutatis ordinibus in dextro latere, quod proximum hostis erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit, inter manipulos funditores, & sagittarios dispertit, Equitatum omnem in cornibus locat. Marium post principia habere, ipse cum sinistrae alae equitibus esse. *Sallust.*

In bellis civilibus, utrinque, seu vincentes, seu victi, patriam injuriâ afficiunt, cui damno est victoris bonum: *Plutarchus in Othone.*

Vide *Goulartii* Historicam Philosophiam Tit. BELLI.

Ut enim cum fulmen in unum aliquem cecidit, qui in proximo stabant, tremuerunt: sic in magnis illis communibusque cladibus damnum ad paucos pervenit, metus ad omnes. *Lips.*

Ecce bellum si apud Aethiopas aut Indos geratur, nihil moveare. si apud Belgas, plores, clames, frontem percutias & femur. *Idem.*

Nullum jam tibi vulnus, nisi per cicatricem imprimi potest. *Seneca.*

Pelta sunt scuta brevissima, in modum Lunae jam mediae.

Hastilia, quod ad hastae formam facta sint: hoc est, lignum teres, oblongum,

Si * *duo de nostris tollas pronomina rebus;*
Praelia cessarent, pax sine lite foret.
* *Hoc est*, Meum, Tuum.

Euclides fratri dicenti in quodam jurgio: *Peream, nisi te ulciscar*, respondit: *Ego verò peream, nisi te in meam traduxero sententiam.* Et confestim homini pudorem incussit, eumque mutavit.

Galeati Lepores: Milites dicuntur, quibus ad populandos

landos finitimos agros tectaque urenda & capienda pecora aliqua vis ineſt: ita in acie & ſignis collatis nulla eſt.

Manipulus vocatur contubernium, ab eo quod conjunctis manibus dicebant. Erant autem milites decem ſub uno papilione degentes. Livio Manipuli ſunt numeroſiores. Vide plura de Manipulis, in doctiſſimis Commentariis *Beroaldi* ad Apuleii lib. VII.

Sunt tria miſſionum genera, honeſta, cauſaria, ignominioſa. *Honeſta* eſt, quæ militiæ tempore impleto datur. *Cauſaria*, cum quis vitiò animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. *Ignominioſa*, cum quis propter delictum ſacramento ſolvitur.

Alexander M. interrogatus, quâ ratione totâ Aſiâ potitus eſſet? *Reſpond.* μηδὲν ἀναβαλλόμενος.

Poſt Marathoniam pugnam auxilium. *De iis, qui ſerò veniunt.*

Nullum bellum, inquit *Tullius*, à civitate optimè ſuſcipitur, niſi aut pro fide, aut pro Salute.

Evocati. Hi ſunt homines militiâ perfuncti & emeritis ſtipendiis: qui tamen rurſus militatum evocantur. Evocatorum honeſtus erat ordo in rè militari & in multis inſcriptionibus. *Evocatum Cæſaris* aut Auguſti fuiſſe ambitiosè inciſum videmus.

Punicum ſagum: Imperatorium erat veſtimentum & honorificum: quo imperatoris Bruti jacentis corpus indutum.

Apud Romanos, qui præerant exercitibus Coccinis utebantur ſagis, ut & *Lacedæmonii* militantes ſagulis rubris. quod color ille inſignis viros deceret, & quod ſanguineus ille color conſuefaciebat fuſum cruorem contemnere.

In omni conflictu non tam prodeſt multitudo, quàm Virtus.

Diſciplinam non poteſt ſervare jejunus exercitus.

Qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro.

Ita bellum ſuſcipiatur, ut nihil aliud, quàm pax quæſita eſſe videatur.

Dii

Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius. *Seneca.*

Cumque bellum res sit adeò immanis, ut feras, non hominis deceat, adeò insana, ut poëtæ quoque fingant à Furiis immitti, adeò pestilens, ut universam morum luem simul invehat, adeo injusta, ut à pessimis latronibus optimè soleat administrari, adeò impia, ut nihil eo cohæreat cum Christo. *Erasmus in Moriâ.*

Inemendabilis est error, qui violentiâ Martis committitur. *Val. Max. lib.* 7.

Principi arma non capienda sunt, dum pacem agere licet. *Zonaras.*

Græciæ civitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdidêre. *P. Orosius.*

Maro lib. 1. *Æneid.* scribit de templo Iani ab Augusto clauso, pace terrâ marique partâ.

Horatius: Postquam Discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit.

Romani in tumultu & bello cum ad sagum ibatur, justitio indicto, ponebant togam. Non tantùm populus, sed & Magistratus.

Plebejo tectus amictu Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.

Iustitium, juris statio est, & intermissio juris dicendi, quæ solet fieri in publico luctu.

Amazones. Dictæ sunt, vel quod simul vivant sine viris, quasi ἅμα ζῶσι, vel quod unam mammam exustam habeant quasi ἄνευ μαζῶν.

Amazones illæ, Fœminæ bellicosissimæ, mares ex se genitos solebant interficere; Fœmineum verò sexum servare & mammas dextras inurere, ne arcum tendendo impedirentur.

Pro vallo stare obligatis vulneribus.

——— *Quo non præstantior alter*

Ære ciere Viros Martemque accendere cantu.

Clamor militaris ad terrendos hostes magnam habat efficaciam. Vide probari hoc *à Camerario in Cent.* 1. *cap.* 77.

Interque manus & brachia versat terribilem cristis galeam.

Tremunt in vertice cristæ sanguineæ. Aureus undantem clypei vomit umbo favillam.

Clypeoque micantia fulgura mittit. Horrescit strictis leges ensibus, æraque fulgent sole lacessita & lucem sub nubila jactant.

Summaque in casside largus undantes volvit flammas ad sidera vertex.

Loricam fundentem incendia gestat. Hastis horret ager; campique armis sublimibus ardent.

Aurea cui postquam nudavit casside frontem. Resonant crebris tinnitibus arma.

Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro. Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Ærata defendit casside crines. Includit suras ocreis, capitique micantem imponit galeam.

Clypeumque ex ære sinistræ subligat. Ense levis nudo parmaque inglorius albâ.

Fœminea exultant lunatis agmina peltis. Stat ferri acies mucrone corusco.

Strictisque seges mucronibus ardet. Clarescunt sonitus, bellorumque ingruit horror.

Pulchrumque mori succurrit in armis. Tergo sceleratam intorserit hastam.

Concitat intortam furiatis viribus hastam. Hasta volans noctis diverberat umbras.

Strictamque aciem venientibus offert. Vocem gravis hasta secuta est

Sanguinolenta gravi vibrans hastilia ferro. Clypeumque auroque trilicem loricam induitur.

Ferrum alii torquent & adumbrant æthera telis.

Hic confixum ferrea texit telorum seges & jaculis increvit acutis.

Alius Latio nunc partus Achilles. At tuba terrificis fregit stridoribus auras.

Increpuêre simul feralia classica. Iam Lituus pugnæ signa daturus erat.

Romanæ accedunt aquilæ pugnamque minantur.

Residesque movebit Turnus in arma Viros. Sævit toto Mars impius orbe.

Furit

Furit admissis Vulcanus habenis. Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Horribilem ferus Mavors ciet undique pugnam, Pulchrumque mori succurrit in armis.

Armis concurrere campo. Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro. Balearica machina muros incutit.

Cædem Bellicam vide in Fatidicis Parentis mei *cap.17. lib. 2. sub finem.*

Præclarum historici de *Scipione* Iuniore. Cum juvenis quidam eo tempore, quo Carthago oppugnabatur, placentam in similitudinem urbis compositam, cui nomen indiderat Carthago, proposuisset conviviis diripiendam, dux illum equo mulctavit: *Quoniam*, inquit, *me prior Carthaginem diripuisti.*

In Bello retinendi Milites & quales;

Sine milite multa quamvis egregia, tamen invalida. 2. *Hist. Tac.*

Non legenda vernacula multitudo, lasciviæ sueta, laborum intolerans.

Non quibus corpus solo visu torvum & ad brevem impetum validum. nulla vulnerum patientia sine pudore flagitii, sine curâ ducum.

Quibus non in fugâ flagitium. Qui non pecuniâ dites & voluptatibus opulenti.

Qui sæpe mercede aluntur ministri sceleribus ac stipendiis illecti jus fasque exuunt. *Tac.* 3. *Hist.*

Qui sæpe propinquo rei discrimine non regi, non juberi, cuncta ex libidine agere volunt, inter secunda non divini, non humani juris memores. *Tac.* 2. *Ann.*

Non effœminari debet miles.

Romanus miles in porticibus aut delubris & urbe tota vagus non principia legionum noscere, non servare vigilias, neque labore firmari poterat. *Tac.* 2. *Hist.*

In castris Vitellii omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus quàm disciplinæ & castris propria erunt *Tac.* 2. *Hist.*

Quin revocato prisco more, exerceantur legiones, etiam sine bello, curat, provisu agere, perinde ac si hostis ingruat. 12. *Annal. Tac.*

Discant, militibus cupido pugnandi quod conveniat. duces providendo, consultando, cunctatione, quàm temeritate prodesse. *Tac.* 3. *Hist.*

Semper in prælio iis maximè periculum, qui maximè timent. audacia pro muro habetur. *Sallust.*

Nemo nisi victor, pace bellum mutavit. nam in fugâ salutem sperare, cum arma, quibus corpus tegitur, ab hostibus avertere, ea verò dementia est. *Sallust.*

Cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis. *Idem.*

Vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dexteris vestris portate. *Idem.*

Si quis Deus sponsor tibi per hoc ipsum bellum sit, agellos tuos intactos fore, domum pecuniamque salvam, te ipsum in monte aliquo constituat velatum Homericâ nube. Etiamnum dolebis? Erit non nemo, qui gaudebit etiam, & oculos suos avidè pascet in confusâ illâ morientium strage, ita insita, nescio, quæ malitia humani ingenii fert, *Latans*, ut poëta canit, *malo alieno.* *Lips.*

Pone mihi aliquem in Oceani illo littore, qui naufragium spectat. Adficietur sanè, sed non injucundo quodam animi morsu *Idem.*

Tu mihi in hoc certamine Achilles, ille Troilus. plus virium in tuâ hastâ, imò causâ. *Idem.*

Disciplina castrorum antiquior, fuit Romanis parentibus ipsis, quàm charitas liberorum. *Alex. Severus.*

Disciplina militaris acriter retenta Principatum terrarum Romano Imperio peperit. *Valer. Max.*

Pace suspectâ tutius bellum. *Tacitus.*

Miles Principi in Pace decus, in bello præsidium. *Idem.*

Frangit, & attollit vires in milite Causa:
Quæ nisi justa subest excutit arma pudor. Propert.
Iniqua bellans bella salvus haud redit. Euripides.

In Militem.

Quæ mala te Stygiis, Miles, produxit ab antris
Pestis, ut in Batavos nunc quoque bella pares.

Dira

Dira Lycaonia recoquis, prô! fercula mensa,
Sanguinis & fusi triste revertit amor.
Nec magis humana quem vita cura salusque,
Quàm levibus stipulis facta favilla, juvat.
Pro Patria stringis fortem imperterritus ensem?
Nec renuis magno sub Phocione mori?
Auspiciis, ter macte, tuis! Bellator: ut armis,
Et causa inceptis spondeat aqua tuis.

Bellorum iniquissima conditio. Prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. *Tac. & Agric.*

Miles sumat ad prælium locum, ut aditus, ut abscessus, cuncta hosti importuna, & suis in melius sint.

Ducis in bello officium.

Non omittat suos testari, & quæ sapientia, prævisu, aptaque imminenti pugnæ disserere *Tac.* 2. *Ann.*

Hortari, firmare animos, minuere metum, accendere spem, alios laude, alios pudore & probris stimulare, aliis prædam ostendere. *Tacitus* 3. *Hist.*

Capessere pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores. 5. *Hist. Tac.*

Illum diem, aut gloriosissimum inter majores, aut ignominiosissimum apud posteros fore. 5. *Hist. Tac.*

Nec quicquam aliud exspectandum, nisi immortalia tributa, sævitiam præsidentium, & ut tot armatorum millia veluti grex venalium serviant. 3. *Hist. Tac.*

Mortem omnibus ex naturâ æqualem, oblivione apud posteros, aut gloriâ distingui. 1. *Hist. Tac.*

Cuncta virtute expugnabilia. 14. *Annal.*

Si multitudine militum superentur, etiam in multis legionibus paucos esse, qui prælia profliget, gloriæque eorum accessurum, quod modicâ manu universi exercitus famam adipiscerentur. 14. *Annal. Tac.*

Sua etiam sæpe victoria obstitit, dum omissis telis, prædâ manus impediuntur. 5. *Hist. Tac.*

Antonii milites dum prædas Cremonâ trahunt, ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus, ipsos postremò direptores in mutuam perniciem agebat *Tac.* 3. *Hist.*

Moneat

Moneat militem, stragem, cædemque continuare prædæ immemores, partâ victoriâ, omnia ipsis cessura. *Idem.*

Bellum commendatur.

Libertatem, patriam, parentesque armis legimus. *Sallust.*

Quis improbo semper ore respuat honestum bellum? cum nullum bellum à civitate optimâ suscipiatur, quàm si parentes, aut patriam aut socios deserat. *Cic.*

Quid est, quod contra vim sine vi fieri possit? *Cic.*

Justum bellum, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla in armis relinquitur spes. *Cic.*

Miles non fortitudinem magis, quàm fidem colit. *Curtius.*

In primâ fronte concurrens, & adeo adversa vulneribus pectora ferens, ne Imperatoris sui signa vertant. *Seneca.*

Militaris Disciplina, ex cujus sinu omnes triumphi manant. *Val. Max.*

Disciplina Majorum Remp. tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittimus. *Alexand. Severus.*

Contra bellum Civile.

Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura care habere potest, quem discordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat, eumque ex hominum numero ejiciendum; ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. *Cic. Philip.* XII.

Factiones fuêre, eruntque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbive. *Livius.*

Nobilium contentiones & partes etiam legibus oportet prohibere. *Arist. in Polit.*

Castra ex una parte contraria, & parentum liberorumque sacramenta diversa. *Seneca.*

Videre parentes.

Frontibus adversis, fraternaque cominus arma. Lucanus.

Magnificus apparatus conviviorum & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia paritura mox egestatem. *Florus*. hac enim belli civilis causa.

Opes atque divitiæ afflixêre sæculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina, Remp. pessumdederunt. *Idem*.

Vide Lipſ. de causis belli Civilis. *Cap. 4. Polit. lib. 6.*

Conversa in usum militis omnis pecunia. *Tacitus*.

Hoc verò, quid aliud quis dixerit, quàm insaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum sine injuria, occurrentia devastantem, ac ferarum more occidere, quem non oderis. *Seneca*.

Prope eversus orbis, cum de principatu inter Pompejum & Cæsarem certaretur. capta toties suis civibus urbs. vastitas Italiæ. direptiones provinciarum secutæ. propinqui, fratres trucidati, spoliati. *Tac. 2. Hist.*

Nec quisquam adeò mali expers, ut non aliquam mortem tunc mœreat, 2. *Hist.*

Et victores ipsi in lacrymas effusi sortem civilium armorum sæpe miserâ lætitiâ detestati. 2. *Hist.*

Et arma civilia neque parari possunt neque haberi per bonas artes. 1. *Annal.*

Tunc pecunia ferro validior, & pessimo cuique plurima vis. 1. *Hist.*

Tunc nulla severitas disciplinæ, & plus militibus, quàm ducibus licet, 2. *Hist.*

Grandævi senes, exactâ ætate, fœminæ viles ad prædam, in ludibrium trahuntur. 3. *Hist. Tac.*

Tunc crudelis Vitellius, qui inter lacera cæsorum civium corpora truncos artus, putres virorum equorumque formas, infectam tabo humum peragrans, nec flectet oculos, nec tot millia sepultorum civium exhorrescet. 2. *Hist. Tac.*

Ubi occidere palam, ignoscere non nisi fallendo licet. *Tac.* 1. *Hist.*

Tunc Otthoni victori non erit authoritas ad prohibendum

bendum ſcelus, jubere tantum poterit. ita ſimulatione iræ Marium Celſum vinciri juſſum, & majorem pœnam daturum affirmans præſenti exitio ſubtrahit. 1. *Hiſt.*

An ipſe Princeps in bellum eat.

Plura in ſumma Fortuna auſpiciis & Conſiliis, quàm telis & manibus geruntur. *Tac.* 13. *Annal.*

Princeps dubiis periculorum exemptus ſit. 2. *Hiſt.*

Summæ rerum & imperio ſe reſervet. *Ibid.*

Interdum venturi ſpeciem ſimulet. *Ibid.*

Quippe majora creduntur de abſentibus 2. *Hiſt.*

Contra Militem.

Incipere bellum cuivis ignavo etiam licet, deponere, cum victores velint. *Salluſt.*

Utrinque ferrum & corpora humana erunt. nunquam minus, quàm in bello eventus reſpondent. *Livius.*

Quantumvis opibus tuis confidis, non debes certa pro incertis mutare. *Salluſt.*

Non expedit concutere felicem ſtatum *Seneca.*

Quid juvat te aureo hamo piſcari? *Sueton.*

Simul parta & ſperata decora unius horæ Fortuna evertere poteſt. *Livius.*

Medici negant ſine nervis homines ambulare poſſe: ſic & bellum non procedit ſine pecuniis. *Petronius.*

Pleræque belli res conficiuntur conſilio & vi pecuniarum. *Thucyd.*

Bellum non eſt in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia arma utilia fiunt. *Idem.*

Emunt militem non legunt. pecunia proponitur. tympanorum ſtrepitus, & ecce, coëunt aliquot ignoti inter ſe ignorantesque. *Livius.*

Purgamenta urbium ſuarum. *Curtius.*

Quibus ob egeſtatem & flagitia maxima peccandi neceſſitudo eſt. *Tacitus.*

Aſſueti latrociniis, bellorum inſolentes. *Ægeſippus.*

Quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa,

mensa, pedes fugaces. quæ honestè nominari non possunt, inhonestissima.

Populatores terræ, quam à populationibus vindicare debent. *Curtius.*

Verè hirundines ærarii. *Cicero.*

Miles in causâ est, quare Juvenal.

Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.
Non ullus aratro
Dignus honos. squallent abductis arva colonis. Virgil.
Scelera, dempto fine, per cunctas domos
Iere: nullum caruit exemplo nefas. Seneca in Hippolyto.
Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent, nulli sua profuit ætas. Lucanus.
Venalesque manus; ibi fas, ubi maxima merces. Idem.

Quis Dux eligendus.

Dux amotâ invidiâ egregius potius, quàm pecuniosus, & gratiâ subnixus per ambitum diligatur. 13. *Annal.*

Qui plures per provincias stipendia expleverit. 3. *Annal.*

Qui nôrit, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendoque bello modus. 3. *Hist.*

Qui secundarum, ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. 1. *Annal.*

Nec enim Princeps crebris epistolis illum monere potest, quia ex distantibus terrarum spatiis consilia post res afferuntur. 3. *Hist.*

Ideoque est, quod dux mitti debet nullis certis mandatis, ex re consulturus. 1. *Annal.*

Unde Othone per literas flagitante, ut maturaretur cum de prælio duces dubitarent, res malè cessit. 1. *Hist.*

Sicut & quando certum est ad diem redire classem Nero jusserat, non exceptis maris casibus. 15. *Annal.*

Scimus autem magnos duces plura consilia, quàm vi profecisse 2. *Annal.*

Cum

Cum ratio & consilium propriæ ducis artes sint. 5. *Hist.*

De *Milite* vide *Goulartii* Philosoph. Historicam hoc Titulo.

ORATIO *ad milites ex Taciti variis locis.*

TAm quibus salus, quàm quibus gloria carissima est, commilitones, tandem sumite animum. Iam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse. Fugientibus sævitia hostium superest. ac victoribus decus ac gloria.

Proinde & honesta mors turpi vitâ potior. & incolumitas ac decus, eodem loco sita sunt.

Si tædio viarum & laboris finem cupitis, imponite bello magnũ diem.ne terreat vanus hostiũ adspectus.

Insistite cædibus. densate ictus. Ora mucronibus quærite. Memineritis omnia prona victoribus, atque eadem victis adversa.

Unde Virtutem armis affirmate. Est enim vobis robur peditum equitumque. Pandite modò sinum. & venienti fortunæ, quæ fortioribus adest, occurrite. *&c.*

De PACE & BELLO nos in *Tyrocinio Eloquentiæ* egimus Oratione III. & LXIII.

De Disciplinâ militari Turcarum vide *Camerar. Cent.* 2. *cap.* 23. 24. *&c.*

BENEFICIORUM. Vide *Muneris Gratitud. Ingratit. Liberalitatis.*

POnere beneficium apud aliquem. Benefactis inter se certare.

Si quid benefeceris, gratia plumâ levior est, sin malefeceris plumbeas iras gerunt.

Facilior ratio est injuriæ ulciscendæ, quam beneficii remunerandi.

Tibi lubens benè faxim. Animo suo volupe facere. Beneficio reddendo non dicitur dies ut creditæ pecuniæ.

Melius

Melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocari puto.

Beneficium & gratia vinculum sunt Concórdiæ. Benefacta malè locata, malè facta arbitror.

Architectum esse benefactis, *hoc est, authorem esse beneficiorum.*

Fœneratum isthuc beneficium tibi pulchrè dices. Pecuniam in loco negligere maximum sæpè lucrum.

Oportet referendæ gratiæ curam jugiter suscipere. In culpam ingrati animi incidere.

Optimè optimo optimam operam das, datam pulchrè locas.

Et eum esse quæstum in animum induxi maximum, quàm maximè servire vestris commodis.

Utinam benefacere mihi ex consuetudine in naturam vertatur.

Beneficium verbis initum re comprobes. Benefacta summum semper premit nefas.

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.

Memoria beneficiorum fragilis, injuriarum tenax. *Seneca.*

Seneca.

Beneficia sine ullo delectu projicimus magis, quàm damus. Reddit beneficium, qui libenter debet.

Eodem animo beneficium debetur, quo datur. Beneficia in vulgus cum largiri institueris, perdenda sunt multa, ut semel benè ponas.

Beneficia non Calendario inscribuntur. Non potest beneficium manu tangi: animo cernitur.

Quod voles gratum esse, rarum effice. In gratum est beneficium quod diu inter manus dantis hæsit.

Nihil est acerbius, quàm ubi, quod impetrâsti, rogandum est.

Lacerat animum [illegible] premii frequens meritorum commemoratio. Beneficium & gratiæ relatio, ultrò citròque ire debent.

Pudeat ullum venale esse beneficium: gratuitos habemus

bemus Deos. Qui dedit beneficium taceat; narret, qui accepit.

Qui gratè beneficium accepit, primam ejus solvit pensionem.

Beneficii qui meminit, jam gratiam refert. Beneficium quid dat, vult excipi gratè: habet quod voluit, si benè acceptum est.

Animus invenit liberalitatis materiam etiam inter angustias paupertatis. *Idem.*

Ego nullius expetendum esse beneficium puto: cujus vile judicium est. *Idem.*

Etiam subitæ largitionis comes, pœnitentia est.

Exorari in perniciem rogantium sæva bonitas est. *Seneca.*

Sæpe nihil interest inter amicorum munera & hostium vota. *Idem.*

Beneficium est dare regiones, per quas multa flumina & navigabilia decurrant. Beneficium est, arentibus siti, & vix spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem. *Idem.*

Pudeat ullum venale esse beneficium, gratuitos habemus Deos. *Seneca.*

Insidiosissimè nocet, cui gratiæ redduntur pro injuriâ. *Idem.*

Gratum hominem beneficium semper delectat, ingratum semel.

Non est beneficium quod in quæstum mittitur. *Hoc dabo, hoc recipiam, auctio est.* Seneca.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia namquè
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Male istis improbis & importunis beneficiorum suorum quadruplatoribus eveniat.

Æschines pauper auditor, nihil, inquit dignum te, quod dare possum, invenio. Itaque dono tibi quod unum habeo, *Me ipsum.* Seneca.

Archelaus Rex Socratem r[illegible]vit, ut ad se veniret, dixisse Socrates traditur, nolle se ad eum venire, cum reddere illi paria non posset.

Reges *Parthos* non potest quisquam salutare sine munere;

munere; tibi valedicere non licet gratis.

Anacreon, quum auri talentum à Polycrate tyranno accepisset, aliis id distribuit, inquiens, *Odi munus quod vigilare cogit.*

Democritus cum animadvertisset, quendam sine lege & sine quibuslibet largientem: *Malè*, inquit, *pereas, qui Gratias Virgines meretrices effecisti.*

LIBERALITATIS.

Digna Deo Virtus, pœnis urgere nocentes;
Irascique malis semper, amare bonos.
Ponite mercedem in medio: quæ provocet ultra
Ingenium ad palmas ambitiosa suas.
Gliscit amor rerum & nihil insuperabile nobis,
Si venit ex merito gloria cuique sua.
Vilescit Procerum Virtus terraque marique,
Ni pleno redeat dextera folle domum.
Non meritis bene claude manum. Pars publica rerum
Si suus ex æquo præmia penset honor.

Beneficia non sunt exprobranda apud memores. *Livius.*

Beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium habetur. *Tac. annal. lib.* 4.

Ut tenax est injuriarum memoria, sic beneficia in ipso excidunt usu.

Herodianus in Pertinace.

Inexhausta opulentia est beneficentia. *Procop. de bello Vandal.*

BIBENDI. *Convivii. Temperantia. Cœnandi. Epularum.* Vide *Abliguriendi. Voluptatis.* Vini.

PRobè appotus est. Nec Bacchum nec Cererem hodie salutavi.

Communicare aliquem suâ mensâ. *Seneca.*

Reddere aliquem madidum.

Deponere aliquem vino. Flos veteris vini naribus meis est objectus. *Plaut.*

Percutere

Percutere se meraciore vino. *Idem.*

Vterque pro Ilio potabimus: uter ibi bellator Cantharo erit melior. *Idem.*

Musicè vitam agere. Struices patinarias concinnare.

Lances detergam omnes. Intra pectus se penetravit ista potio.

Cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem. *Terent.*

Convitii crapulam exhalare. Aeræpala *dicuntur omnia ea, quæ crapulæ obsistunt: qualia sunt* Adipsa, quæ sitim prohibent.

Mensas secundas alicui apponere. Cœna dapsilis. Saliare Convivium.

Salii *erant olim sacerdotes. Hinc* saltare, Salium in modum.

Iam diu factum est postquam bibimus: nimis diu sicci sumus. *Plaut.*

Unde suum nescis ducat cerevisia nomen?
Quod cerebrum visat.

Pitissando totum mihi cadum exhausit.

Siccatis cadis fugiunt amici. Indere in os vini guttam.

Vide, ut ingurgitat impura in se merum avara plenis faucibus. *Plaut.*

Calceatis dentibus venire. *Idem.*

Minore nunquam benè fui dispendio.

Fecisti funus absente me prandio. *Plaut.*

Iube nobis tribus prandium apud te accurarier.

Cœnare lepidè nitidéque volo, nihil moror barbarico ritu comesse jam. *Idem.*

Faciam ut digitos prærodant sibi hodie domi meæ. *Idem.*

Ego hìc sum siccus, vos vestros pantices madefacitis. *Idem.*

Nulli negare soleo, si quis me esum vocat. Massici montis uberrimos quatuor fructus ebibere in horâ unâ. *Idem.*

Non vides me, ut madidè madeam. Vicit vinum, quod bibi.

Postquam

Poſtquam ſurrexi, neque pes neque mans ſatis ſuum officium facit. *Terent*.

Iam dudum eſt animus in patinis. Poculis aliquem commorati.

Omnia dura ſiccis propoſuit Deus.

Ecce, ut bibit arcus, pluet. *Plaut*.

Ad hilaritatem poculorum proceſſimus. Iam longâ potatione palatum obſurduerat.

Crateres menſaque volant araque Deorum. Virg.

Quando repoſtum Cæcubum ad feſtas dapes
Victore latus Cæſare,
Tecum ſub altâ (: ſic Iovi gratum) domo,
Beate Mecœnas bibam.
Capaciores huc, puer, ſchyphos
Et Chia vina aut Leſbia &c. Horat. Epod. IX.

De convivâ Corybanta videbis,
Iurgia preludunt; ſed mox & pocula torques
Saucius, & rubrâ deterges vulnera mappâ.
Pugna Saguntina fervet commiſſa lagenâ.
Ipſe capillato diffuſum conſule potat
Calcatamque tenet bellis ſocialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.
Cras libet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis: cujus patriam titulumque ſenectus
Delevit multâ veteris fuligine teſta. Juvenal. Sat. V.
Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor. Ibidem.
Si ſtomachus domini fervet vinoque ciboque.
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. Ibidem.

Aprez la panſe vient la danſe.
A la trogne cognoit on l'yvrogne.

Cæſar Tiberius dictus eſt Biberius.

Alexander optimos amicos, cum ſe ingurgitâſſet nimium, interfici juſſit, Urbem Perſepolin incendi.

Romani quando uxores & liberi Vinum bibiſſent, acriter in ipſas animadverterunt.

Romuli tempore quis homo propriam uxorem, quod bibiſſet vinum, interfecit, quod factum Romulus probavit.

Cum

Cum aliquandò muliercula repericbatur, clavem vinariæ cellæ furto abstulisse, in carcerem conjuncta fame periit.

Solebant *Romani* domum venientes Uxores & libertos osculari, indicium facturi, an vinum bibissent.

Romulus invitatus ad epulas, recusavit largiorem potum, dicens: *Altero die res magni momenti sibi expediendas.*

Regibus Ægyptiis nefas olim fuit ultra certas mensuras quicquam bibere.

Nero Domitianus alicui fœminæ bona omnia abstulit, quæ in matrimonium acceperat, quia vino & luxuriæ dedita.

Antigonus vino aliquandò obrutus iniquam in viduam sententiam dixit: Quamobrem illa irata ab ebrio rege ad sobrium provocavit.

Græci in primis epulis minoribus poculis delectabantur, in fine verò largioribus. Quare Græco more bibere est capacioribus poculis bibere.

Mithridates Rex Ponti tantæ bibacitatis fuisse dicitur, ut præmia plus haurientibus proposuerit.

Apud *Arabes*, cum largiore potu uterentur nemini supra duodena pocula bibere fas erat.

Bonosus Imp. tantum bibit, quantum hominum nemo, qui non ut vivat, Aureliano teste, sed ut bibat natus.

Lapithæ & Centauri in nuptiis Hippodamiæ & Pyrithoi, post convivia in cædes gravissimas inciderunt, adeò quidem, ut pocula & mensas in telorum usum converterint.

Græci Hospitalem Iovem colunt, qui præest hospitibus, qui jura hospitalitatis inter hospites sancta illibataque servari jubet. unde illud notissimum: *Iupiter hospitibus nam te dare jura loquuntur.*

Cum aliquis *Cambysen* regem de turpitudine ebrietatis commonuisset, inquit iratus ille: ut scias quod nunquam excidam mihi, approbabo oculos meos post vinum in officio esse & manus. Bibit deinde liberalius & majoribus scyphis. Et jam gravis & vinolentus objurgatoris

objurgatoris sui Filium procedere ultra limen jussit, allevataque super caput sinistrâ manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis figit, recisoque pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit. *Negavit pater Apollinem potuisse certius mittere.*

Absinthites, a, Vini fictitii genus est cum absinthio decocti, aut alio quovis modo absinthio conditi. *Absinthiatus* significat idem, quod absinthio temperatum. Poculum absinthiatum.

Bacchanal vel Bacchanale. Locus, in quo Bacchi festa celebrabantur.

Plautus: ad Bacchas in Bacchanal veni coquinatum. *Bacchanalia,* quæ & Dionysia, Bacchi festa, in quibus viri per noctem fœminis & teneræ ætati miscebantur per dolum. *Baccha* Bacchi sacrificula, quæ & *Menas* & *Thyas* appellatur. Mulieres quoque terno anno ad Citheronem montem catervatim cum Thyrsis convenientes, ut ibi Bacchi Orgia magno cum ululatu celebrarent, *Bacchæ* dicebantur.

Orgia primum dicta fuerunt quævis sacra. Erat enim Orgiorum appellatio generalis, quemadmodum apud Latinos Ceremoniarum. Postea tamen factum, ut hæc Orgia significarent Liberi Patris Sacra. ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à furore. Innovabantur à tertio anno, unde *Trieterica,* hoc est, Triennalia dicebantur. *Virg. 4. Æneid.*

Vbi audito stimulant trieterica Baccho.
Orgia.

Bacchus dicitur ἀπὸ τοῦ βακχεῖν, h. e. ab incondito clamore. *Vide Tit. Vini.*

Thyrsus propriè dicitur illud, quod in herbis virgulæ in modum vel teli rectitudinem consurgit.

Lucretius accipit Thyrsum pro furore, stimulo, ardore vel instinctu quodam, quum ait:

Percussit Thyrso laudis spes magna meum cor.

Est præterea hasta aculeata, hederis obtecta, quam in Orgiis Bacchæ quatiebant.

De Nicotiano sive Tabaco Euphormion in Satyrico suo.

CÆterum nihil mirabilius mihi fuit, quàm quod extremo convivio, nescio, quæ instrumenta illata sunt; lævia quidem illa politaque, sed Samia tantùm. Eorum hic modus fuit. Calix erat exiguæ capacitatis, ad quem pertinebat directa veluti tibiola, eaque cavata. Catharinus autem aliquid evolvit ex multiplici charta, & in minutissimas dissectum partes in illum calicem digerit, admotaque excitat flammâ. Tum verò exundavit tenuis fumus & se in aërem dispersit: cum Catharinus extremam tibiolam ori insertans, perductum spiritu fumum per concavos instrumenti meatus diutius faucibus pressit: donec subhorridus vapor occuparet domicilium mentis. *Oculi conceptâ lacrymarum nube ardebant*, nares caliginosi aëris reddebant volumina, & os omnino fornaculi imaginem figurabat. Sequutum est ingens ac sordidum flumen, cum omnibus ostiis exciti ab hac peste humores aut concepti exundarent. Ac ne quid deformi spectaculo deesset, tam pestilens odor triclinium invaserat, &c.

Credidimus hominem illum ultra ad dotes, quas memoraverat nobis, etiam Psyllum esse: alioqui nunquam venenum tam atrox percoxisset.

Pergit idem Carmine:

Planta nocens, ô lethifero planta horrida fumo, &c.

CL. BARLÆUS.

Pars in frustra secant, pars igni humentia siccant
Corpora, pars flammas admovet, atque faces.
Otia, qui fugiunt, in nobis otia perdunt,
Et magna peragunt sedulitate nihil.
Quo capior, perdor. quo claudor, pellor ab ore,
Nostraqua mox dissflat fercula, quisquis amat.
Qua mihi, qua nitidos aperis, matrona, penates,
Pramia tam clari sputa laboris habe.

BREVITATIS.

POnere, aliquid ad Compendium. Laconicæ brevitati studere.

Loqu

Loqui succincta brevitate. Parsimoniam verborum adhibere.

Modicum & parcum esse verborum. Arctare paginam limite parciore.

Parvo pomœrio finietur mea oratio. At breviter id explicabo, ut videar annum in mensem contrahere. Capita rerum mihi expedite.

Longum est iter per præcepta, breve & efficax per exempla,

Ire per ambages, tibi si compendia prosint,
Stultitiæ primum dixeris esse gradum.

Nihil magis brevitate amo; sed, si simplex.

Nihil magis brevitate odi; sed si affectata.

Quid etiam si fucata? nam verba emendicant, & abstrusiores aliquot phrases, ad quæ risum non teneo, non dicam vix iram. *Lips.*

Ciceronem amo. olim etiam imitatus sum. alius mihi sensus nunc viro. Asianæ dapes non ad meum gustum: Atticæ magis. *Idem.*

Certè, cordatâ breviloquentiâ nihil potest esse divinius. *Erasmus.*

Raró produntur oracula: eaque paucissimis verbis. atque ideò deorum voces esse creduntur.

Hujusmodi leges sunt Solonis apud Athenienses; Lycurgi apud Lacedæm. ac Romanis in omnes casus sufficiebant XII. Tabulæ.

Ad excludendum in omnibus contractibus dolum malum, satis erat unica Formula: *apud bonos bene agier oportere.*

De *Ebrietate* nos in Tyrocinio Eloquentiæ oratione XLIII.

Phocion apud Athenienses, vir incorruptissimus, cum ambularet in foro, cogitabundo similis, & ex amicis illi quidam dixisset: videris cogitabundus, ô Phocion, Rectè, inquit, conjectas, perpendo apud me, num quid ex his, quæ dicturus sum, resecare possim. *Eras. in Linguâ.*

Idem *Leosthenis* orationem, quâ conabatur magnificis promissis populum Atheniensem ad bellum con-

 citare,

citare, dixit, similem esse cupressis, quæ cum pulchræ sint ac proceræ, fructum tamen nullum afferunt. *Ibid.*

Heracletus cum in seditione rogaretur à civibus, ut pro concione suaderet concordiam, ascendit pulpitum, & *culicem implevit frigidâ, ac farinam infusam indice miscuit ac bibit.* Itaque discessit. Videlicet ipsâ re loquens, plerunque seditiones ex luxu superfluarum rerum nasci.

Philippus cum à Lacedæmoniis petiisset, utrum vellent ipsum in civitatem recipere an non; illi nihil aliud rescripserunt in chartâ quàm unicam syllabam grandioribus literis οὐ, id est, non. &c. *Eras. de Linguâ.*

Sermo, qui paucissimis verbis multam sententiæ vim complectitur, simillimus est semini sicco minutoque & in speciem contemptibili, quod terrâ conditum ingentem arborem effundit.

C.

CALUMNIANDI. *Contemnendi. Injuriæ.* Vide *Imprecandi. Linguæ. Convitii.*

Onerare aliquem maledictis. Implere alicujus fores Elogiorum carbonibus.

Intendere in aliquem digitum. Aliquem pro ridiculo & delectamento habere.

Sterquilinium tu es. Impuratus es. Impurissimo ore in aliquem evomere orationem.

Convitiis & sibilis aliquem consectari. Pipulo aliquem differre. *Plaut.*

Id me susque deque esse habiturum putat.

Cujus ego vel nebulæ Cyatho septem noctes non emam. Meum tergum flocci facio.

Minacias ego istas tuas non flocci facio. Me quasi pro derelicta sis habiturus.

Despicatui aliquem ducere. Alicujus dignitati illudere. *Plaut.*

Caninæ mordacitatis aciem in bonorum famam atque existimationem distringere.

Nec transversus agar ab hoc calumniæ an invidentiæ œstro.

Obtenebrare alicujus honorem calumniarum nebulis. Fremat Calumnia, palleat livor.

Adversus aliquem eminus calumniis velitari.

Viperæ ritu niveo denticulo atrum venenum inspirare. *Plaut.*

Prima scintilla & fomes. Calumniæ otium est. *Lips.*

Calumniatores vascula inania; quæ maximè tinniunt, & liquoris minimum habent. *Idem.*

Videtisne minutos illos canes & degeneres, qui hospites allatrant, feras non tangant? tales deteriores isti hominum, qui lædere tantum innoxios nati & vexare. *Idem.*

Quod deterius est, eligunt, & quod Medici de *Cucurbitis* dicunt, quas corpori affigunt, non nisi pravum eas vitiosumque sanguinem educere: Verius de istis ego qui non adtrahunt ad se nisi mala. *Idem.*

Natura hoc lingulacis insitum, *ut non multa solùm loquantur, sed mala.*

Si quis vestrum adfuit indomitis istis, & quibus, ut *Pindarus* ait, os sine fræno: nonne præcipuus ipsorum sermo non solùm de aliquo, sed in aliquem est? certe. Audita enim & non audita efferunt, quæ vera, quæ vana.

Et ut in Iudææ lacu nihil mergitur, sed supernatant omnia injecta: sic in illorum pectore nihil conditur, superfluunt, imo effluunt omnia. *Idem.*

Calumnia Pyladem ab Oreste, Lælium à Scipione divellet. Venena mihi nuda & aperta porrige, vitabo: Si vino aut cibo callidè mixta, qui possum? Non aliter de Calumnia censeo: quam bono jure dixero *mel venenatum. Idem.*

Hostem adversum deprimere homini strenuo haud difficile est; occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est. *Idem.*

Poetæ Chimæram suam è triplici corpore fingunt: sed fingunt. Hîc ipsa res est, & ad hoc monstrum ca-

lumniæ constituendum cœtus & mixtio concurrit trium vitiorum. Nam architecti ejus præcipui Mendacium & Invidia : Curiositas autem nutrix. Cogitate ipsi, quàm bella hæc proles sit, à bella hac vitiorum Triga. *Idem.*

Diogenes Cynicus altæ sapientiæ vir, & qui non vicit solum hominem, sed excessit, dicere solitus, cum turbæ subsannarent : illi me rident ? *Ego non rideor.* Tu idem fac, audi omnia scommata tanquam dicta in alienum.

Ut bonus & animosus miles levia & circum galeas crepitantia tela contemnit : sic vir robustus & sapiens dicteria.

Apud Athenienses quidem mulcta pecuniaria calumniatoribus fuit. Apud Romanos frons inusta K literæ nota.

Nulla è ferro & chalybe acies, quæ conferri potest cum acie hac linguæ. *Lips.*

Ut convallium ille sonus, quem *Echo* dicimus, pro una voce accepta duas tresve reddit : sic calumniator geminat visa & audita. *Idem.*

Calumniatores propriè sunt, qui scientes falsa crimina intendunt. Sycophantæ & palpatores hic plurimi sunt.

Habeat princeps in memoria & in pectore illud Domitiani : *Delatores qui non castigat, irritat.* Custodiat quoque illud intra mentis penetralia, quod *Alexander M.* facere solebat : qui in jure dicundo accusatore dicente, alterâ manu aurem occludebat, eamque reo illibatam conservabat.

Philippus Macedo Calumniantibus gratiam habuit, quod vitia sua jam cognita emendare potest.

Augustus cum multorum conviciis vexaretur, *Resp.* in libera civitate & linguas liberas esse oportere.

Idem dixit, regium esse bene facere & mala audire.

Socrates Xantippes uxoris calumnias forti animo tulit. Inter alia, cum multis conviciis maritum lacerasset, demum sordidam in illum aquam fudit. Ad

quod

quod nihil aliud dixisse fertur, quàm notum sibi fuisse *post tot tonitrua tandem venturam quoque pluviam.*

Quosdam à sævitiâ legum tuentur aræ, sepulchra, templa aut statuæ principum. Calumniatori nullum est suffugium ab irâ divinâ. *Eras. in Ling.*

Hi verè Scorpii sunt, prius amplectentes, quàm infigunt aculeum. Lethale venenum melle prælinunt. *Ibidem.*

Calumnia, à *caluendo* est dicta, quod prisco verbo frustra habere & decipere significabat.

Prima scintilla & fomes Calumniæ otium. nec unquam aut vacabit, aut lubebit in alienas res inquirere, quem suæ destinebunt.

Ut scorpium si manu teneas, ludere paulisper videtur, mox ferit te obliquâ caudâ. tale, imò, amplius in isto est, à quo cum lædi nihil timeas, jam læsus es. *Lips.*

M. Cato Romanus ille sapiens in os percussus à quodam: cum idem satisfaceret ac deprecaretur, non hercles, animadverteram. ô eximium & supra viros, virum. qui altius meliusque putavit, non agnovisse, quàm ignovisse. *Ad exempla Tolerantiæ.*

Obturas nares ad exhalationem cloacæ aut sepulchri, & non obturas aures ad longè pestilentiorem exhalationem obtrectatoris? *Erasmus in Ling.*

In Calumniatorem.

Nomina quid Vatum scelerata Calumnia mordes,
Et tot conducta est in mala lingua Tibi?
Quos potes aperto non Marte invadere, Fallax,
Hos clandestino rodere dente paras.
O utinam? prisci pro more & ritibus avi
Turpiter in faciem stigmata inusta feras.
Aut brevibus Gyaris pœnam luiture nefandi
Criminis, æternis discruciere rogis.

Gorgonei capitis posteritas. Homines intelligi formidolosos omnibus. Gorgones sunt propriè dictæ Phorci filiæ, Medusa, Stenyo, Euriale. nomen habet à truculentiâ, quam Græci γοργότητα appellant. sic & Calumnia-

Calumniatores verè nominamus, qui sunt serpentinis linguis. Dicuntur enim angues è cruentis guttis de Medusæ capite à Perseo interfectæ manentibus enati.

CANENDI. *Vide Musica, Carm. Poës.*

SUaviloquam cantionem incipere. Canora voce tinnire.

Inflare buccas. Cantilenam eandem canere.

Ægri animi curas fidibus resolvere.

Est mihi inopia Musicæ facundiæ.

Non est Laconicum nugari. sc. Musicam callere.

Intus canere. Dicitur de iis, qui omnia in suum commodum convertunt.

Carica Musa, hoc est, lamentabilis cantilena: quod, Cares alienos mortuos mercede lugerent. Alii barbaram & obscuram interpretantur, quod Carum vox barbara sit.

Bonus cantor, bonus cupediarius.

Musica egregium studiorum condimentum: Verum ut in aliis, ita hic quoque ferè peccatur: quod qui cœpit; illius illecebris nimium capiatur.

Gelon, In convivio cum lyra circumferretur, cæterique ordine canerent, equum adduci jussit, faciléque ac leviter in eum insiliit. Significans hoc esse regalius, quàm lyra canere.

Aristoteles rogatus, quid de Musica sentiret? *Resp.* Jovem neque canere neque citharam pulsare.

Socrates jam grandævus tanti fecit Musicam, ut eam discere non erubesceret.

Pythagoras perturbationes animi lyra componebat.

Belluinis strepitibus cantillant, dum hinniunt Discantum pueri, mugiunt alii Tenorem, alii latrant Contra-punctum, alii boant Altum, alii frendent Bassum. *Apulejus.*

Diogenes mirabatur Musicos, quod lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent.

Tres Sirenes fuisse dicuntur, quarum una voce, altera tibiis, tertia lyra conciperet. Secundum verita-

tem meretrices fuisse creduntur, quæ transeuntibus ficta sunt inferre naufragium. Has Vlysses obturata ceræ crassamento aure transiisse dictus. *Hinc Poëta:*

Qui Siculos cantus effugit remige surdo.

Musici universarum avium garritus superantes venenata quadam dulcedine velut Sirenes hominum animos lascivientibus vocibus corrumpunt.

Ciconum matres *Orpheum* ad Parcarum usque invidiam prosequutæ sunt.

Centum luminibus centum caput Argus habebat:

Quæ omnia unius fistulæ modulo sopita sunt.

Agrippa Musicam dicit vilium ac infelicis intemperantisque hominum exercitium, & quod nec incipiendi, nec finiendi rationem teneant.

Ideò *Græci* illos Liberi Patris artifices vocârunt, artifices Bacchanales, Dionysiacos.

Persarum ac Medorum R. Musicos inter Parasitos & histriones referebant.

Antisthenes cum audisset Ismeniam quendam optimum haberi tibicinem: *Homo nequam* est, inquit.

Augusto & Neroni probro datum est, quod Musicam avidius sectarentur.

Romani illam tanquam à bonis moribus alienam aspernabantur.

Philippus R. cum quodam loco audisset Filium suavius cecinisse: *Non pudet*, inquiens, *quod tam bene scias canere?*

Athanasius hanc ob vanitatem interdixit Ecclesiis: sed *Ambrosius* illam celebravit: *Augustinus* illam in medio reliquit.

Habitus tamen est *Diogenes* indoctior cum recusasset Lyram: *quod alii de Themistocle.*

CANUM. *Vide Venat. Sylva. Animalia.*

TElemachus ille Homeri in concionem venit canibus duobus asseclis: Et *Patroclo* fuisse novem Κύνας τραπεζῆας, idem vates tradit. Non enim ad venationem solùm aut Dianæ studium: sed ad voluptatem & tutelam habebant.

Et levisomna canum fido sub pectore corda.

Ægyptii suum Anubin canis specie fingebant: quia videlicet utriusque regionis ille Deus, supera atque infera permeabat, ut Hecate quædam Græcorum. *Iidem* cum virum divinis deditum Vatem aut sacrorum Doctorem Hieroglyphicis exprimerent, canem signabant: quod sc. præter sagacitatem clamare, ac quasi latrare illos deceat, in improbos & bonos insidiantes.

Græci eosque sequuti *Romani* Mercurio Comitem canem dederunt, quia, ut *Plato* ait, sagax & ingeniosum hoc animal, conveniebat facundissimo & promptissimo Deorum.

Gressusque canes comitantur heriles.

Omne genus aliud efferatum & sylvas ac solitudinem tolerat, aut quærit, solum istud homini adhæret, atque adeò cum eo vivit, ut absque eo nec vivat.

Nec desint comites sedula turba canum.

Refert Historiolam facetam *Petrus Cieca.* Ait se cum aliquot sodalibus egressum, ad Indos vestigandos, canem comitem habuisse, ad illa longo usu edoctum. Ecce fœmina vetula apparet, fugit in montes, canis assequitur, & jam prehendebat. Illa in genua se abjecit, canem dominum appellat, ac blande orat, ac pene adorat. Ille placatus ac contemnens crus tollit, & fæmellam illam permingit atque abit.

Vespasiani imperio Canis fuit, Mimo Domino. Is canis varia argumenta, & personam in scena repræsentabat, ut nemo histrio doctius aptiusve, atque inter alia, hominis veneno, in specie tollendi panem sumebat, sive offam sopore temperatam (finge venenum esse) ac repente assimulabat tremere, lapsare, gravedine tentari. Denique cadebat, ac porrectis membris in mortuum jacebat. Deinde cum tempestivum esset, ipso sermonis articulo, primum quasi ex somno ad se redit, leviter caput ac membra movere, oculos aperire, & circumferre, tunc denique surgere lætus gestiensque ad illum ire, & se exhibere, cui debebat. Hæc sic decore, ut totum theatrum & ipse Cæsar commoverentur, ac mente quasi afflata exclamarent,

Appia-

Appianus scribit, *Bituiti R.* Legatum ad Cn. *Domitium* venisse, & in reliquo comitatu ac pompa satellitio canum succinctum.

Plinius dicit, *Garamantum R.* ducentos canes ab exilio reduxisse, & præliatos fuisse contra resistentes.

Hodie in eadem Africa *Regem Cafala* ducentos canes stipatores habere, asserunt, qui viderunt.

Quid *Massanissa* jam olim? salutem suam, ait *Valerius*, custodiâ canum vallavit.

Impetus illorum & sævitia mitigatur ab homine confidente humi. Soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt, itinera quamvis longa meminere, nec ulli præter homines memoria major. *Plinius*.

Idem author, Canem fuisse, qui amphoræ oleariæ insidiaretur, & cum parum plena non pertingeret, lapillos paulatim injecisse, donec oleum assurgeret & ad os redundaret, sic ut lambere lingua posset.

Fuit *Justiniano Principe* Agyrta, qui Byzantium venit. Populum contraxit, & mox annulos cujusque in acervum medium conjicit, rogavit, sive jussit cum factum: canem quem circumducebat accedere, & cuique seorsim atque ordine suum reddere: quod ille sine mora & ordine fecit.

Idem canis interrogante domino, qui spectantium divites, pauperes, & quæ mulier virgo, marita, vidua, meretrix esset, & id genus alia, singulas notavit, idque circumiens & accedens veste cujusque ore prehensa.

Vix me hercules aut leviter dormiunt, semper intenti, circumspecti & supra omnes stationarios solliciti ac curiosi. Itaque Latini merito Catulum quasi Catum dixere, propter sagacem sensum, & eundem canem à canendo, quod in custodia dat signum.

Vide plura apud Lipsium centuria 1. *ad Belgas. Epist.* 44. *& Epist.* 68. *Cent.* 2. *Miscell. Et in obitum Saphyri Canis. Epist.* 89. *Cent.* 3. *ad Belgas.*

De Canum sagacitate agit *Philip. Camerar. Cent.* 1. *cap.* 24.

Et Cent. 2, *cap.* 93. 94.

Legatur in Canum memoriam quoque *T. VVinsemius*, in Sinu suo: ubi in Appendice habes Canis Corydonis epitaphium, & Martii canis metra, &c.

Canes demigrantes *lib. 2. Fatid. Edonis Neuhusii.*

CARCERIS. Vide *Verberandi. Castigationis.*

COmpingere aliquem in carcerem. In nervum aliquem abducere. *Plaut.*

In caveam aliquem dare. Indere alicui catenas. Manicas alicui injicere.

Virgarum colonum aliquem facere, custodem carceris. Gymnasium flagri. *Plaut.*

Collocavit eum miseris modis. Vulcania nobis vincula circumdat. Stupea vincula collo intendunt.

Ipse viro primus manicas atque arcta levari Vincla jubet Priamus.

Nodos & linea vincula rupit. Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.

Teneras arcebant vincula palmas. Spes etiam valida solatur compede vinctum.

Nos adamanteâ compede vinxit amor.

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum. Juven.

Gyarus fœm. g. insula maris Ægæi est, in quam Romani noxios deportabant.

Seneca tradit tantam fuisse in *Socrate* Majestatem, ut intrans carcerem non à carcerariis sordibus pollueretur, sed carceri detraxit omnem ignominiam. *Neque enim poterat carcer videri, in quô Socrates erat.*

Infelix arbor. I lictor, colliga manus, infelici arbori suspendito. Per infelicem arborem intellige furcam, de qua sontes suspenduntur. Arbor ponitur pro ligno.

Attagena novilunium. Difficiles interpretatio. dictum aliqui volunt in turbam vitium hominum. Attagen avis palustris, versicoloribus plumarum maculis distincta. Hinc servum hominem, stigmaticum,

cujus

cujus tergum ob plagarum vibices variis punctis est picturatum, Attagenam vocabant.

Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sacula, qua quondam sub Regibus atque Tribunis.
Viderunt uno contentam carcere Romam.

Juvenal. Sat.3, sc. Tulliano, à *Tullo Hostilio* exstructo.

CARMINIS. *Poesios.* Vide *Canendi*, *Eloq. Doct. Poeta.*

AUt prodesse volunt, aut delectare Poëtæ.

Servire numeris. Cælesti instinctu carmine fundere. Poëtica plectra movere.

Epigrammata bono metallo cudere. Consecrare aliquid divinis versibus.

Picturæ nitorem pulchrioribus versibus illuminare.

Facili deducere carmina plectro. Carminis Heroi tangere jussit opus.

Aoniis verbis ligare modis. Sublimi componere carmina vena.

Tenui deducta poemata filo. Quis labor Aonios seno pede ducere campos.

Disparibus carmina facta modis. Blanda pharetratos Elegeia cantet amores.

Carmina vel calo possent deducere Lunam. Cui dedit Aoniam Calliopeia Lyram.

Afflatus Numine sacro. Cujus Apollineum carmen ab ore sonat.

Adspice Mœoniden, è quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.
Gaudet enim Virtus testes sibi jungere Musas:
Carmen amat quisquis carmine digna gerit. Claud.

Poesis, veluti in Hybla aut vernantis Ætnæ vallibus, mirabili flosculorum varietate fatigatos spiritus levat. *Euphormio.*

Quid est denique *Poesis*, nisi viva descriptio affectuum tui seculi? Unde polita confessio amoris, vel generosi odii pene irata descriptio; quæ prisci sæculi

Poëtis

Poetis adhuc hodie vel misericordiam conciliant, vel favorem. *Lips.*

Si quis in Parnassi verticem incolumis ascendit, non nego quin ut meditullium terrarum obtinet, ita illustri fama cognoscatur ab omnibus gentibus humanitate aliqua politis. *Euphor.*

Poetæ oblectamenta auribus animisque quærunt, & florida veste eruditionis, veritatis corpus tegunt atque unicè ornant. *Lips.*

Ita me Musæ, Musicum & lepidum hoc genus est, & quod pauci imitentur, nec nisi quibus pectus imbutum poëtica ista copia, & stilus factus ad promerendum. *Idem.*

Poëtas quid loquor? Genium è cælo advoco, qui eò ducit. *Idem.*

Mihi profectò numquam tot poëtas dabitis, quot seculis latinitas floruit: Equidem tantis difficultatibus horret hæc semita, ut faciliore studio vel Jurisprudentiam vel Eloquentiam demereatur adolescens, quàm Nympham versuum præsidem, quæ ut sit faventissima, plerumque gloriam æternâ mendicitate vendit. *Euphormio.*

Alexandri nobilis illa ad Achillis tumulum fertur exclamatio, fortunatum vocantis adolescentem, qui suarum laudum præconem Homerum invenisset.

Ovid.

At sacri Vates, & Divum cura vocamur,
Sunt etiam, qui nos Numen habere putant.

Cicero pro Archia poeta: Sic à summis hominibus accepimus, cæterarum rerum studia & doctrina & præceptis & arte constare: Poëtam natura ipsa valere & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari. Quare Ennius poëtas *sanctos* appellat, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.

Saxa & solitudines voci respondent, Bestiæ sæpè immanentes cantu flectuntur, nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? *Cic.*

Axamenta Carmina vocabantur, quæ à Saliis componebantur in honorem singulorum Deorum. *Axere*, apud antiquos pro nominare.

De Elegiaco & Jambo *Horat. de arte Poet.*

Quis tamen exiguos elegos emiserit author
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armârit Iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Aternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis &c.
Versibus exponi tragicis res comica non vult. Ibid.
Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus. Horat.
Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri. Horat. in arte Poët.
Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto.

Ibidem lege Adolescens divinum Poetam de Poesi vaticinantem suo Genio. &c.

Vatibus ingenium est in multas flexile partes.
Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli;
Sedibus æthereis Spiritus ille venit. Ovid.

Themistoclem, illum summum Athenis virum, dixisse ajunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissimè audiret: *ejus, à quo sua virtus optimè prædicaretur.*

Buchananus.

Bella gerunt Vrbes septem de Patria Homeri:
Nulla domus vivo, patria nulla fuit.

Alexander M. cum urbem Thebanorum cepisset, omnes liberos homines vendidit, Civium nonaginta millia occidit; solam *Pindari* familiam honoravit.

Crœsus Pindarum, quantum auri capere possit, accipere jussit.

Euthymus poeta, Oraculi jussu, vivens consecratus & in Divos relatus est.

Scipio Africanus statuam *Ennii* Poetæ sepulchro suo imponi jussit.

Barbari

Barbari & *Getæ Ovidio* magnificum sepulchrum erexerunt.

Virgilio universus populus R. tanquam Imperatori surrexit.

Nuncius quidam, de rebus in bello feliciter gestis, cum Alexandro congratularetur, *Quid mihi bone vir,* dixit, *nunciabis, nisi nuncies Homerum revixisse? Victoriam* parvi faciebat, nisi Poetarum monumentis perennaret.

Ipse licet Musis venias comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras. Ovid.

CASTITATIS. Vide *Pudicitia, Pudoris.*

Nihil tam mortiferum ingeniis, quàm libido.

Pudicitia est virtus, quæ comitem habet fortitudinem. *Augustin.*

Quod honestius imperatoriæ mortis levamen, quàm assumere conjugem prosperis dubiisque seriam? cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradas? *Tacitus.*

Quis *Claudii* imperium non novit? hoc nomine famosum, quod semper aut Messalina aliqua aut Agrippina regeret?

Cyro Xenophon scripsit: Cum, inquit, Panthea formosissima fœminarum capta esset, atque ad eum adducenda, vetuit: ne vel oculis scil. castitatem matronalem & suam violaret. Atque Araspo ex amicis suadenti adire eam, & alloqui, esse enim mulierem egregiâ formâ, & regis planè oculis dignam: *ob istud ipsum*, inquit, *magis est, ut abstineam.* Fortasse illa efficiet, ut adeam, etiam cum non vacat, eique assideam neglectis rebus seriis.

Pericles ad Sophoclem: Oportet, ô Sophocles, prætorem non solum manus à lucro, sed oculos à libidine habere puros.

Innotuit *Alexandri Magni* in hac re continentia. Darii victor tam sanctè habuit liberos & conjugem ejus, quàm si eodem, quo ipse, parente genitæ. Da-

rii uxorem nec oculis quidem attingere voluit. nec verbâ facientes de ejus formâ audire ſuſtinuit. *Curt.*

Idem, cum uſum fœminæ voluiſſet, & miniſtri formoſam noctu adduxiſſent, ille rogavit: Ecquid tam ſerò veniſſet. Ibi excuſare mulier mariti vigilias, & exſpectâſſe, donec cubitum iviſſet. *Reducite*, inquit, *iſtam, & quàm penè imprudentem me adulterio illigaſtis?*

Scipio, Carthagine captâ, ſupra Alexandrum domitas habuit cupidines. ille oculis ſuis parum credidit. ille cominus congreſſui, & vidit & vicit. Donum dabatur juveni Imperatori, gratiſſimum, ut putabant. ſed ille oculis libatam modo, abnuit. Acciperem, inquit, fruererque ſi privatus eſſem, & non cum imperio. Accipio tamen quaſi depoſitum, reddendum cui ratio & humanitas ſuadebunt. Principi ſuæ gentis Lucrio deſponſa erat. *Lipſ. in Mon. & Ex. Pol. lib. 2. cap. 17.*

Bacchidis Poetæ dictum: *ut egregius pictor vultum ſpecioſum effingit*; ſic *pudicitia* celſius conſurgentem vitam exornat. *Vide plura ibidem.*

De *Caſtiſſimis* vide Text. *cap.* 52. *lib.* 5.

Castigationis. *Puniendi.*
Vide *Verberandi. Carceris. Severitatis.*

Atra pix agitet te apud Carnificem. Scio crucem tibi futurum ſepulchrum. *Plaut.*

Luere ſupplicium virgarum. Inſuere aliquem in culeum.

Summo ſupplicio aliquem mactare. Securi aliquem percutere.

Verberibus in aliquem animadvertere.

Seneca. Uter autem præceptor liberalibus ſtudiis dignior, qui excarnificat Diſcipulos, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo oculus hæſerit: an qui monitionibus & verecundia emendare ac docere malit? Tribunatum centurionemque da ſævum: deſertores faciet.

Numquid æquum eſt, gravius homini & duriu s impe-

imperari, quam imperatur animalibus brutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister.

CIVITATIS. Vide *Vrbis. Ædium. Locorum.* &c.

Cicero in Paradoxis: Non erat igitur illa tum civitas quum leges in eâ nihil valebant, quum judicia jacebant, quum mos patrius occiderat, quum, ferro pulsis magistratibus, Senatus nomen in Rep. non erat. Prædonum ille concursus & te ducem latrocinium in foro constitutum, & reliquæ conjurationis à Catilinæ furiis ad tuum scelus furoremque conversæ, num civitas erat? Itaque ego pulsus civitate non sum, quæ nulla erat, accersitus in civitatem sum, quum esset in Rep. Cos. &c.

In *Civitate discordi* & ob crebras principium mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, parvæ res magnis majoribus aguntur. *Tac. 2. Hist.*

Viri, non mœnia civitas sunt. *Thucyd.* Viris civitas constat, non ædificiis. *Appian.*

Optimè administratur civitas, quæ se pro rerum statu fortunæ accommodat. *Dionys. Halicarn. lib. 4.*

Naturâ inimica sunt inter se libera civitas & Rex. *Livius Decad. 5. lib. 4.*

Bonus civis etiam suæ saluti & fortunæ consulere debet, maximè verò saluti communi. *Thucyd. l. 6.*

Nullâ aliâ re æquè ac hominum frequentia opus est illi civitati, quæ ad imperium adspirat, & quæ res magnas affectat. *Dionys. Halicarn. lib. 4.*

Civitas qua ratione potens evadat, Vide *Philosophiam Histor. Goulartii*, qui ex *Polybii lib. 2.* hoc docet. Plura ibidem.

Adde Politicam *Schonborneri lib 1. cap. 13.*

CLEMENTIÆ. Vide *Virtutis. Crudelit.*

Tiberius Romanus Princeps bonus fuit, donec Germanicus & Drusus superfuêre post id omne scelus prorupit. *Philip-*

Philippus Maced. R. penultimus, cui cum Romanis bellum fuit. Erat, Polybio teste, plerisque animi corporisque dotibus ornatus, &c. Vix alium tanta indole aut spe regem Maced. aut Græcia viderat. Sed, ecce momento omnia vertuntur, sive Fortunæ culpâ, quæ ei adversa in Romanos, sive delatorum vitio & suo.

Nero magnus initio princeps, magnum postea monstrum, & Trajani elogium de eo: Omnes etiam optimos principes longè à primo quinquennio Neronis abesse.

Dionysius junior Tyrannus Siciliæ, qui mortuo patre mirè clementem se exhibuit. Tria millia nexorum, ob æs alienum, solvit, tributa per triennium remisit. Sed, mox dominationis jam certus, retulit ingenium, quod paulisper seposuerat, avunculum, fratres interfecit. Ille Dionysius effectus, cujus non tyranni, sed tyrannidis nomen habetur. *Ex Lips. Mon. & Exempl. Polit. cap.6. lib.2.*

Potentiam meam non nisi beneficio ostendo.

Non minus turpia sunt Principi multa supplicia, quàm medico multa funera.

Objurgationi semper aliquid blandi admisce. Facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quàm aspera. *Seneca.*

Crudelitas nihil aliud est, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis.

Clementia est lenitas superioris ad inferiorem in constituendis pœnis.

Clemens dicitur à claritate mentis.

Regia crede mihi res est succurrère lapsis.

Re ipsa reperi Facilitate nihil esse homini melius atque clementia.

—— *Mentemque domet respectus honesti.*

Alphonsus Rex dixit: *Malo multos meâ clementiâ & mansuetudine servare, quam paucos meâ severitate perdere.*

Trajanus, quum sua clementia & humanitate antecessores suos omnes superaret, amicis aliquando culpantibus,

pantibus, quod nimis clemens erga suos esset, *Resp. Talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperator privatos optaret.*

Darius tantæ fuit clementiæ, ut precaretur à Diis, ut aut superare posset Alexandrum clementia, aut si is regno spoliaretur, solus Alexander in Persarum regno imperaret.

Iulius Cæsar tanta clementia erga hostes & rebelles usus est, ut Marius non semel dixerit: *Cæsar qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem & clementiam.*

Theodosius Iunior rogatus, cur neminem eorum, à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret? *Resp. Vtinam & mihi liceret mortuos ad vitam revocare!*

C. Cæsar gratissimum putavit genus veniæ, *nescire quid quisque peccâsset.*

Iracundissimæ & pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes & aculeos in vulnere relinquunt: *Rex ipse sine aculeo est.* Lips.

Salvum regem clementia facit, unum est inexpugnabile munimentum, amor civium. *Idem.*

In fastigio collocatis nihil pulchrius est, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere. *Seneca.*

Est communiter dogma illud verum: Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis.

Moses semper in mansuetudine constans, usque eo amans & ignoscens suorum, ut Dei iram vel hac voce sedaret: dele me, inquit, de libro vitæ potius, quàm ut hos tollas.

David cœlo & Deo plenus, qui, cum Absolomus filius fratrem Ammonem in convivio interfecisset, David arma necessaria capit, Joabum præfectum militiæ cum delectis viris in illum mittit. Sed cum mandato: *Servate mihi puerum Absolomum.*

Pericles morti jam vicinus assidentibus amicis & mœstis, *Et quid hoc est*, inquit, *aut parva aut fortuita laudatis.* at illud maximum omittitis: quod nemo meâ operâ pullam vestem sumpserit. Macte Pericles! vel hoc nomine cognomen Olympii meruisti. *Lips.*

Æquius

Æquius est mortem subire, *Nerva* dicebat, quàm authoritatem imperii fœdare, proditis potentiæ sumendæ authoribus. *Sext. Aurel. Vict.*

Imperatorem mitissimi animi legibus præstare cæteris decet. *Ammian. Marcellin.*

Antoninus Pius Scipionis sententiam repetebat, Malle se unum civem servare, quàm mille hostes occidere. *Iul. Capitol.*

M. *Marcellus*, qui Syracusas cepit, jam tum cum cepit, clementissimi animi signa, in medio furore Martis dedit. Parci civibus, quà potuit, jussit: ne quis liberum corpus manum, ferro violaret. Cum de *Archimede* ejusque ingenio audivisset, mandavit incolumem servari. Sed, frustra. miles discurrens cum Archimedem reperisset in pulvere figuras describentem, & totâ mente illuc versâ ignarum publici fati, interroget, gladio super caput intento. *Quis tu?* ille nihil nisi pulverem suum manibus tegens, &, *oro, ne turba*, inquit.

ALPHONSUS: At mihi pluris tot hominum incolumitas est, quàm centum Cajetæ. Et alibi: *quia* inquit, *bonos justitia conciliat, malos clementia.* Iterum: cum ministri de nimiâ lenitate conquererentur. Quid ergo? vultis ursos ac leones regnare? nam hominum est clementia, belluarum feritas propria. *Lips. cap.* 11. *de Clem. in Mon. Pol.*

Primum *Philippo* cum Atheniensibus certamen fuit, quibus per insidias victis, metu gravioris belli, cum interficere posset, omnes incolumes sine pretio dimisit. quæ res illi magnam & gratiam & authoritatem conciliavit. *Curtius lib.* 1.

Metus, terror infirma vincula caritatis sunt. quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.

In Agric. Tac.

Ideo amorem Princeps inter populares, metum apud hostes quærat. 11. *Annal.*

Effusus clementiâ, & modicus severitate. 6. *Annal.*

Clementia

Clementia inprimis fama utilis novum imperium inchoantibus. 4. *Hist.*

Malitque Princeps, rarissimâ moderatione, invenisse bonos videri, quàm fecisse. *Agr. Tac.*

Clementia in quamcumque domum venerit, eam felicem tranquillamque præstabit. *Seneca.*

Uter a. Præceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificat discipulos si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit, an qui monitionibus & verecundiâ emendare ac docere malit? Idem.

Contunditur enim animus, & quicquid est indolis, comminuitur trepidatione degeneri. *Idem.*

Omnia scire, non omnia exequi Principem decet. Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœnâ semper; sed sæpius pœnitentia contentum esse. *Agric. Tac.*

Flagitia ac facinora sine mòdo sunt; suppliciis ac remediis Principis moderatio temperat. 3. *Annal.*

Id verò fœdum, magnitudinem Imperatoriam cæde insignium virorum quasi regio facinore ostentare. 16: *Annal.*

Gnarus erat *Tiberius*, quæ fama clementiam sequeretur: Ideo semper compositus alius & velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quoties subveniret. 4. *Annal.*

De *Clementia* & *Humanitate* tractat *Val. Max. lib. 5. cap. 1.*

Coloris.

De Coloribus lege Had. Iunii Nomenclatorem.

Color satur, h. e. plenus. Color pertinax, evanidus, fugax, obsoletus.

Color surdus, lentus. Color dilutus, remissus. Colorem mentiri fuco.

Vigor picturæ medius inter lumen & umbram, dictus *Tonus, Splendor.*

Harmoge, ἁρμογὴ, commissura & transitus colorum, Aqueus. Vitreus, Niveus, Lacteus.

Scuta-

Scutulatus color. Helvus, Gilvus, medius inter album & ruffum. qualis eſt color lateri ſemicocto. *Melinus*, qui mali Cydonii pallorem imitatur. *Luteus*, quale eſt ovi vitellum. *Byſſinus*, aureo proximus. *Impluviatus*, qui parietum rubiginem è pluviæ defluxu natam imitatur. *Coccineus*, *Xerampelinus*. Spadix, ſpadiceus, *Puniceus*. Purpureus, oſtrinus. Tyrius. Conchyliatus. Amethyſtinus. Janthinus. *Cyaneus*, è lucido candido, leviterque nigro. *Coracinus*. Lividus. Cymatilis. Venetus. &c. Quorum doctrina quantò eſt præſtantior, tantò etiam intricatior.

Murex, piſcis marinus, per excellentiam dictus Conchylium. Hinc color educitur purpureus. Veſtis tincta murice h. e. Conchyliata. *Tyrioque ardebat murice Lena.*

COMÆ. *Capillorum.* Vide TONSORIS.

Clariſſimus Author Curtii & Longini De COMA.

SEd veniam dabis, ſi ſcire aveam, quâ ex cauſâ tibi calva in mentum deciderit, & mentum in calvam aſcenderit.

Tu mentum aliàs raſum geſtabas, calvam capillis veſtitam prælongis. nunc vice verſâ veſticeps mentum geris barbitio opaco & opulento. Calvam a.pilis denudatam.

Mentis acumen in mento reſidet. præcipuè ſi ſit barbatum.

Nam nudo mento nihil eſt dementius dicunt, qui de naturâ queruntur, quod homines ab utero matris non ſtatim barbigeros produxerit. Melius illam conſuluiſſe hircino generi. &c.

Quæ Salamandra tuos crines exuſſit. Non enim de nihilo ſic mutatus à priore Curtio, ita ſtrictâ tonſurâ curtatus incedis.

Gratulor, quod melior probiorque factus ſis raſus quàm eras capillatus.

An opaculum denſo barbitio mentum bonam mentem

tem tibi incidit. Nam mentum à mente dictum periti harum rerum volunt.

Plus illi capillorum habuêre, quàm sapientiæ.

Plerosque ex illis barbatis plus habuisse barbæ in mento, quàm mentis.

An credis antiquos illos Sophos, qui Comati incedebant, tales ope capillorum evasisse?

Sed, quæso, dic mihi, postquam cepisti capillum curtum habere & barbam longam, numquid animadvertisti te majores in studio progressus fecisse?

Caput depilent, vel devellant, & singulis diebus pulverem depilatorium inspergant capiti, aut splanio dropace illito caput pro calanticâ vel calamanco tegant.

Vereor, ne pro capite curcubitam gerant, quibus talium opinionum placent monstra.

Sed jam cæteros convivas adesse intelligo, eamus, ut barbam istam postremum, quoniam stat tibi sententia, cras eam demetere, rorantibus poculis humectemus.

Ridiculus sum inter Comatos hîc omnes haud socius, quàm vulpeculâ in fabulis, ecaudis inter caudatas.

Nonnulli in sudatorio me capillos prædicant perdidisse, cum luem Veneream eluerem.

In hospitiis ac diversoriis pueri petulantes & procaces ancillæ barbam mihi vellunt.

Barbas etiam futiles, bene longas attulerunt, quas mentis nostris aptatas accommodârunt.

Regem habebant Misocomum. Nec major exarsit contentio inter Turcas & Persas, inter Papistas & Reformatos quanta hodie inter Mallotos & Psilos. Malloti erant capillati, Ψίλοι derasi.

Cæsariani olim & Pompejani non acriore certamine bellum civile suscitârunt Romæ.

Alii recta è concionibus ejus aut prælectionibus in tonstrinam ibant, & curabant sibi capillos strictim demetendos, nonnulli etiam radendos.

Aliis

Aliis pro cæsarie virili tanquam pro aris & focis pugnantibus.

Ultrò citroque commeant theses Mallotorum ad Psilos, & Psilorum ad Mallotos.

Eam calamistris etiam inustam crispat, & pulveris aromatici inspersione colorat.

Solem ipsum non tanti faciunt, quàm Lunam, quia Solem dicunt quasi capillato splendore micare. At Luna planè derasorum calvæ est similis.

Hircos plurimi æstimant, & sapientissimum animal esse judicant, quia barbati sunt.

In vino magnam partem voluptatis ponunt, qui ex tonsili paratur frutice.

Barbam qui habet, habet etiam quod agat, nisi velit vicinis eam oppleri.

Vobis barbicolis incumbit barba depectenda, nobis Cæsaries Cæsarealis dentoso buxo discernenda.

Equestrium sellarum tomenta ex incarceratorum capillis conficiunt, aut lectulorum viles culcitas iis farciunt.

Barbas immodicas templorum tholis suspendunt, cum inscriptione:

De Barbigeris populis manubiæ:

Hæc de Longicomis parta Trophea viris. &c.

Mens tibi ratione glabrior videtur, quàm caput pilo.

Quousque igitur ibit culter tonsorius? ut nullum relinquatur in capite peccatum? CÆS. Si digitum unum transversum capillos altos in capite meo reliquero, dubitare possum, an non peccati altitudo remansura sit. Dimidium digitum adhuc resecabo. Dubium tamen adhuc erit, num eadem mensura peccati semidigitalis cum semidigitali capillo hæsura sit. Tutum igitur, ut in re dubia totum capillum ad cutem usque deradere, ne vel ramenta peccati residua esse queat &c.

De *Comâ & Barbâ* lege quoque *Ph. Camerarium Cent.* 1. *cap.* 36.

Et Cent. 3. *cap.* 96. *Eundem.*

Concordiæ. Vide *Pacis. Amicitiæ. Discordiæ.*

Romani Concordiæ templum in civitate consecrârunt, in quo, factis sacris, Principum virorum simultates, quibus Resp. fluctuaretur, deponerentur.

Iidem *Deæ Viriplacæ* sacellum in Palatio extruxerunt: ut, si quid jurgii inter conjuges intercessisset, ibi abjectâ animorum contentione componerent.

C. Nero & Livius Salinator Coss. cum adversus Hannibalem mitterentur, simultates diu invicem susceptas deposuerunt; ne propter privatas dissensiones Resp. malè haberet. Vide plura *in Sacris Fatidicis l.3. cap.* 18.

Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis. Si mali, imbecillum. Nam concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximè dilabuntur.

Ex Orat. Micipsæ.

Concordiâ res coalescere possunt *Livius Decade* 1. *lib.* 1.

Imperia difficile Concordiam custodiunt. *Aur. Vict.*

T. *Tatius* & *Romulus* in cujus urbis medio foro acie hostes concurrerant, ibi concordes regnârunt.

Liv. Decad. 4. *lib.* 10.

Nulla prævalida armis gens, inter se consentiens, vinci ab externo hoste, quamvis feroci, opibusque præstante, potest. *P. Æmil. lib.* 1.

Coeli. Vide *Siderum. Astrorum Diei. Vitæ. Lunæ. Solis.*

Coelum à *Celando* h. e. occultando, quod inferiora omnia celet. Dicitur tota illa mundi pars, quæ est supra elementum ignis, quam Philosophi *æthera* appellant.

Sive dicitur ab eo, quod stellæ in eo quodammodo *cælatæ* apparent. Sic argentum quoque cælatum dicimus.

Varro

Varro putat dictum ἀπὸ τῦ κοίλυ, hoc est, cavum.

Philosophi decem cælos esse dixerunt: quorum *septem* à planetis appellavêre. *Octavum* sidereum, sive stellatum. *Nonum* quum nescirent, cujus esset conditionis, aqueum, crystallinumve. non à frigiditate, sed à transparentiâ. quod per illud sidera appareant, & pelluceant. *Decimum* Philosophi vocârunt Primum Mobile. *Vndecimum*, cælum beatorum. Quod Theologi *Empyræum* vocârunt, quod claritate cæteris antecelleret.

Poetæ fingunt cælum, ὐρανὸν, antiquissimum Deorum, qui Terrâ sorore in matrimonium ductâ, Saturnum & alios genuit. à cujus nomine formosissimum corpus supremum cælum dici volunt. sc. *Saturni cælum.* è septem primum, sequuntur *Iovis. Martis. Solis. Veneris. Mercurii, Lunæ.*

Qui felix nunc arva colit ridentia, supra
Frigoris aërei & lapidosæ grandinis oram.
Æterni nectaris arva.
Ille sacer mundi vertex, ubi sidera vivunt
Semper, & accensi septem splendoribus orbes.
Mantuanus.
Elysiique lares & fortunata vireta.
Stellantis fabrica mundi.
Adspice stelliferæ nobile molis opus.

Elegans Paradisi terrestris descriptio legitur apud *Mant. tom.1. lib.3. & tom.3. lib.5.*

Hoc habet argumentum divinitatis suæ, quod illum divina delectant. Securus spectat occasus siderum atque ortus. Quantum enim est, quod ab ultimis littoribus Hispaniæ usque ad Indos jacet? Paucissimorum dierum spatium, si navem suus ventus implevit. At illa regio cælestis per triginta annos velocissimo sideri viam præstat, nusquam resistenti, sed æqualiter cito. Illic demum discit animus, quod diu quæsivit. *Seneca.*

Ut Athletæ in stadio oculos ad metam & bravium intendunt: sic nostra mens debet ad cœlum, & æternam illam palmam. *Lips.*

Ego verò non arbitror ullum sidus affulgere cuiquam felicius, quàm sincerum ac tuo accommodatum ingenio amicum. Contra, nullum adversius ac funestius, quàm fucatum & insincerum sodalem. Proinde stellas observent alii, si lubet: Ego in terris quærendum existimo, quid nos felices aut infelices reddat. Cæteri negotium auspicaturi, anxii considerant, quâ figurâ Venus, Jupiter, & Mercurius sese contueantur. *Erasmus.*

COELUM est corpus naturale simplicissimum, solidum, sphæricum, pellucidum, & in orbem mobile. *Aristot. in lib. de cælo.* Vide *Magiri Phys. cap. 2. l. 2.*

De motu *Sphærarum cælestium* lege *Magirum* cap. 3. lib. 2.

Æterna nos vita manet, curarum turbarumque expers. Jactamur hic inter undas. & novi semper alicunde fluctus. O quando erimus; ubi purum illud ac serenum est? Quò tempestas, imò nec metus ejus adspirat. Sicut fumus, quamvis crassus, cum altum petit, dissipatur & perit: sic necesse doloris omnem nubem, si cogitatione alta illa adeamus. *Lips.*

Lege *Natalem Comitem* cap. 2. lib. 2.

Et *Macrobium cap. 15. lib. 1.* De circulis cœlum ambientibus.

COMPARANDI. Vide *Similitudinis.*

NEque lac lacti magis est simile, quàm ille similis est mei. *Plaut.*

Ecquid assimilo similiter? Ne comparandus hic quidem ad illum est. Homo sui simillimus. *Idem.*

Homo solus suorum suos. Ad tuam formam illa una digna est. Tuo ex ingenio mores alienos probas.

Nam nos ejus animum de nostris factis noscimus.
Nam tui similis est probe.
Ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Tua hæc imago tam consimilis, quàm potest.
Malo nodo malus quærendus cuneus.

Clavum

Clavum clavo pellere. Τὸ ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. *Simile simili est amicum.*

Graculus graculo assidet. Non statim pusillum est, si quid maximo minus est.

Asinus portans mysteria. Hoc adagio vapulant, qui egregiæ alicui Spartæ impares sunt. ut si imperitus rerum artiumque nostrarum Scholarcha crearetur. Huc allusisse videtur Apuleius, cum se fingit asinum Cererem deam circumferentem. Sic olim sacra, quibus opus ad peragenda Eleusinæ matris sacra, asino imponebantur.

COMPENSANDI. *Vltionis.* Vide *Vindicta. Pœna. Constantia.*

PAr pari referri. Pedibus compensare pecuniam. Talionem alicui reponere. Pari lance aliquid reddere.

Ultionis secum multa tractura avidus.

Dii laneos habent pedes, *hoc est, ad vindictam tardi.* Nemesis circa pedes obambulat.

Nicephor. Divina vindicta non dormit, sed è vestigio sequitur impiorum scelera.

Plato inquit: Τιμωρία ἀδικίας ἀκόλουθος. Pœna injustitiæ comes.

Diogenes interrogatus à quodam, quo pacto maximè posset ulcisci inimicum: si te ipsum, inquit, probum & honestum virum præstiteris.

Socrates semper dixit; pejus esse injuriam facere, quàm ferre.

Continentiæ tantum tribuebatur, ut multorum æs alienum, quia provincias sincerè administraverant, à Senatu persolutum sit. Nam quorum opera publicam authoritatem splendorem suum procul obtinuisse viderant; eorum dignitatem domi collabi indignum, sibique deforme esse arbitrabantur.

Val. Max. lib. 4. cap. 2.

Talio patrem pœnam sive reciprocam pœnam significat. Eamque pœnam jus divinum probavit, *Exod.* 12.

Aristoteles scribit fuisse veterem Rhadamanti de Talione legem, ut quod quis alteri fecisset, ipse pateretur.

Pœna 12. *Tab.* olim hæc fuit: ut si membrum rumperetur talio esset. Si autem os, pœna nummaria. Verum hæc pœna postmodum mutata est, & à Prætore constitutum, ut injuriam passus eam æstimet, æstimatam judex ex arbitrio constituat, habito respectu personarum.

Quicquid mortales peccamus, aptissimas pœnas Dii inveniunt; nec ingeniosiores sumus in scelera, quàm illi ad vindictam. *Seneca.*

Deus iræ tarditate pœnæ gravitatem compensat.

Nemo crimen in pectore gerit, quin Nemesin habeat a tergo. *Lips.*

Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo. *Horat.*

Quod quisque fecit, patitur; authorem scelus repetit; suoque premitur exemplo nocens.

Nemesis Dea Græca, ultrix impiorum, præmiatrix bonorum, puniens superbos, regina causarum, arbitra rerum. Hanc Poetæ *Rhamnusiam* frequenter appellant. Pinnas Nemesi fabulosa antiquitas optavit, ut adesse velocitate volucri cunctis existimetur.

Iulius Cæsar audiens in Gallia aliquot militum agmina concisa esse, juravit, se non ante capillos rasurum, quàm ab interfectoribus pœnam repetivisset.

M. *Cato* à quodam in balneo percussus, objurgatus ab amico, cur hoc pateretur, ait: Non memini me perculsum esse.

At vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ. Juvenal.

Minuit vindicta dolorem.

Dii multa neglecti dederunt
Hesperia mala luctuosa. Horat.

CONCIONIS. Vide *Religionis. Theologi. Monachi.*

ADvocare Concionem. In Concionem adscendere.

Popu-

Populum concionibus tenere. Oratores Euangelici: qui sunt populo à concionibus.

Concionatorem & Episcopum vis agere? (Beroaldus in Apul. inquit) oportet sine superstitione religiosus, sine simulationis fuco sincerus, sine labe emaculatus, sine jactantia sias literatus.

Theophrastus cum in Areopago verba faceret, defecit, & hanc excusationem prætendit, se perterritum fuisse Senatus authoritate.

Heraclytus Lycius, Sophista coram Severo Principe verba facturus præter spem obmutuit.

Unus aliquis Concionator sanctimoniæ fama, ut telo armatus, & eloquentiâ aliquâ ornatus, quid non patrat?

Socrates in magna concione Orationem habiturus, valde timuit. Et

Demosthenem in Macedonia verba & ingenium defecerunt.

Conditores Ecclesiasticæ Literaturæ celeberrimi prodiderunt, *cæcum animal Deo offerri, quotiescunque illiteratus sacris initiatur*, fitque adscriptitius militiæ religiosæ. Dii boni, quot cæca animalia quotidie Deo dedicantur; quot Episcopi cæcutientes sunt, & prorsus talpæ, hoc est, indocti incultique: Lux enim Sacerdotis & cultus, doctrina est. Habent hi quidem domos exornatas, opiparam supellectilem, omnia splendentia præter ipsos Dominos: qui vitiis decolorati & labe ignorationis infecti. Et cum Majestas Episcopalis auro comparetur, non tam fulgore auri splendicant, quàm plumbi livore pallescunt. Episcopus, cum Græco vocabulo *exploratorem* significet, digni sanè tanto nomine, dum curiosè explorant, & solerter speculantur reditus atque vectigalia Episcopatus.

Hæc *Beroaldus* in Epistola Dedicatoria ad Archiepiscopum ad calcem Apuleii.

Theologi plerique & loci autoritate & populi docilis credulitate, non ad Christi gloriam, sed ad suos affectus abutuntur, & multorum animos divinæ

doctrinæ pabulum expectantes fraudant, & inficiunt suo veneno. *Erasmus.*

Quid a. turpius, quàm ad ultionem abuti templo; abuti suggesto prædicandæ Christi gloriæ destinato? *Idem.*

Si non pudet Theologos evomere tam insulsas nænias, tam vana, tam atrocia convicia in his concionibus, quæ doctrinæ Euangelicæ dicatæ sunt, quid censes illos effutire, apud stultas mulierculas, apud deliros senes? *Idem.*

CONJUGII. *Amorum.* Vide *Vxoris. Adulterii. Nuptiarum. Matrimonii.*

DEposcere sibi Virginem. Virginem alicui collocare.

Filium dare nuptum. Despondere alicui Virginem. Animum ad uxorem appulit.

Operam dare amori. Impedire se nuptiis.

A ducenda uxore abhorrere.

Tuam fidem Venus noctu vigila. Cui decem talenta dotis contuli. *Plaut.*

Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi. *Idem.*

Filiæ nubili dotem conficere. Quæ secunda illi dos erat periit, id est, *pudicitia.* Terent.

Effectum Nuptialibus votis Deus dedit. Nuptiale festum exercere. Fida pactione alicui Filiam despondere.

Amor mihi in corde facit incendium. Sub Veneris regno vapulo. *Plaut.*

Certè extrema linea amare, haud nihil est. *Terent.*

Nec non suave potest esse quicquam, ubi amor admiscetur.

Nam ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo. *Plaut.*

Fel quod amarum est, hoc mel faciet amor. *Idem.*

Amatoriæ militiæ brevem commeatum indulgere. *Apuleius.*

Amor locuples piscatus bonus est. *Plaut.*

Quis stultus alieno animo amet? Versor in amoris rota

rota miser : ita frangit amantem meum animum. *Plaut.*

Saucius sum factus in Veneris prælio : Sagittâ Cupido cor meum transfixit. *Idem.*

Ego vix vitam colo. Veneri cibo meo servio.

Bonum est pauxillum amare sanè, insanè non bonum est. *Plaut.*

Amare licet, si potiri non licet.

Amor est condimentum omnium rerum. Amor melle & felle fœcundissimus. *Plaut.*

Amor, amaror. à Venere dulcis miscetur amarities. Non omnis ætas ad perdiscendum sat est amanti; dum id perdiscat, quot pereat modis. *Plaut.*

Insanum est malum, in hospitium divorti apud Cupidinem. *Idem.*

Nam mox inclinabo me cum Liberta tua. Qui amans egens ingressus est primus in amoris vias, superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis : Nam cum leone & cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim, quàm cum amore. *Plaut.*

Ita fio miser quærendo argento mutuo. Ad carnificem æquius est, quàm ad Venerem commeare.

Ita est amor; balista ut jacitur, atque is mores hominum moros facit & morosos. *Plaut.*

Malus clandestinus amor, damnum est merum. Amoris insania *describitur apud Plautum in Cistell. Actu* 2.

Ubi tu es, qui me libello Venereo citasti ? Abhorrere à re uxoria. Ego me amare fateor ; si id peccare est, fateor id quoque.

Ego hinc omnes ex animo deleo mulieres : Tædet quotidianarum formarum.

Omnibus rebus ego amorem credo & nitoribus nitidis antevenire. nec potest quicquam commemorari, quod plus satis, plusque temporis hodie habeat. *Plaut.*

Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit. Non vestem amatores mulieres amant, sed vestis fartum. *Id.*

Hominès bene vasati, & majoris peculii.

Qui magni doloris vim per voluptatem tuam mihi condidisti in corpus. *Idem.*

Nirginem introiit, vitiavit. Corpus corpori incubat. Conveniebatque in vaginam tuam machæra militis? *Idem.*

Aureum Jovis imbrem felix Casina exspectes, qui te faciat matrem. *Nos ne pudicas aures offendamus, satis istorum.* Si salit tibi Venus & mamilla, *Lege Commentaria Beroaldi ad 2. lib. Apul.*

Quinque amoris statuuntur lineæ: Visus, Colloquium, Tactus, & Oscula, Concubitus.

Plautus *puellam* mulsam *appellat à dulcedine.*

Genialis torus, hoc est, Conjugalis torus qui nuptiis sternitur in honorem Genii.

Curas domesticas ex *Conjugio* vide graphicè depictas apud *Plautum* in principio Trucul. & Act. 5. Laudat idem *Conjugium* contractum inter pauperes: Aulul. Act. 3. ibidem docet incommoditatem ex magnis dotibus.

De Nuptiis peripateticis Lege *C. Barlaum* in Orat. Et *CL. Boxhorn.* de Nuptiali Militiâ &c. Oratio singularis.

Providit ille maximus mundi parens
Cum tam rapaces cerneret fati minas
Ut damna semper repararet novâ.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus.
Orbis jacebit squallido turpis situ. Seneca in Hippol.

Hymenaus. Deus nuptiarum fingitur. *Hymenaus* quidam apud Athenienses inter bella sævissima Virgines liberavit: quàm ob causam nubentes ejus invocant Numen, quasi *Liberatoris Virginitatis.*

Romani in sponsalibus auguria & auspicia nequaquam neglexerunt: si aut terræ motum aut cœlum turbidum sensissent, à nuptiis abstinebant. Auspicatissimum esse signum Cornicem putabant, maximæ fidei & inviolati fœderis signum existimantes. Ea autem Cornicum societas est, ut ex duabus sociis altera exstincta, Vidua altera perpetuo maneat.

Apud

Apud eosdem, si virgines elocarentur, festis diebus nuptias facere non licebat; at si vidua duceretur, licebat, nulla tamen cæremoniarum solennitate. Causa ejus rei, quoniam viduis nulla vis infertur, & proinde etiam festis diebus cum illis matrimonium contrahere licet.

Jocosam aliam *Verrius Flaccus* apud Varronem: quoniam fossas veteres festis diebus liceret tergere, novas facere non liceret.

Apud *Græcos* & *Macedones* panem gladio divisum, Sponsum, & sponsam, cum ineunt sponsalia, gustare solenne fuit.

Romulus primus urbis Romæ conditor, in communicatione panis & aquæ matrimonii fœdus inisse traditur.

Apud *Galatas* in sponsalibus vir & uxor simul bibebant.

Apud Hetruscos in conjunctione nuptiali dona & munuscula virum ab uxore, vel contra accipere, legibus & scripto erat vetitum. Nefas existimantes, quos legibus amor conjunxisset, donis videri potius allici, quàm conjugali amore conciliari.

Stipulatione apud *Romanos* facta & sponsione sequutá, ignem & aquam in limine appositam uterque tangere jubębant. Hæc enim sunt elementa prima Naturæ: quibus vita victusque communis constat.

Quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum *Deæ Viriplacæ*, quod est in palatio, veniebant, & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depositâ concordes revertebantur. *Val. Max. lib. 2. cap. 1.*

Eleganter *Foculus* dictus pro *puellâ*, quia amator uritur, & amor ignis est. Et sic Terentius: *Accede ad ignem huc, jam calesces plus satis.*

At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.

Cyrus apud Xenophontem, amorem ostendit igne esse longè potentiorem, quod ignis urit homines tangentes, amor formæ etiam procul astantes.

Tanta verecundia Conjugii, ut aliquamdiu nec pa-

ter cum filio pubere, nec ſocer cum genero lavabatur. Manifeſtum igitur eſt, tantum religionis ſanguini & affinitati, quantum ipſis diis immortalibus tributum. *Val. Max. lib.1. cap 1.*

Perſuaſum fuit veteribus ex vana quadam ſuperſtitione menſem *Majum* nuptiali copulæ eſſe infelicem ac infauſtum: hinc illud poëticum.

Menſe malum Majo nubere vulgus ait.

Menſis *Iunius* nubentibus felix. Cauſa ſuperſtitionis hæc eſt, quod Majus à majoribus natu nominatus. Junius à junioribus.. Nuptiis haud dubio aptiores ſunt Juniores, quàm Seniores. *Frigidus in Venerem Senior.*

Uxor dotata marito exprobrare ſolet dotem. Procreare liberos lepidum eſt onus.

Nolo mihi oblatratricem in ædes intromittere.

Uxorem ducere eſt libertatem vendere; Viri jus ſuum ad mulieres oblinere haud queunt.

Qui poteſt mulieres vitare, vitet: ut quotidie pridie caveat, quod pigeat poſtridie. *Plaut.*

Mariti habitantes cum odioſa uxore, Herculis labores ſe ſuſtinere arbitrantur.

Dos pulchra eſt pecunia, ſed quæ non eſt marita.

Argentum accepi, dote imperium vendidi. *Plaut.*

Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Qui in amore præcipitavit, pejus perit, quàm ſi ſaxo ſaliat. *Idem.*

Qui amat, quod amat, id ſi habet, id habet pro cibo.

Amaſiæ ſolent amatoribus ebibere ſanguinem.

Amantes ſæpe Nocti, Diei, Soli, Lunæ miſerias ſuas narrant. *Idem.*

Oſcula Antecœnia Libidinis vocantur. Hodie in ludum literarium ire occepi, ternas ſcio jam. quid ternas? AMO. *Plaut.*

Suus Rex Reginæ placet quod Galli dicunt: *à chaque oyſeau ſon nid eſt beau.* Meus mihi, ſuus cuique eſt carus. Dos imperioſa eſſe ſolet.

Amoris

Amoris graphica admodum deſcriptio in primo chao Hippoliti apud Senecam. Sic incipit.

Diva non miti generata ponto
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Ille laſcivus puer ac renidens
Tela quàm certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo modulante venas:
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax iſti puero. per orbem
Spargit effuſas agilis ſagittas. &c.

Amor omnia excuſat. Amantes ſimul mori optant.

Amare mare eſt: & cavendum tanquam à mari. Viſcus m[illegible]s eſt blanditia. *Plaut.*

Mund[illegible]s illecebra amantum eſt. Lucrum amare nullum amatorem decet. *Idem.*

Etenim hoc eſt amare? arare mavelim, quàm ſic amare.

Nulla vis flammæ, tumidique venti,
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum conjux viduata tædis
Ardet & odit.

Dies ac noctes ames me, me deſideres, me ſomnies, me expectes, de me cogites, me ſperes, me te oblectes, mecum tota ſis.

Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum tuus. *Terent.*

Corpuſculum mellitulum, mea uxorcula, Meum Corculum, Melculum, Verculum. Mea roſa, meus Ocellus, anime mi, Voluptas mea. Dic igitur me tuum Paſſerculum, Hædillum, vel Vitellum tuum dic eſſe. O Libane ocellus aureus, donum decuſque amoris, Meum labellum, mea ſalus, meus molliculus caſeus, mea colluſtra. *Plaut.*

Colluſtrum eſt lac novum in mammis.

Age mulſa mea ſuavitudo. Mellis Medulla. Mea vita, medulla, mea feſtivitas. Sine tuos ocellos deoſculer

culer voluptas mea, fine amabo te deamari, meus festus dies. *Idem.*

Meus pullus passer, mea columba, mi lepus. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocum, & casia es, tu bdellium: nam ubi tu profusus, ibi ego me pervelim sepultum. *Idem.*

In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum. pax rursum.

Juvenes cælibes sunt instar piscium, qui dum ludunt circum nassam, gestiunt inire; ubi inclusi, iterum exire: Simile in matrimonio esse, quod ambiunt liberi, damnant capti. *Lips.*

Dies erat pro magnificentiâ duorum regum, & collocantis filiam & uxorem ducentis, insignis *Curt. lib.* 1.

Tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitiva marito,
Festa dicax fundat convicia Fescenninus
Solvat turba jocos. Atque facibus sc. Epithalamio, Fescennino. *Fescennini versus* sunt pleni lascivia, qui cani solebant in Nuptiis. ab oppido Hetruriæ. Alii à *Fascino.* quòd ad nimias laudes à Nemesi vindicandas & arcendum fascinum. &c. Vide *Sen. Med. in Choro, Act.* 1.

Si melioris sanguinis & animi aliqua contigit, Cælum id terra habebis. *Idem.*

Inclytus sum apud Mulieres, ita Venus vult. Quid mirum fecit? quid novum Adolescens homo si amat. *Idem.*

Confarreatio & *Diffarreatio.* Far adoreum pro certo frumenti genere, quod *Ador* appellabatur, quasi *Edor. Farreatio* genus sacrificii, quo Sacerdotum Nuptiæ confirmabantur. *Diffarreatio* erat aliud sacrificii genus, quo nuptiæ per confarreationem contractæ, contrario ritu dissolvebantur.

De Gislino omnia recta; nisi hoc tamen, quod uterque nuper in vincula conjectus (percutio te? Pone metum) Nuptiarum.

Virgo quædam paupercula roganti, quàm sponsa dotem

dotem esse allatura? *Pudicitiam*, inquit, *à majoribus traditam*.

Antiquitus Sponsæ dono mittebatur à viro annulus, qui *pronubus* dictus. Is autem erat ferreus, sine gemma. Antiqui victus parsimoniam & frugales mores designare volentes.

Apud *Græcos* consuetudine receptum erat, ut postera die à nuptiis, pater mittat sponsæ nuptiale munus, quæ ἐπαύλια δῶρα vocitabant. Puer ingenuus, specie liberali, candida amictus toga, cum ardenti face præibat. Mox longo ordine succedebant, qui mundum muliebrem, aurum & gemmas, vasa, pelves, pectines, alabastros, sandalia & reliquam supellectilem ferebant.

Pittacus expertus dicebat: Æqualem ducito: quum ipse domi haberet opulentiorem ac perinde morosam & imperiosam.

Antisthenes, adolescenti consulenti. cujusmodi uxorem ducere expediret? *Si formosam duxeris*, inquit, *habebis communem, sin deformem, habebis pœnam*. Suasit ducendem esse uxorem, quæ nec fastidium moveret Viro, ob deformitatem; nec ob insignem formam peteretur ab adulteris.

Baltheus, sive Cestus Veneris est discolor & variegatus: cui insunt omnes Cupidinis, blanditiæ, suadelæ, fraudulentiæ, omnia denique amatoria veneficia. dixit *Poëta*.

Collo necte puer meros amores,
Cestum de Veneris sinu calentem.

Factum Lacedæmone, ut sorte magis quàm arbitratu matrimonium sit initum: Ubi adolescentes cum puellis obscuro conclusi domicilio, quàm quisque sorte cepisset, domum sine dote abducebat.

Les plus lourds sont civilizez par l'amour.

OVIDIANA.

Quis enim bene celet amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.

Militia species amor est. discedite segnes.
Non sunt hæc timidis signa tenenda viris.
Comibus est oculis alliciendus amor.
Arguit, arguito: quicquid probat illa, probato:
Quod dicit, dicas, quod negat illa, neges.
Si nec blanda satis nec erit tibi comis amica,
Perfer & obdura, postmodo mitis erit.
Ad possessa venis, præreptaque gaudia servus:
Spes tua lenta fuit, quod petis, alter habet.
Sed malè dissimulo, quis enim celaverit ignem?
Lumine qui semper proditur ipse suo.
Te peto, quam pepigit lecto Venus æmula nostro.
O Iove digna viro, ni Iove nata fores.
Longus amor tales corpus tenuavit in usus.
Omnia perpeterer; sed surgere mane puellam.
Quis, nisi cui non est ulla puella, ferat?
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas,
Omnibus exclusis intus adulter erit.
Illius attactu Pylius juvenescere posset,
Tithonusque annis fortior esse suis.
Prima sit in vobis motum tutela: Puellæ
Ingenio facile concilianta placent.
Parva leves animos capiunt, fuit utile multis
Pulvinar placida composuisse manu.
Aspera si visa est rigidasque imitata Sabinas,
Velle; sed ex alto dissimulare puta.
Quis nisi mentis inops teneræ declamat amicæ?
Prima tua menti veniat fiducia cunctas
Posse capi, capies, tu modo tende plagas.
Vix erit è multis quæ neget una tibi.
Principio quod amare velis reperire memento.
Hæc tibi non tenues veniet delapsa per auras:
Quærenda est oculis apta puella tuis.
Vere prius volucres, taceant æstate cicadæ:
Fœmina quàm Iuveni blandè tentatæ repugnet.
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria, simplicitas digna favore fuit.
Artibus innumeris mens oppugnatur amantum,
Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis,

VIR-

VIRGILIANA.

Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.
Et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Agnosco veteris vestigia flammæ.
Est mollis flamma medullas, &c.
Ille meos primus quid me sibi junxit, amores
Abstulit: ille habeat secum servetqve sepulchro.
Solane perpetua mœrens carpêre juventa,
Nec dulceis natos, Veneris nec præmia noris?
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat illum absens absentem auditque videtque.
Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset,
Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas.
—— *Arcanos etiam tibi credere sensus:*
Sola viri moles aditus, & tempora nôris.
At non in Venerem segnes nocturnaque bella,
Basia si cessent, fœcundaque prælia Lecti,
Auriacus nullo milite tutus erit. Barlæus.
Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris. Martial.
Flammisque severi illicitis arsêre senes. Lucan.
Nec Idaliâ lentè incaluisse sagittâ. Silius.
Sic Deus in flammas abiit, sic pectore toto
Uritur.
Ille Dionæo submisit colla furori. Mantuan.
Continuò illabi sibi Virgo incendia quædam
Suavia, & urentes sentit præcordia flammas.
Cum te lascivo tetigit puer improbus arcu
Correptus sævo Veneris torrebar aheno. Propert.
Ferrea lascivis mollescunt corda sagittis. Claud.
Hortum Veneris & Amoris apud Claudianum lege:
Hunc venti pulsa timent, hunc lædere nimbi.
Luxuria Venerique vacat, pars acrior anni
Exulat, æterni patet indulgentia veris.
In campum se fundit apex, hunc aurea sepes
Circuit, & fulvo defendit prata metallo &c.

Omnisque

Omnisque vicissim.
Felix arbor amat, nutant ad mutua palmæ
Fœdera, populeo suspirat populus ictu,
Et platani platanis, alnoque assibilat alnus.
Etc. Ibid.
Hic habitat nullo constricta licentia nodo,
Et flecti faciles Iræ, vinoque madentes
Excubiæ, lacrymæque rudes, & gratus amantum
Pallor, & inprimis titubans audacia furti,
Iucundique metus & non secura voluptas, &c. Ibid.

HORATIANA.

Quam Iocus circumvolat & Cupido
Od. 2. lib. 1 Car.
Uno de multis face nuptiali digna.
Od. 11. lib. 3. Car.
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.
Od. 19. lib. 3.
Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius
Urit grata protervitas
Et vultus nimiùm lubricus adspici
Oda 19. lib. 1. Car.
Miserarum est, neq; amori dare ludum. Od. 12. l. 3. Car.
Felices ter & amplius, Quos irrupta tenet copula. nec malis Divulsus querimoniis Supremâ citius solvet amor die. Oda 13. lib. 1. *quæ te cunque domat Venus,*
Non erubescendis adurit
Ignibus. Od. 27. Car. lib. 1.
Ah miser!
Quantâ laboras puer in charybdi,
Digne puer meliore flammâ! Ibid.
Charis multa sodalibus
Nulli plura tamen dividit oscula
Quàm dulci Lamiæ.
Omnes in Damalim putres
Deponent oculos. Od. 36. lib. 1.
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro. Oda. 1. lib. 2. Car.
Iam protervâ fronte petet Lalage maritum. Od. 5. l. 2. Carm.

In Anum nubere paratam sic nos:

Turpis anus Pylios jam dudum fracta per annos
Subdit sub leges colla, Cupido, tuas.
Atque iterum exstinctas acuens prurigine flammas
Idalium subeat prompta libensque jugum.
Nullaque cum superest effœto in corpore virtus;
Et longum forma facta ruina sua est:
Non tamen imbellis Lycidam perdere amando
Desinit, & toto pectore velle Virum.
Turpe senilis amor, nec par congressibus illis.
Cum nihil ad gelidam Lampada fervet Hymen.

Quid si prisca redit Venus?
Diductosque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloe?
Rejectaque patet Ianua Lidya?
Quanquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice & improbo
Iracundior Adria:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Horat. lib. 3. Carm. Od. 9.

Quæ velut latis equa trima campis,
Ludit exultim: metuitque tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc protervo
Cruda marito

Horat. ibid. Od. 11.

Una de multis face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne Virgo
Nobilis ævum

Horat. ibid. Od. 12.

Nondum subactâ ferre jugum valet
Cervice: nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tua
Campos juventa. &c.
Tolle cupidinem

Immitis

Immitis uvæ, jam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.
Horat. Od. 5. lib. Carm. 2.

O docta antiquitas! quàm posteritatem tuam in cultum tuæ sapientiæ vocas. Si sic sacram allegoriam calluisses, quantò nos Christianos magis afficeres?

Levis una mors est.

Virginum culpa. Horat. h. e. una mors levior pœna est, quàm quæ sufficiat virginitati amissæ. id est, pudor amissus & violatus in virgine multas meretur mortes. *Bond.*

CONSCIENTIÆ. Vide *Animi. Consilii.*

Nihil est miserius, quàm animus hominis conscius, sicut me habet. Conscientia me convincit.

Potest obumbrari, quia non est Deus. Exstingui non potest, quia à Deo est. nubes aliqua, sive aulæum ei obducitur, affectum aut contemptum jubente. *Tertullianus,*

Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt, *Bernardus.*

—— *Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi; nullâ pallescere culpâ.

Bona conscientia prodire vult & conspici. tuta scelera esse possunt, secura non possunt. *Seneca.*

Nero sæpe cunctos per artus tremens, facinorum recordatione nunquam timore vacabat. 15. *Annal.*

Huic similis *Tiberius*, quem non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur. 6. *Annal.*

Ut, si recludantur eorum mentes, possint adspici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceraretur. 6. *Annal.*

Quid est *conscientia*? ex Religione & Dei metu animi

mi judicium ortum, bona approbans, mala abhorrens. Omnes illuc vocamur ab interno isto judice, velut ad tribunal: & homini formato indelebilem hunc characterem Deus impressit. *Lips.*

Vela te & verte in varias formas: ubicunque vera virtus non est, vitium subsequetur, & ex eo inquies in animo, aut timor. *Idem.*

Omne malum aut timore, aut pudore natura suffudit.

Nihil opinionis causâ, omnia conscientiæ faciam. *Seneca.*

Βροτοῖς ἅπασιν συνείδησις θεός.

Cicero: Conscientia benè actæ vitæ & benefactorum recordatio jucundissima est.

Livius Drusus, cum domum in palatio ædificaret, & architectus offerret, ita se structurum ut libera ab arbitris & omni despectu esset. *Quin tu potius*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quicquid agam ab omnibus inspici possit.*

Pacatus in Panegyrico: Habet occultos conscientia carnifices, qui magis lancinant & torquent vitalia, quàm cruces, quàm verbera, quàm tormenta. Græci dicunt: συνείδησις πλήττει τὴν ψυχήν.

Cauteriata Conscientia. Cauterium dicitur ferrum ignitum, quod vi causticâ sive ustivâ ulcera & putidas carnes curat.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora.

Bias interrogatus, quænam res in vita metu careret? *bona Conscientia* respondit.

Periander rogatus, quid esset Libertas? *bona Conscientia* respondit.

Heu! quàm difficile est, crimen non prodere vultu!
Nocte dieque tuum gestas in pectore testem. Juvenal.

Sic tamen hodie vivitur, ut multi famam, conscientiam pauci vereantur.

O te miserum! si contemnis Conscientiæ hunc testem. *Seneca.*

Ex

EX JUVENALI.

Rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacitâ sudant præcordia culpâ. Sat. 1.
Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet authori. Prima hac est ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam. Sat. 13.
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat.
Faucibus ut morbo siccis interque molares
Difficili crescente cibo; sed vina misellus
Exspuit, Albani veteris pretiosa senectus
Displicet, ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet, cedo, si conata peregit? Ibid.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Exanimes primo quoque murmure cæli.
Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum!
Nocte dieque suum gestare in pectore crimen. &c. Ibid.

Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque solicita est. *Seneca.*

Frustra silentium, & fidem in consciorum animis speres. 15. *Annal.*

Os hominis malefici libertate loquendi destituitur. *G. Pachym.* Pudor & conscientia potentissima sunt certissimaque facinorosorum hominum flagella. *Guicciard. Hist.*

Interno isto judice si probus audiam, quid addent aut dement mihi hi sermones? quis sim, in me situm est. qualis audiam in vano isto vulgo. *Lips.*

Bonus animus & sibi conscius, summum bonum est. *Idem.*

Ut cruciarii Romano ritu crucem suam ferebant, ipsi ab eâ mox ferendi: sic impiis omnibus conscientiæ crucem Deus imposuit; in quâ pœnas luant, priusquam luant. *Idem in Const. l. 2.*

Adver-

Adversus calumnias sufficit animus bene sibi conscius, & maximum bonum, mentis tranquillitas. *Erasmus.*

Quid mihi Philosophia præstet, nescio. illud, certè mihi præstat animus rectè conscius; ut hujusmodi mortalium insanos conatus perpeti malim, quàm imitari. *Idem.*

Rem dicam, ex quâ mores æstimes nostros. vix quenquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra reformidat. *Seneca.*

CONSILII. Vide *Deliberandi. Prudentia. Consiliarii.*

COnsilium ab aliquo expetere. Catum consilium alicui dare.

Consilii Senatum in cor advocare. *Plaut.*

Facile omnes, cum valemus recta consilia ægrotis damus: Capessere bonum consilium. *Terent.*

Vide ne nimium calidum hoc sit modò consilium.

Huic equidem Consilio palmam do. Instructa mihi in corde omnia consilia sunt. *Plaut.*

Intimus est eorum consiliis. Repudiare alicujus consilium.

Consociare cum aliquo consilia. Habere aliquem in captandis consiliis Nestorem.

In captandis consiliis ipse mihi ero Senatus. Imbecillitate consilii laborare.

Consilii nec auxilii usquam mihi est copia.

Consilia in promptu habere. Ita cum animo meo decrevi.

Hæc est animi nostri destinatio. Obire magnarum rerum judicia.

Obire edicti diem. Obire sacra solennia. Nec sapiens omnibus horis sibi satis est.

Ne gutta tibi parata est certi consilii. Sapienter ferè consulunt senes.

Senile consilium nititur firmissimis rationibus. Probamus hoc tuum consilium utraque manu, non solum pollice.

Supre-

Supremum me consiliorum tuorum comitem solebas habere.

Puppis & prora consilii mei. Quæ res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. *Terent.*

Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare: Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier. *Plaut.*

At nemo solus sapit: nam ego multos sæpè vidi regionem fugere consilii prius, quàm repertam habeant.

Sophocles: οὐ γὰρ τὶ βουλῆς τ᾽ αὐτὸ καὶ δρόμου τέλος: non est idem finis consilii, qui cursus.

Cujus neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi & ingenii solertia: quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat. *Sallust.*

Scelera impetu: bona consilia morâ valescunt. 1. *Hist.*

Nullus cunctationi locus in eo consilio quod non laudatur nisi peractum, & ubi perniciosior sit quies, quàm temeritas. 1. *Hist.*

Et quæ provideri non poterant, fortuitò in melius cadunt. 2. *Annal.*

Consilium malum consultori pessimum. *Camerar. cent.* 1. *cap.* 9.

Non privato usui bonum publicum postponendum. 6. *Annal.*

Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reip. utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit. 2. *Histor.*

Imprudenter *Flavius Sabinus*, qui neque alienis consiliis regebatur, neque suum expedire potuit. 3. *Hist.*

Nihil arduum in animo Principis, cui non judicium, non veritas, nisi indita & jussa. 12. *Annal.*

Qui tanquam pupillus imperiis alienis obnoxius, non modò imperii, sed & libertatis indiget. 14. *Annal.*

Vel

Vel cui mobilitate ingenii, neque in ſuis, neque in alienis conſiliis conſtantia eſt. 15. *Annal.*

Fugiat verò Princeps onus dicendæ primo loco ſententiæ. 3. *Annal*

De CONSILIIS vide Philoſophiam Hiſtoricam *Goulartii*, hoc Titulo.

CONSOLATIONIS.

AH! guttulâ pectus ardens adſperſiſti mihi. *Plaut.*
Conſolationem bonæ conſcientiæ habere. Conſolationis medicinam adhibere. Levamine conſolationis aliquem fulcire.

Blanda alicujus animo fomenta ſuggerere. Spes in adverſis alere animos ſolet.

Nullam jucunditatem triſtis morbi ſenſus admittit. Solatium de honore Virtutis petendum.

Erigere aliquem alloquiis. Affectum dolore animum ſanare nulla ratio poteſt.

Laboranti animo parum apta remedia inveniuntur.

Prorſus ſupervacanea eſt medicina doloribus. Fulcro & allevatione iſta indigemus.

Ut nautæ, cum in tempeſtate Geminos vident, ſpem magnam & alacritatem concipiunt: ſic ego, cui poſt hoc fluctus apparuit legio hæc gemella. *Lipſ.*

Omnia illa agmina militum, omnes illi minaces gladii, facient idem, quod una febris, quod unus acinus, quod unus vermis. *Idem.*

Bene igitur *Socrates*, qui hæc omnia non aliter appellare ſolitus, quàm μορμολύκεια, ſive Larvas.

Solon amicum quemdam Athenis graviter lugentem in arcem deduxit, & ſubjectas omnes in magnâ urbe ædes oſtendit. *Cogita*, inquiens, *quàm multi luctus ſub his tectis olim fuerint, nunc verſentur, poſtea futuri ſint:* ac mitte mortalium incommoda, tanquam propria deflere. Siſte te in alto illo Olympo; deſpice mihi omnes urbes, provincias, regna, & cenſe totidem conſepta te videre cladium humanarum. Amphitheatra

phitheatra hæc quædam sunt, & arenæ in quibus cruenti fortunæ ludi.

Lipſ. in 2. lib. Conſt. cap.26.

Quid cunctaris furentes ſedare inani pompa promiſſorum, veluti flentibus pueris extorquemus, ſilentium, illorum oculis ad tabulas aut aulæa ſublatis? *Lipſ.*

Diogenes dicere ſolitus, ſæpius in vita parandum λόγον ἢ βρόχον, Sermonem quàm laqueum. Non enim confugiendum ad laqueum, ſed ad conſolationem potius.

Idem Antiſthenem morbo decumbentem inviſens, dixit: Numquid amico eſt opus?

Homines de meo capite poſſunt ludere, ſtatuere tantùm ſupremus ille princeps. *Lipſ.*

Virum te præbe, imò memineris te hominem eſſe, & vitæ hujus fabulam age. poſt illas procellas inſignem aliquam ſerenitatem exſpecta, atque illi te ſerva. *Eraſmus.*

Tu verò palmæ arboris exemplo ne cede malis; ſed contra audentior ito, quàm tua te Fortuna ſinat. *Idem.*

CONSILIARII.

Vide *Conſilii. Legati.*

QUoniam autem arduum & ſubjectum fortunæ eſt regendi cuncta onus, nec poteſt Princeps ſua ſcientia cuncta complecti, tantæque molis eſſe capax, vocet ideò alios in partem curarum. 1. & 3. *Annal.*

Certus, graviſſimos ejus labores, quibus orbem terræ capeſſit, egere adminiculis. 12. *Annal.*

Sic enim facilius munia Reip. ſociatis laboribus exequetur. 11. *Annal.*

Spectatiſſimos conſilio viros aſſumat: ſed tales, qui ſemper teneantur, & iiſdem negotiis inſeneſcant. 4. *Annal.*

Vigentes & pares negotiis, recti pervicaces, opum contemptores: (nam peſſimum humani affectus venenum) ſua cuique utilitas. 16. *Annal.* 1. *Hiſt.*

Conſtan-

Constantes adversus metus, animorum provinciæ prudentes, & per multa experimenta doctos. *In Agric.*

Ita compositi, ut ex eventu rerum adversæ abnuant, vel prospera agnoscant. 3. *Hist.*

Apage contra, qui tantum sententiis aliorum contradicunt. 1. *Hist.*

Et, qui consilii, quod non ipsi adferunt, inimici. 1. *Hist.*

Bonum publicum privatis simultatibus impediunt; prospera sibi vindicantes, adversa aliis imputantes, *in Agric.*

Placent, qui specie obsequii regunt, & ad omnia, quæ agenda sunt, quietâ cum industria adsunt. 3. *Hist.*

Probatur verò contator naturâ & cui cauta potius consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placent. 2. *Hist.*

Ita novimus, nullum majus boni imperii instrumentum, quàm bonos ministros. 4. *Hist.*

De CONSILIARIIS lege Historicam Philosophiam *Goulartii*, hoc Titulo.

Quis sit optimus Consiliarius. *Camerar. cent.* 2. *cap.*47.

De usu Consiliariorum vide *Schonborn. lib.*3. *cap.*22. *Ibidem* de eorum ætate, Moribus & Doctrinâ. *c.*23.

CONSTANTIÆ. Vide *Fortitudinis. Magnanimitatis.*

De CONSTANTIA lege *Val. Max. cap.*8. *lib.*3.

CONSTANTIA *est rectum & immotum animi robur, non elati externis, aut fortuitis non depressi.* Robur dixi & intelligo firmitudinem insitam animo, non ab opinione, sed à judicio & rectâ ratione. *Lips.*

Constantiæ vera mater, Patientia & dimissio animi est. *Idem.*

Cave & hìc opinio tibi imponat: quæ patientiæ loco abjectionem sæpe & torporem quendam animi

H 2 marcen-

marcentis suggerit. Verè vitium, & cui origo à vilitate sui. *Idem.*

Constantia sola illa est Helena, quæ verum illud legitimumque Nepenthes propinet, in quo oblivio curarum & dolorum, quod si semel demisisti, & imbibisti; magnum illud decus Deoque proximum tibi vindicabis: NON MOVERI. *Idem.*

Ut fluvii quidam per media maria transire dicuntur & servare suam undam: sic tu per tumultus circumfusos, ut salsedinem nullam trahas ex hoc pelago mœrorum. *Idem.*

Jacebis? Constantia te attollet. Vacillabis? sustinebit. ad lacum properabis vel ad laqueum? solabitur & reducet à limine mortis.

Nimbi circum te cadant & fulmina & tempestas, clamabis verâ magnaque voce: *Mediis tranquillus in undis.*

In quem cuneus & cumulus nihil possit ingruentium tot malorum. *Lips.*

Ad *Constantiæ* nostræ asylum te voco, & ad arcana illa sapientiæ templa, cujus tectum si semel subis & penetras, tectum ego sartumque te habeo ab omni vi. *Lips.*

Compositæ mentis signum est, posse consistere & apud te morari *Idem.*

Assiduè in metu, spe sumus, & ab omni aura Cupidinum rapimur: firmat hæc sapientiæ anchora, quam illa navigio nostro aptat. *Idem.*

Homo, sive *animus Euripus*, de inconstantibus, qui facile sententiam mutant.

Socratem ajunt colapho percussum, nihil amplius dixisse, quàm molestum esse, *quod nescirent homines, quando cum galeâ prodire deberent.*

Nemo mutatum Catonem toties mutatâ Rep. vidit. Cum alii ad Cæsarem, alii ad Pompejum inclinarent, *Solus Cato fecit aliquas Reip. partes.* Seneca.

Harpagus Medus, cum ei Filium suum puerum Rex Astyages epulandum proposuisset, & post cœnam pueri caput ei ostendisset, eo spectaculo consternatus non

non fuit. Percontanti *Astyagi*, cognosceretne cujus feræ carnes gustasset? se agnoscere respondit, *sibique quicquid rex ageret, placere.* Vide hoc idem latius in Titulo *Ebriet.*

Lacedæmoniorum Matronæ, quando suos filios in pugna cecidisse audirent, vulnera ipsorum inspicere solebant. Et si plura ex adverso essent facta, summopere gaudebant. Si alio loco vulnera accepissent, corpora ipsorum communi sepulchro humanda relinquebant.

Phocion Atheniensis: Vir, qui contra vulgus, contra potentes, contra fortunam & mortem ipsam immotus stetit. Oraculo aliquando Athenis recitato, esse unum, qui à concordi civitate dissentiret: quærentibus omnibus, Quæso, *inquit*, quiescite: *Ego ille sum, quem quæritis. Nam mihi nihil eorum, quæ facitis, placet.*

Cum Amicus ejus in carcere quereretur, quod injustè cum *Phocione* interficeretur: *Et tu* inquit, *non in magna gloria ponis, quod cum Phocione?*

Alio rogante, numquid ad Filium vellet? *Maximè,* inquit, *jubere me, ut injuriarum populi Atheniensis obliviscatur.* Vide Exempla & Monita Pol. Lipsii cap. 7.

Rex *Agis* captus per insidias ab hostibus & innocens condemnatus mortis cum aliquando videret Lictorem aliquem flentem, rogavit quare? Resp. *quia injustus morieris.* Resp. ille, *multo sum illis felicior, qui me sine causa ad mortem rapiunt, ipsi sceleribus toti adoperti.*

Quum *Catoni*, causam in foro agenti Lentulus, attracta pingui salivâ, in mediam frontem, quantum poterat, exspuisset: absterfit Cato faciem ac dixit: *Affirmabo omnibus Lentule falli eos, qui te negent os habere.* Os habere negantur, quos nihil pudet.

Spartana mulier cum audivisset, Filios omnes in pugna cecidisse, nihil in morte filiorum doluit, modò patriæ res bene succederent.

Anaxagoras, cum illi mors Filii nunciaretur, dixit, *sciebam me genuisse mortalem.*

Pericles, duobus adolescentulis filiis intra quatriduum spoliatus, eodem die vultu nihil mutato concionem habuit.

Crassus adeo filii mortem patienter toleravit, ut omnem dolorem prorsus simulaverit,& ingenti animo per totum agmen profectus, magna voce dixerit: *ne unius viri jacturâ tantopere commoverentur.*

Zeno cum omnia sua audiret submersa: *Iubet*, inquit, *me fortuna expeditius philosophari.*

Minabatur *Theodoro* Philosopho tyrannus mortem & quidem insepultam: *Habes*, inquit, *cur tibi places, hemina sanguinis in tua potestate est*: nam quod ad sepulturam pertinet, ô te ineptum, si putas interesse, *supra terram an infra putrescam.*

Teres atque rotundus. Est totus in se conversus & ex se pendens, non è fortuna, nec foras spectans.

Cratesiclea mater Cleomenis, qui R. Spartæ, à Ptolomæo opem & opes petiit, ille matrem in obsidem. Cleomenes non ausus matri proponere. Quod illa animadvertens. Et hoc erat, inquit, quod dicere aggressus, non dicebas? *Mitte verò hoc corpusculum quoquò terrarum, ubi usui Sparta sit*, potius quàm hîc senio & desidiâ solvatur. *Lips. in Mon. & Exempl. Polit.*

Monime Milesia insigni formâ Mithridati placuit, qui pudicitiam ejus tentavit blanditiis & donis. ad XV. millia aureorum simul misit, sed fortiter sprevit. Tandem Mithridati nupsit; sed sortem suam deplorabat, quod pro marito dominum habitura, pro liberis & familiâ custodiam eunuchorum. Victus tandem Mitridates à Romanis. Misit ad illam Eunuchum, qui occideret, ne in manus hostium. Illa nihil cunctata, diadema capiti detractum collo aptavit, atque ex eo se suspendit. *Infelix fascia, ne hic mihi eris usui?* Ibid.

Cato Metello & Cæsari contrarius contra perniciosas rogationes. Amici Catonis, tota domus, mœsti. Solus securus cibum capit, dormit, mane ad forum. Videt templum & gradus Castoris armatis insessos, ipsum Metellum assidente Cæsare, quasi Duces eminentes.

nentes. Risit Cato & ad proximos : ô Hominem timidum! qui adversus unum & inermem tantum habuit delectum. Componit se medium inter Pompeium & Cæsarem. Scribæ & Metelli manibus leges eripit. Muræna consul ipsum texit. infecit omnia. *Lips. in Mon. & Exempl. Polit. c.7.l.1.*

Pompejus cum solicitaret sororis filiam ad nuptias, Cato jussit renunciari: *Non capi aut illaqueari se per fœminas*, ait. Quod si Pompejus rectam in Rep. viam iniret, ultrò se amicum fore, sin aliam, nullo pacto aut pretio. *Ibid.*

Porcia Bruti uxor, filia Catonis. M. Brutus de Cæsaris nece grande aliquid & atrox agitabat. Illa scire voluit, & in experimentum sui cultello tonsorio vulnus femori inflixit. Postea nobilem orationem ad Brutum habet: *Catonis filia sum* &c. Brutus admiratus, *ô omnes cœlites, præstate me dignum Porciâ maritum.* Tum conjurationem aperit. Postea cognoscens Brutum in Philippicis cecidisse, mori voluit. Sed, impedita. Denique à foco ardentes prunas haustas ori ingessit, & spiritum, quem emittere non potuit, suffocavit inclusum. *Ibidem magnus Lipsius.*

Constantiæ & Patientiæ exempla vide plura in *Offic. Text. c.21.l.5.*

Fredericus III. Rom. Cæsar, cum huic diceretur, multos esse, qui de illo calumnias disseminarent. Resp. sæpè audivimus Principes Ducesque instar esse scopi, in quem quisque tela & sagittas suas ejaculetur.

Libros istos, quos de Constantia in mediis patriæ meæ turbis constanter scripsi & perscripsi. &c.

Quia dedi, quod hoc quidem tempore, optimum maximumque in omni meo literario censu.

Interclusa diu est & spinis obsita, hæc sapientiæ via, *Lips.*

De *Carolo V.* cum in summis periculis monitus loco cederet: *Considerent*, respondit, *neminem Imp. tormenti ictu periisse.*

M. Cato cum fratre Cæpione apud avunculum Drusum educabatur, Venerunt ad illum Legati Lati-

norum de impetranda civitate. Popedius Silo, inter primos Latinorum, *Heus vos*, inquit, *ecquid apud avunculum pro nobis & civitate capienda intercedetis?* Cæpio blandè annuere, Cato silere & torvum intueri. Tum Popedius: *Quid tu igitur non promittis?* & simul sustollit, &, extra fenestram elatum, pendulum habet, cum minis & terrore dejiciendi. Vocem etiam & vultum exasperat. Cato nihil minus. Ibi Popedius ad suos: *Et quid si hic vir sit, ne unum quidem suffragium in populo feremus*. Lips. in Mon. & Exempl. Polit. c. 7.

Sarpedon solitus Catonem XIV. ætatis anno ad Syllam salutatum ducere. Domus illius cum parum à carnificinâ absimilis, ita capti, vincti, torti ducebantur, sed & capita inferebantur & efferebantur interfectorum. Cato inhorruit & ad magistrum suum: *Hunc hominem*, inquit, *quod ita nemo interficit?* Et cur gladium mihi non dedisti, ut eum interimam?

CONSTANTIA.

Publica tempestas, subitoque exorta procella
Si populo impendet Christiadumque gregi;
Et latè furor inflammat Babylonius orbem,
Cunctaque sub pedibus barbarus hostis habet:
Tu ne destituas animum firmare labantem,
Et rursum fracta subdere colla rati.
Gorgona vel sævam si Mars objectet & Orcum,
Ante tuos oculos tristis Erynnis agat:
Roboret immotam victrix CONSTANTIA *mentem;*
Hoc sartus clypeo tectus & esse queas.

CONVERSATIONIS. Vide *Usus. Consuetudinis.*

EBriosus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem quoque & siliceum virum emolliit.

Avaritia in proximos virus suum transtulit. Κεράλαιον ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφή.

Diuturna cum aliis conversatio naturæ habitum immutat,

immutat, & alienos mores sociali vitæ exemplo affundit. *E. Neuh.*

Feras bestias captas & inclusas, quia ipsarum natura non potest, dies mitigat. *Seneca.*

Quis non ab erudito philosopho doctior, à gravi Theologo religiosior, à perito Juris consultior domum redit: à quibus vel silentibus semper aliquid discas? *Lips.*

Σοφοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ σοφός.
Κακοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Socrati, *Catoni*, *Lælio* excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeò nemo nostrum, qui eum maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu viventium potest. Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat & emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat: Malignus comes, quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Recede in te ipsum quantum potes: & cum his conversare, qui te meliorem facturi sunt. *Seneca.*

Nulla res magis animos honestos induit, dubiosque & in prava inclinantes revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim e. descendit in pectora: & vim præceptorum obtine: frequentari audiri, aspici frequenter. Occursus mehercule ipse sapientium juvat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. *Idem.*

Retunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida dediscitur. Consule in hanc rem *Theatrum ingenii, cap. 2. lib[illegible].*

Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod vitium nobis aut commodat, aut inprimit, aut nescientibus allinit. *Senecà.*

Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. *Seneca.*

Elige Catonem. Et si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum, Lælium. elige eum, cujus tibi placuit & vita & oratio, & illius ani-

mum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende. *Idem.*

In usum ejusmodi virorum semper irrepe, semper irrumpe. *Lips.*

Sicut nautas in tenebris intermicantis sideris illustratio dirigit: sic nos in hac vitâ vel inspecti illi viri. admirationem excitat & in viam eandem vocat, si non pari felicitate ad metam ducit. *Lips.*

De *Conversatione* & *Educatione*, Vide Eloq. Tyrocinium, *Oratione* LVI.

CONVITII.

Vide *Calumnia.*

Diogenes cuidam convitiatori, *At nec mihi* (inquit) *credit quisquam te laudanti, nec tibi me vituperanti.*

Philippus suis convitiatoribus gratias habebat, quod ab iis melior redderetur.

Socrates acrius objurganti familiarem quempiam in convivio, Plato dixit: *Nonne satius erat hac illi dixisse seorsim?* Cui Socrates: *Et, an non tu quoque rectius fecisses, si hac mihi seorsim dixisses.*

Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur.

Si immeritò te objurgaverit quis: scito quia prodesse voluit. Si merito: scito quia profuit.

Multi cum aliis maledicunt sibi ipsis convitium faciunt.

Chrysippus audiens quosdam ipsi convitiari. *Atqui ego*, inquit, *sic vitam degam, ut illis nemo sit crediturus.*

Plato inquit, cum reprehenderis convitiosè, vide numquid à te convitio dignum designatum sit. Si nihil tale actum est, fumum esse illud convitium existimato.

Martialis:

Dum te posse negas nisi Lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti Gellia Cistigero.

Cistigeros appellat eos homines, qui pro contemptissimis habentur.

Ciste-

Ciſtopheros Turnebus putat eos dici, quod in iis celata erat eorum ſpecies & forma, qui ſacra arcana in ciſta gerebant.

Iſocr. *Τοὺς ἄλλους λοιδορῆσαι, οὐ σημεῖον ἀρετῆς ἐστιν.* Suavius nihil eſt, neque magis Muſicum, quam poſſe convitia ferre. *Thilemon.*

Iphicrates Harmodio ignobilitatem exprobranti reſpondit; Mei generis nobilitas à me incipiet, tua autem in te deſinet. *Plutarch.*

Agathocles Siciliæ R. quum urbem obſideret, & aliqui conviciarentur, dicentes: *ô figule, quomodo militibus ſtipendia* ſolves? reſpondit: quum urbem veſtram cepero.

Anacharſis exprobranti illi Attico, quod Scytha eſſet, reſpondit: mihi quidem probro eſt patria, ſed patriæ tu.

Vide plura in *off. Text. cap.39. lib.5.*

Aſinus Ægyptius. Ægyptii adeo aſinum oderunt, ut apud eos conſuetudo fiat, omnibus eum ludibriis inceſſere, ludo & ceſpitibus paſſim impetere, ſtimulis agitare, quaque locus ſe offert opportunus, præcipitem agere. quare deſpicatiſſimos homines aſinos Ægyptios vocamus.

Apud *Romanos* qui ſedulò admodum dediti erant Græcæ Literaturæ, *Graculi*, per convitium dicebantur. *Meurſius.*

CONVITIANDI *In homines indoctos, rudes Paraſitos.* Vide *Vitup.*

A Muſis eſt averſus. Magna in illo homine eſt jejunitas bonarum artium.

Hoſpes & peregrinus es in literis. Democriti patria es dignus.

Tragico Oreſte dementior es.

Plane in literis es plumbeus, hebes & obtuſus.

Homo eſt ſine ingenio, truncus ac ſtipes. Septentrionalis filius es.

Nullam rem ſapis. Nunquam ego te tam matulam eſſe credidi. *Plaut.*

Non est in toto corpore mica salis. Nihil aceti habet in pectore.

Lapis super lapidem sedes. Heus tu, qui cum hirquina adstas barba. *Plaut.*

Illum hominem nullius coloris novi; Ater an albus sit nescio. Tanti est, quanti est fungus putidus.

Verveceum caput. Vermunitum pectus. Fabre compactum animal, hominem quis ferat sic esse pecuatum?

Quis averruncásset tam arietinas hominum mentes? *Plaut.*

Asinus portat Mysteria. De iis, qui indigni rem magnam gerunt.

In Cereris sacris asini ex urbe necessaria portabant.

Iam hic quoque scelestus est coqui sublingio? hoc est, qui lingit patinas.

Heus tu verberea statua. Plaut.

Plagipatida estis, quibus sunt verba sine penu & penu & pecunia. *Idem.*

Bœotius porcus. De stupidis dicitur.

Dentale illis non inest, ab aratro desumptum.

Bœotum in crasso jurares aëre natum. Horat.

Ubique vapulat, & corpus ejus tot cicatricibus infamiæ jam occalluit, ut plagæ novæ non sit locus. *Lips.*

Ecce, convitiorum plagis excipior, & penè ad Tarpejum saxum vocor, Tacitum corrupi. Dii hominesque? nullus author hodie magis medicam, magis oportunam manum à me sensit. *Idem.*

CONVITIANDI *In hominem flagitiosum.* Vide *Carceris.*

NEfariis sceleribus es coopertus. Omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum scelestissimus. *Cic.*

Ex scelerum colluvione es natus. *Idem.*

Acherontis pabulum es. Stabulum nequitiæ. Ut sibi carnifex os perfricuit. *Plaut.*

Scele-

Scelerum es cumulatiſſimus. Tu buſtirape; tu ſociofraude. Verberaſti patrem atque matrem. Cœnum! ſterquilinium hominis, Κόπρει⊙ ἀνήρ. *Idem.*

Ad nequitiam illi eſt pædagogus. Impure, inhoneſte, injure, illex, labes populi. Pecuniæ accipiter, avide atque invide. *Idem.*

Tuas impuritias traloqui nemo poteſt. Stabulum Servitricium. Scortorum liberator. Subiculum flagri, compedium tritor. *Idem.*

Sator ſartorque ſcelerum meſſorque maximus. Bellum & pudicum proſtibulum populi. Quid ais? quantum terra tegit hominum perjuriſſime. *Idem.*

Quid ais crux, ſtimulorum tritor? Homo ſceleris ſemen. Cinœdus calamiſtratus. *Idem.*

Mali corvi malum ovum. Κωφὸν πρόσωπον: *perſona muta.*

Archilochi patria. In Convitiantes dicitur. Talis enim Archilochus. Hinc Horat.

Archilochum proprio rabies armavit Iambo.

Ciceroni, Archilochia edicta ſunt contumelioſa & virulenta.

Salluſtius propter dicacitatem ſuam, quia nimis hominum vitia ſolebat notare, in magna apud populum invidia & odio erat.

Bombylius homo. De homine inutili. Bombylii ſunt ex apum genere, ſed favos è luto conficiunt.

Graphicè admodum vituperat Catilinam *Cicero* in Oratione pro M. Cœlio; ubi ſic incipit: Neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naræ ſtudiis cupiditatibuſque conflatum, &c.

CONSUETUDINIS. Vide *Morum Vſus. Converſationis. Educationis.*

Converſatio diſſimilium bene compoſita diſturbat. *Seneca.*

Pueris dabimus aliquod laxamentum; in deſidiam verò otiumque non reſolvemus. & procul à conta-

ctu delitiarum retinebimus. Nihil enim magis facit iracundos, quàm Educatio mollis & blanda. *Sen.*

Non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est; cui lacrymas sollicita semper mater abstersit; cui de pædagogo satisfactum est. *Idem.*

Nihil alienæ luxuriæ ignoscit, qui nihil suæ negavit. *Idem.*

Apud Platonem educatus puer, cum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem; *Nunquam*, inquit, *hoc apud Platonem vidi.* Idem.

Consuetudo naturâ potentior. *Curt. lib. 5.*

Consuetudinem legislatores instar legis se habere pronunciant. *Zonaras.*

Consuetudo tempore confirmata plus oratione & religione valet. *Nicetas Acem.*

Excitantur quidam ad meliora magnitudine rerum, hebescunt alii. 3. *Annal.*

CONVITIANDI *In Iuris C. Med. Philos. &c.* Vide *Calumnia. Advocati.*

Cerberus es forensis. Togatus vultur. Fori purgamentum.

Rabula forensis. Homo repentinus. Hic homulus ex argilla & luto fictus.

Illi homini peculii nummus non es plumbeus.

Fori perturbator. Testamentorum suppostor. Inanilogista. Nugivendulus. *Plaut.*

Agrippa dixit de Medicina, quod illa quædam homicidiorum ars sit.

Citant tunc Medici semigræculas & barbaras voces: quibus instructi plus quam plumbea gravitate & audacia penè militari medendi practicam aggrediuntur. *Idem.*

Respicit urinam Medicus, tangit arteriam, inspicit linguam, palpitat latera, explorat nutrimenta, scire vult victus consuetudinem. velut statera expendit humores ægrotantis.

Magna jactantia præscribit medicamina: Recipe Catapotia, mitte sanguinem, fiant Clysteria, fiant pesti,

pesti, fiant unctiones, fiant cataplasmata, dentur elinctoria, dentur masticatoria, fiant gargarismata, fiant sacculi, fiant fumi, dentur condita.

De hisce vide plura apud *Agrippam* cap. 83. Qui copiosè & eleganter, si non verè de istis & utiliter.

Menecrates Medicus adeo ob artem suam ambitiosus, ut hominem se ignoraverit. scripsit ad Philippum: Menecrates Jupiter Philippo R. salutem: cui Rex: Philippus *Menecrati Sanitatem*.

Vide eundem Agrippam de Juris consultis & reliquarum scientiarum vanitate: quas suo more convitiis & calumniis mordet.

Stratonicus salsè Medico dicebat: laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, statim eos à vita liberans.

Medicus quidam cum insolenter incederet aureis catenis ornatus, videns id quidam advena, quæsivit quisnam ille miles esset? Responsum accepit, eum non militem, sed medicum esse. Subdit ille, hui, quam fidelis & probus medicus, qui à corporibus aliorum regium aufert morbum, at suo apponit. Intelligit morbum pecuniarium: *Argyranchen, non Synanchen*.

Forum, advocationes, judicia, fugere debemus, & omnia, quæ exulcerant vitium. *Seneca*.

Sæviantque illi larvarum pleni homines, stabula malitiæ & columina audaciæ, non hilum me concutiunt, & susque deque habebo, quod scribant, quod non scribant. Modestiam mihi natura conciliavit. à vita abire cupiam quàm ab hac abibo. *Lips*.

CONVIVII. Vide *Abligurriendi. Bibendi. Coquendi. Volupt. Parasiti.*

SEptem *convivium, novem convitium*. Antiquitus paucitas convivarum laudata fuit. Igitur Terent. Varro convivas inter Gratiarum & Musarum numerum restringit, ne aut plures sint septem, & pauciores tribus. Horat. *locus est & pluribus umbris*, Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

De

De *Quaestionibus Symposiacis* lege 1. *Pontani Progymnasma* 36. lib. 2.

De *More accumbendi* & discumbendi legatur *CL. Rosinus lib.* 5. *cap.* 28.

De Conviviorum & vestium luxu in civitate frenando. *Schonborn. lib.* 3. *c.* 17.

Scindere penulam nihil aliud significat, quàm retinere hospitem impensius, atque invitare prolixius. nam manu in penulam injecta solemus convivas morari. *Cic.* Quorum ego vix attigi penulam, tamen remanserunt.

Convivium etiam solenne majores instituerunt; idque *Charistia* appellaverunt. Cui praeter cognatos & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensae, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiae adhibitis tolleretur. *Val. Max. lib.* 2. *cap.* 1.

Majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. *ibid.*

HORATIANA.

Cras genium mero curabis & porco bimestri
Cum famulis operum solutis. Oda 17. lib. 3.
Larga nec desint Veneris sodali
Vina cratere, vetus ara multo
Fumet odore. Od. 18. lib. 3.
Da Lunae propere novae,
Da noctis mediae, da puer auguris
Murenae. Tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. Od. 19. l. 3.
Moveri digna bono die,
Descende Corvino jubente.
Promere languidiora vina. Od. 21. l. 3.
Festo quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum
Lyde strenua Caecubum;

Munitaque

Munitaque adhibe vim sapientiæ.
Inclinare meridiem sentis, ac veluti stet
Volucris dies, parcis deripere horreo. Od.28.l.3.
Illuc omne malum vino cantuque levato. Epod.13.
Vide plura in Tit. *Vini & Volupt.*

COQUENDI. *Ciborum. Voracitatis.* Vide *Abliguriendi. Volupt. Conviviorum. Luxur.*

PArvis nutrimentis quanquam à morte defendimur, nihil tamen ad robustam valetudinem promovemur. *Apul.*

Cibi condimentum est optimum fames, potionis sitis, *dicebat Socrates.*

Madida quædam appone in mensam; quæ milvinam mihi suggerant. *Plaut.*

Primarius ille Parasitus & obsonator optimus. Concinnare aliquid ad esum.

Reddam carnem hanc gustatu idoneam. Ego ita convivis cœnam conditam hodie dabo, ut facile digitos prærodant.

Cibum apponere ad Vulcani violentiam. *Idem.*

Sapidos cibos facere. Coquere ad nuptias. Condire cibos miro cum artificio ac elegantia.

Irritamenta gulæ eduliaque ciborum ad profundam ingluviem satiandam investigare.

Obsoniorum varietates, irritamenta libidinum excogitare.

Fercula, scitamenta, condimenta. Carnem elixare, assare.

An invenire postulas quemquam coquum nisi milvinis aut aquilinis unguibus? *Plaut.*

Exdorsuare pisces, desquammare. Excenterare leporem; excoriare.

Follem arripe, & vento facto flammis adole penates. Ligna ista ardent lentius & fumant copiosius.

Verubus carnes figere. Titiones & carbones vivos ita dispone, ut apponere assatorium commodè liceat.

Utensilia

Utensilia coquinaria. Accurre ad cacubum, aufer operculum, en ut supra labrum assurgat ebullitio.

Flammulæ assum lambunt. Nimium percoquitur in ollis. Vide ne fumus se insinuet, carbunculi insili ant.

Cibi hodie in hac urbe ferias agunt.

Cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum,
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

De sordidis cibis *Iuvenal. Sat.* 3.

testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequentur.

Juven. Satyra 4. de Rhombo pisce.

Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu,
Et semel adspecti littus dicebat echini. Ibidem.
propera stomachum laxare saginis
Et tua servatum consume in secula rhombum. Ibid.
Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas, & chironomanta videbis
Cultello.
Nec minimo sane discrimine refert
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Juvenal. Satyr. 5.

Præcepta ad artem culinariam spectantia irridet *Horat. lib. Ser. 2. Sat. 4.*

Invitatio ad cœnam frugalem *Sat. 5. lib. 1. Epist.*

Siculi Saturitati templum dedicarunt. Hinc Siculæ & Syracusanæ deliciæ in proverbium iverunt.

Vitellius Imp. educatus inter inter Tiberii meretrices, *natus*, ut inquit Plinius, *tantum ad bibendum.*

Bonosus Imp. tantum mingebat, quantum comedebat. Is cum suspendio se necâsset, quidam quis esset, rogabât. Resp, *non hominem esse, sed amphoram.*

Notissimum dictum est de numero convivarum, prout

prout meminit *Iulius Capitolinus : Septem convivium, novem convitium.*

Athenæus author fuit, olim non plures quinque in convivium adhiberi solitos.

Hac lege definiendus erit numerus convivarum, ut neque minor quàm Gratiarum sit, neque quàm Musarum numerosior.

Sal condimentorum omnium suavissimum. Qua de causa *Salem* nonnulli *gratiam* appellarunt, quod citra hunc omnia insipida & ingrata videantur.

Philoxenus gruinum collum, ut *Melanthius* oloris, & insuper tricubitale guttur optabant, quo diutius voluptatibus perfruerentur.

Cestreus jejunat. De voracibus jactatum. Piscis hic est inexplebilis.

Bovem in maxillis fert. De voracibus.

Hoc contra naturam est, torquere corpus suum & faciles odisse munditias, & squallorem appetere, & cibis non tantum vilibus uti; sed tetris & horridis. Quemadmodum delicatas res desiderare, luxuriæ est: ita usitatas & non magna parabiles fugere, dementiæ est. *Seneca.*

Cæna dubia in qua tot fercula, ut dubites, quid prius velis attingere.

Esuriunt medii, finales sunt saturati :

Peccant, qui dicunt medium tenuere beati.

Cæna adventitia : quâ accipere solemus amicos peregrè redeuntes.

Ἀλλότριον τοῦ συμποσίου τὸ ἐρίζειν.

Bon gagnage faict bon potage.

Voracitatis Exempla vide in Fatidicis Parentis mei pag. 273. lib. 2.

Atque ecce, inquit, prodeuntes in Scenam Lurcones, Helluones, Comedones, Pamphagos, Polypotas. Gurgites ciborum, Charybdes bonorum, voragines Patrimoniorum, Amphoras, Lagenas, Calicum Remiges, *οἳ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον.* Ut propendet aqualiculus immani ciborum saburra distentus, ut follium instar turgent buccæ fluentes! &c.

Ipsi

Ipsi qui Cynicâ traducunt tempora cœnâ.

Per hoc illi significantur, qui miserè vivunt, ut: filiquis & leguminibus. Talis erat Cynicorum Philosophorum victus.

Ronde table oste debat,
Chacun estant auprez du plat.

Post Asiaticam victoriam peregrinæ luxuriæ in Romanam urbem defluxerunt.

Milo Crotoniates triginta panes unâ cœnâ comedere solitus erat. Aurelianus aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum devoravit; bibit autem infundibulo apposito plus orcâ. Hæc hodie apud nos frequentantur in ebriosorum conviviis. Diceretis *Orgia* Bacchi celebrari.

Centaurorum convivia sunt, à quibus sine cicatrice nemo revertitur.

Persæ defatigatis edendo maxillis, cibum in apertum os ut in vasculum soliti dimittere. *Alibi horum est locus.*

Horatius Epod. 9.

Capaciores affer huc puer Scyphos,
Et Chia vina aut Lesbia.
Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis Cæcubum,
Curam metumque Cæsaris juvat
Dulci Lyæo solvere.

De *Mensarum deliciis* ac cibis delicatissimis consule *off. Text. c.92. l.4.*

CORONÆ. Vide *Triumphi. Victoria. Gaudii. Armorum. Belli.*

DE *Corona militari* agit Lipsius in Libro πολιορκητικῶν. Ubi de variis tormentis & machinis. Vide compendium sive *Romam illustratam* l.1. De Machinis.

In Coronâ introrsum erant pedites, quorum invadere; extrorsum equites, quorum inspectare & tueri. *Ibid.*

Sic *Coronâ cingere urbem*; *Coronâ capere, expugnare.* Coronam hanc Græci cum Sagena comparant, dicunt-

dicuntque rem ipſam συγλωβεῖν, quod eſt, Coronâ cingere, & includere, velut piſces.

Ibidem vide Teſtudine militare de Vinea, Cratibus &c.

De CORONIS aliis vide *Victoria, Triumphi*, &c. Et Romani inprimis illuſtratam I. Lipſii pag. 152. *Edit. Fr. Mojardi.*

De Diademate & Ornamentis regiis agit *Camerarius Cent. 1. cap. 51.*

Patriæ conſervatio & incolumitas, Coronæ pulcherrima. *Dionyſ. Halicarn.*

CORPORIS. Vide *Pulchritud. Vultus. Animi.*

ETenim Naturæ providentia cuique corporis parti ſuum dedit locum. *Cor* in præcordiis h. e. ſupra diaphragma ſub lævâ mamillâ locum ſortitum. Cui junctus tergo ſpinæ imminet *pulmo*, flabelli ritu, Spiritus hauſti redditique viciſſitudine cor præcipuè refocillans, quod modico frigore recreatur. Pulmo ſpongiæ in morem, ungulæ bubulæ formâ in duas fibras dividitur. *Ventriculus* ſub ipſis præcordiis eſt: cui à dextris proximum eſt *jecur*. Jecori annexum *fel* eſt. Ad lævam eſt *Lien*. Sequitur de *inteſtino* recto, tranſverſo, jejuno, recto. A renibus per venulas albas, quas *ureteras* vocant urina deſtillat in veſicam. LINGUAM verò, veluti cordis ac mentis interpreti in medio locum dedit, nimirum ut & cerebro ſubjaceret, nec procul abeſſet à corde. Supernè in propinquo habens ſenſuum omnium organa, oculos, aures ac nares *Eraſmus in Linguâ.*

Cadavera non computreſcentia. Vide *Camerar. cent. 2. cap. 70.*

Corpus hoc animi pœna ac pondus eſt. premente illo urgetur. in vinculis eſt, niſi acceſſit Philoſophia, & illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo juſſit, & à terrenis dimiſit ad divina, *Seneca.*

Contemptus corporis ſui certiſſima eſt libertas. *Idem.*

Vis adversus hoc corpus liber esse? Tanquam migraturus habita. *Idem.*

CORRUMPENDI. *Largiundi.*
Vide *Pecuniæ. Pereundi.*

PRetio aliquem delinire. Judicium alicujus pretio tentare. Iudicium pecunia corrumpere.

Largitionibus aliquem corrumpere. Machinis pecuniariis aliquem aggredi & labefactare.

Bovem aliqui in linguam injicere. *A monetâ Atheniensium hoc sumptum.*

Bolum alicui argenteum obiicere. Aureâ virgâ aliquem percutere.

Mandraboli in morem: in eos jactatum, qui in pejus indies labuntur. Mondrabolus reperto in Samo thesauro, ovem auream posuit Iunoni; altero v. anno argenteam, tertio denique æream. *Zenob.*

Fuere, qui auro corrupti, elephantos Iugurthæ traderent; alii profugas venderent. Tanta vis avaritiæ in animos eorum, veluti tabes, invaserat. *Sallust.*

Iugurtha dando & pollicendo multa perfecit. Paucis carior fides, quàm pecunia fuit. *Sallust.*

Itaque cum auro argentoque multo legatos Romam mittit: quibus præcipit, uti primum veteres amicos muneribus expleant. Postremò, quemque possint largiundo parare, ne cunctentur. *Sallust.*

Legati Iugurthæ largitione magis, quàm causâ freti. *Idem.*

Vicit a. in Senatu pars illa quæ vero pretium aut gratiam anteferebat. Pauci, quibus bonum & æquum divitiis carius erat. *Idem.*

Urbem venalem & maturè perituram, si emptorem invenerit. *Idem.*

CREDENDI. *Fidei. Credulitatis.*

NAm injurato plus crederet mihi, quàm jurato tibi.

Facis

Facis ut nulla tibi amplius ſit fides. Semper oculatæ ſunt manus noſtræ, credunt quod vident. *Plaut.*

Fac fidelis ſis fideli, cave fidem fluxam geras.

Reperta eſt fides firma. Aliqua mihi ſpes eſt, mecum fortunam fore.

Ne quid tibi hinc in ſpem referas. Mei tergi facio hoc, non tui fiducia. *Idem.*

Credere alicui ſine ſponſoribus. Fidei non melius creditur, quàm mihi.

Hac lege meam tibi adſtringo fidem. O Iupiter! ubinam eſt fides? Fulſa receſſit intemerata Fides.

Seni noſtro fidei nihil habeo. Rei dubiæ fidem facere.

Sponſor tibi ſum de bona fide. Omnium rerum fides ipſi derogatur.

An ita animi mei fides inclara eſt? Homo fide lubricâ.

Labaſcit fides. Priſca & Romana fides. Fas fidemque teſtor.

CRIMINIS. *Flagitii.* Vide *Iudicii Publici. Crudelitatis. Pœnarum. Damnandi. Accuſ.*

QUod mihi prædicas vitium, hoc tibi eſt.

Orcus eum ad ſe recipere noluit *Plaut.*

Impingere culpam in aliquem. In flagitia ſe ingurgitare.

Qui vitiis modum apponit, is partem ſuſcipit eorum. *Seneca.*

Inferre crimen proditionis alicui, Vorago & gurges es vitiorum.

Omnium flagitiorum reliquias collegiſti. Probris & maledictis aliquem vexare.

Quærere in aliquem crimen. Vacare culpâ magnum eſt ſolatium.

Ego pol illum probe incommodis dictis angam. Suam culpam finit expetere immortalem.

Dii nonnunquam præſentis fraudis pœnas in diem reſervant.

Venias mihi precibus lautum peccatum tuum.

Initium

Initium salutis, peccati notitia. Seneca.
Vitia sua confiteri, sanitatis indicium est.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit. Idem.

Si velis vitiis exui, longe à vitiorum exemplis recede. Cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone. *Idem.*

Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere. *Idem.*

Africa semper aliquid adfert mali In eos qui novi aliquid semper excogitant, aut mali faciunt.

Sinistros de principe sermones habuisse, inevitabile crimen. *Tacitus.*

Multi
Committunt eadem diverso crimina fato.
Ille crucem pretium sceleris, tulit hic diadema.
Juvenal. Sat. 13.

CREATIONIS. Vide *Cæli. Mundi. Aëris.*

Qui terram magni speciem glomeravit in orbis. Ovid.
Qui templa Olympi fornice flammeo suspendit. Buchanan.

A primâ cum fluxit origine mundus
Discussis tenebris, qui in lucem sæcula fudit. Mantuan.
Veterem qua lege tumultum.
Discrevit Natura parens, & semina justis Claudian.
Discessere locis, quicquid leve, fertur in altum,
In medium graviora cadunt, incanduit æther.
Mantuanus Tom 3. lib. 1. Alph. de primordio mundi: ubi sic ait:
Mox opus amplectens, calefactaque viscera flatu
Vivifico penetrans, sincera ac limpida primum
Corpora, divinoque magis vicina decori
Sustulit, hinc calorum orbes molitus & astra. &c.
defluxit in undas
Pars obscura minus, pelagusque implevit & amnes.
Altera pars tellus, quæ pondere pressa, sub alto
Æquore delituit, fuso super undique Ponto. Ibid.

De *Sextiduo Creationis Divinæ*, lege E. *Neuhusium.* c. 1. l. 3. Fatidicorum.

Huc quoque confer Progymnasmata *Pontani lib. 1. Dialogo* 4. ubi & de Sextiduo.

Deus nihil frustra creavit. Etiam alicubi defectus aliis remediis compensat. *Camerar. cent. 2. cap. 4.*

Sensum à cœlesti demissum traximus arce:
Cujus egent prona, & terram spectantia mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animos, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium. & præstare juberet, &c.

Juvenal. Sat. 15.

Non quæram quis sit artifex hujus mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem & ordinem venerit? quis sparsa collegerit, confusa distinxerit; in imâ deformitate latentibus faciem diviserit? *Seneca.*

Ex Ethnicis Poëtis.

Deucalion Rex Thess. confugit in magnâ undarum illuvie cum *Pyrrhâ* uxore in altissimos montes. Ecl. 6. Virgil: *Hinc lapides Pyrrha jactos. Unde homines nati durum genus.* Horat: *sæculum Pyrrhæ nova monstra questa. Omne cum Proteus pecus egit altos visere montes. Piscium & summâ genus hæsit ulmo* &c. Hinc Juvenalis: *Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor, Navigio montem ascendit, sortesque poposcit Paulatimque animâ caluerunt mollia saxa.* Adde fab. Ovidii l. 1. Metamorph.

Prometheus F. Iapeti, pater Deucal. qui hominem ex luto dicitur formasse, & ex cœlesti igne animasse. Prometheus post factos à se homines dicitur auxilio Minervæ cœlum ascendisse, & adhibitâ faculâ ad rotam solis ignem furatus, quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati Dii, duo mala terris immiserunt, Febres & morbos. *Post ignem æthereâ domo subductum, macies & nova febrium terris incubuit cohors.* In pœnam Prometheus e monte Caucaso per Mercurium alligatus ad saxum, & adhibita aquila, quæ ejus cor exederet. Hic primus Assyrios Astrologiam docuit, quam, residens in monte Caucaso, deprehendit. Egregius fructus, qui nascitur ex miseriis ac pœnâ.

CRUCIS. *Suspendii.* Vide *Verberandi. Interficiendi.*

INduere se in laqueum. Gulam sibi interstringere. Literam longam se facere.

Discipulus crucis, *id est*, suspendio dignus.

Restim volo, ut me faciam pensilem. Fauces alicui interprimere.

Collum in laqueum inserere. Arbori infelici te suspendito. *Terentiana.*

I ilico hinc, fac longam ex te literam. Collum laqueo obstringere.

Destinatæ cruci candidatus. Benedictum lignum per quod fit justitia, Sap. 14. *Crux dicitur à κρύειν, quod est ferire, pulsare.*

Constantino olim cœlitùs ostensa & deformata sacra illa Crux, cum inscriptione, IN HOC VINCE: vobis simile dictum ingéstumque esto, & sub sacri illius nominis ductu auspiciisque VINCITE. Ignaviam, & cum eâ superbiam duas pestes juventutis. Fores animi si his aperitis, Eruditio nunquam init. *Lips.*

CRUDELITATIS. Vide *Severitatis. Tyranni. Violentiæ. Belli. Clementiæ.*

CErtum est mori, quam hunc pati grassari lenonem in me.

Non adeò ingenio sum inhumano, animo duro atque aspero.

Omni crudelitate aliquem lacerare. Hæ literæ invidiosam habent atrocitatem verborum.

Sensum humanitatis ex animo amittere. Indignitate servos, temeritate fugitivos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit.

Exercere quæstionem asperè violenterque. Immane quantum animi exarsere! Singulari immanitate & crudelitate præditum esse.

Hæ literæ invidiosam habent atrocitatem verborum. Barbarie omni crudelior.

Cum

Cum immanissimis feris comparandus es. Te mugire in tauro Phalaridis decuisset.

Ego Curtius crudelitatis vestræ hiatus impleverim. Cave homines feros, cave Scythas magistrâ Medeâ dignos.

Mensâ Lycaoniâ aliquem excipere. Ad Thyæstæa fercula aliquem invocare.

Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla.
Fas omne abrumpens. Scopulis & unda ferocior.
Sævior es tristi Busiride, sævior illo,
Qui falsum lento torruit igne bovem.

Rigidos silices, solidumve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit.

Nullis ille movetur Fletibus aut voces ullas tractabilis audit.

Tua sunt silicis circum præcordia venæ, Et rigidum ferri semina pectus habet.

Quænam te genuit sola sub rupe Leæna, Quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?

Sævior Hyrcana sublato Tygride fœtu.

Lurida terribiles miscent aconita novercæ.

Durabit ad posteros atrox memoria vulnerum.

Rapi virgines, pueros. divelli liberos à parentum complexu matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent. fana atque domos exspoliari: cædem, incendia fieri. postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. *Sallust.*

Nemo qui sit crudelis, vir fortis & animosus esse potest, ut in Nerone aliisque tyrannis videre licet. *Cæsar de bello Gall.*

Miserum est instrumentum senectutis recordatio crudelitatis. *Ammian Marcell.*

Non est meum Thyæstæo more, quod obtinet hodie, sævire & furere. *Lips.*

Post ubi paulatim licentia crevit: juxta bonos & malos lubidinosè interficere, cæteros metu terrere: ta civitas servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœas dedit. *Sallust.*

Tiberius fœminas, quâ occupandæ Reip. argui non poterant, ob lacrymas punivit. Necataque est anus Vitia Fusii Gemini mater, quod filii necem flevisset. 6 *Annal.*

Caligula publicas mundo calamitates imprecabatur, nimiam temporum suorum dolens felicitatem. Cujus generis & ingenii Tiberius exitialem humano nomini vocem protulit. Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Darius Persarum R. pro capite Alexandri mille talenta percussori daturum se promiserat.

Lucius Sylla Romam & universas Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit. Quatuor Legiones contrariæ partis misericordiam implorantes obtruncare jussit. Virorum cædibus non satiatus, sævi it in mulieres. Abscissa miserorum capita afferri sibi jussit, ut diro illo adspectu satiaretur feritas.

Annibal pontem humanis cadaveribus in Gelo flumine construxit, superque exercitum traduxit.

Mithridates rex Ponti una Epistola 80. millia Romanorum per Asiam dispersa mandavit interfici.

Alexander Pheræus vivos homines obversis in se faciebus sepeliebat, alius ursorum pellibus involutos dabat conficiendos venatoribus & feris confodiendos. Polyphranem avunculum peremit hastâ, quam sacravit, & festâ præcinxit coronâ.

Caligula aviæ Antoniæ defunctæ nullum exhibuit honorem, prospexitque siccis oculis è triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberium interemit. Syllanum socerum ad secandas novacula fauces compulit. Cum omnibus Sororibus suis stupri consuetudinem fecit.

Ipse *Nero* subtraxit oculos, jussitque scelera, non spectavit. *Agr. Tac.*

Præcipua verò sub Domitiano miseriarum pars erat videri & adspici: cum suspiria civium subscriberentur: cum denotandis hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem munierat. *Agr. Tac.*

Dispar

Dispar in eo sibi, quod relatum caput Syllæ illuserit *Nero*.

Cui similis *Otho*, qui & cædem Pisonis maximâ lætitiâ excepit, & caput ejusdem insatiabilibus oculis perlustravit. 1, *Hist.*

Sparsumque Ponto corpus, & Peliæ senis
Decocta aheno membra. Sen. Med.

Tiberius Cæsar exquisitis longisque tormentis & cruciatibus excarnificatos homines necabat.

Caligula habere in votis solet, ut Romani omnes unam haberent cervicem, quàm unico ictu posset resecare.

M. Antonius allatum sibi Ciceronis caput in mensa apponi voluit, perque diem illud adspexit, quousque tali spectaculo animum exsatiâsset.

Fulvia Antonii uxor caput ipsum maledictis ac diris execrata est, demum inspuens gremio suo apposuit, acriusque inspiciens, linguam illi è faucibus evellit, eamque frequenter confodit acicula, qua tunc ad ornamenta capitis utebatur.

Achilles interfectum Hectora currui, seu equinæ caudæ alligavit, & circum muros urbis Trojæ ter exanimem pertraxit: Demum venale exposuit cadaver parenti Priamo.

Tiberii Cæsaris præceptor videns in illo adhuc puero sævitiam quandam cum ingenii stupore conjunctam, illum vocare solebat *Lutum sanguine maceratum.*

Omnis herus servo monosyllabus, hoc est, imperiosus. Dictum, factum.

Nero, Priamum valdè felicem habuit, quod patriam simul cum regno perditam vidisset.

Uxor Hannibalis scelerata atque atrox uxor, inspecta humani sanguinis fossa, pulchrum in ea spectaculum esse dixit.

Lysimachus Telesphorum Rhodium amicum suum decurtatum, cum aures illi nasumque, abscidisset, in cavea velut novum animal aliquod & inusitatum diu

pavit: cum oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidisset.

Quu iam crudeles optavit sumere pœnas.

C Mario, cui vicatim pop. R. statuas posuerat, cui thure & vino supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit.

De *Crudelitate* Ethnicorum erga Christianos *Camerar. cent.* 1. *cap.* 39.

Tenedia Securis. In eos, qui admodum acerbè quæsitis respondent. Vel denique in leges crudeles. Tenedii legem tulerant, ut in adulterio deprehensus securi percuteretur.

Volesus nuper sub Divo Augusto, proconsul Asiæ, cum CCC. uno die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendum fecisset, græcè proclamavit, *ô rem regiam!*

Divus Augustus cum cœnaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus ex servis ejus Crystallinum. ad mortem eum rapi Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte: Murænis objici jubebatur, quas ingens piscina continebat. Evasit è manibus puer & confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus; quam ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, Crystallina autem omnia coram se frangi jussit, complerique piscinam.

Ovid.

Ipse Perillao, Phalaris permisit in ære
Edere mugitus & bovis ore loqui.
——— *Pisces sic sæpe minutas*
Magnus comest, sic aves enecat accipiter.

Phalarides in suo gene re omnes isti.

Nos illi ipsi, qui de tyrannide querimoniæ semina tyrannidis inclusa in pectore gestamus.

Serpens cum frigore torpet, venenum nihilominus habet; sed non exerit: simile in nobis, quos sola imbecillitas arcet à noce ndo, & Fortunæ quoddam frigus.

'A κίνδυνόν ἐςι τῆς σιγῆς γέρας. h. e. *periculo vacat silentii præmium.* Lipſ.

Omnium atrociſſimus *Domitianus*, qui non per intervalla ac ſpiramenta temporum, ſed continuò & velut uno ictu Remp. exhauſit. 6. *Annal.*

In libros & Sapientiæ profeſſores ſævit, delegato triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. *Agric. Tac.*

Sylla infami & immani proſcriptione millia IV. & ſeptingentos cives abſtulit uni urbi. Et ne vitia quædam capita aut è plebe cenſeas: CXL. in iis Senatores, ut non immeritò vox illa Catulo expreſſa ſit: *Cum quibus tandem victuri ſumus, ſi in bello armatos, in pace inermes occidimus.*

Eundem Syllam haud multo poſt, incitati tres diſcipuli (Triumviros intelligo) pariter proſcripſere trecentos ſenatores. Equites Romanos ſupra bis mille. Hæc in Senatoribus Equitibuſque geſta, hoc eſt, totidem pene regibus & dynaſtis.

Lipſ. in Conſt. lib. 2. cap. 24.

Quorum cum morientium gemitus Curiam quoque attigiſſet, attonito & converſo Senatu: hoc agamus, inquit, Patres conſcripti: *Pauculi ſeditioſi juſſu meo puniuntur.* ibid.

Hannibalem ajunt dixiſſe, cum foſſam humano ſanguine plenam vidiſſet, *formoſum ſpectaculum!* *Seneca.*

Metus & terror infirma vincula caritatis ſunt, quæ ubi removens, qui timere deſierint, odiſſe incipient. *Agric. Tac.*

Non *Sylla*, non Cinnæ longa dominatio fuit. 1. *Annal.*

Neronem longâ Cæſarum ſerie tumentem ſua immanitas cervicibus publicis depulit. 1. *Hiſtor.*

Crudelitas parentum erga liberos & viciſſim *cap.* 9. *lib.* 5. *offic. Text.*

De crudelitate & immanitate *c.* 33. *l.* 5.

Et *Valer. Max. lib.* 9. *c.* 2.

CUSTODIENDI. *Tutela. Servandi. Defendendi.*

EGo vos defenſabo. In alicujus clientelam & fidem ſe dedere. Serva hæc bona nos Juppiter. Sartum tectumque te tradam.

Defenſio eſt ex Lege naturæ cunctis mortalibus communis, Gentiumque conſenſu comprobata. Non eſt enim facta ab hominibus lex, ſed ab ipſa natura in omnium hominum pectoribus atque animis inſculpta, inſcripta, infixa.

Antiſthenes, ajebat, homines virtute præditos eos ſibi parare propugnatores qui & fortes & juſti ſint. Nolunt enim defendi, ſi quid injuſti admittant.

Tutela eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem ſe defendere nequit. *Tutores* dicuntur quaſi *Tuitores*; & eorum poteſtas conſiſtit potiſſimum in authoritate adhibenda in negotiis, quæ geſta ſunt cum pupillo.

Legitima Tutela eſt, quam Lex deficiente Tutore Teſtamentario committit proximis agnatis puberibus. *Teſtamentaria* eſt, quam Tutor ſortitus eſt ex teſtamento Patris pupilli. *Dativa ſive honoraria:* quam, deficiente etiam legitimo tutore, Magiſtratus mandat.

CUPIENDI. *Deſiderandi.* Vide *Famis. Ambitionis.*

MIſerè cupio hunc diem in lætitia degere. Non dici poteſt, quàm cupidus eram huc redeundi.

Ne nimis cupidè cupite, quod cupitis. Ardere, flagrare, incendi cupiditate.

Ubi animus ſe ſemel cupiditate devinxit mala, neceſſe eſt conſilia conſequi ſimilia. *Terent.*

Prædæ ac rapinarum cæca cupiditas te rapuit. Illum incitat, incendit cupiditas feſtinationis.

Perniciosum aliquid concupiſcere. Cæco cupiditatum impetu in aliquid incurrere.

Non

Non nimis concupiscendus honos. Omnia rabide appetere cum inexplebili cupiditate.

Occæcati cupiditate amantes non provident. Mihi indies magis accenditur animus cum desiderio.

Ingens cupido exagitabat. Campania ut est absentibus desiderabilis, ita facile explet morantes.

Desiderio libertatis exarsit. Nam illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus.

Ita magno desiderio fui. Cupiditas sine ratione res est levis, & quæ confestim in alteram partem inclinat.

Quanto minus rerum, tanto minus est cupiditatis.

Isocrates de Timone illo Misanthropo refert, quod dixerit, insatiabilitatem & ambitionem elementa malorum esse.

Diogenes multa & magna simul accipientes mendicos appellabat.

Simonides interrogatus, cur in extrema senectute avarus esset: Quoniam, respondit; malim defunctus opes inimicis relinquere, quàm vivus amicis carere.

Semiramis constructo sibi monumento insculpsit: Quicunque Rex pecuniâ indiguerit, aperto sepulchro, quantum opus est, capiat. Darius autem cum aperuisset, pecunias quidem non invenit; sed in hujusmodi scripta incidit: Nisi vir malus esses & pecuniarum inexplebili desiderio flagrares, mortuis non faceres injuriam.

Cupiditas sine ratione, res est levis, & quæ confestim in alteram partem inclinat. *Dion. Halicarn.*

Homines plus incertæ cupiditati, quàm certæ providentiæ tribuere solent. *Thucyd. l.4.*

Quantò minus rerum, tantò minus cupiditatum. *Livius Decade 1. lib.1.*

Cupiditas & amor, maximæ ad muliebre ingenium, efficaces preces sunt. *Idem eod. lib.*

Cupit regnum, & quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris, nationis, juris gentium. *Livius Decad. 4. lib.10.*

Exſtimulant ſæpe viros, multò verò ſæpius fœminas acriores cupiditatum aculei. *Pauſan. lib.* 8.

Omnium rerum immodica cupido eſt inter mortales, agri, pecuniæ, honorum. *Livius.*

Hominum conſilia cupiditateſque gradatim aſcendunt. *Guicciard.*

CURÆ, *Studii. Diligentiæ.*
Vide *Laboris.*

OPera largus nocturna. Opera haud parcus fui mea. *Plaut.*

Uno labore abſolvit ærumnas duas.

Tu mihi paullum da operæ. Animus laſſus, confectus cura ſtupet. Quicquid efficere tibi ars mea poſſit, faciam.

Manibus pedibuſque obnixè omnia facturus.

Curam alicui adimere argentaream. Quando ego tuum non curo, ne cura tu meum. *Terent.*

Poſt equitem ſed et atra curam. *Horat.*

Diligentia utinam in tuo animo genuiſſet callum.

Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent.

Zeno *oraculum conſuluiſſe dicitur, quo pacto poſſet vitam optimè iuſtituere, reſpondit vates:*

εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς.

Solon: Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte,
Aut ſi ſit, longa eſt attenuanda mora. Ovid.

Non enim gaza neque conſularis
Summovet Lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes. Horat.

Vade ad formicam, inquit *Salomon*, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce Sapientiam: quæ cum non habeat ducem nec præceptorem nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi. Hinc ἀγαθῶν μυρμήκια, de copia felicitatis.

Antiſthenes, cum multi de virtute diſputâſſent ejuſque difficultate, virtutem aſſiduitate comparari dixit. Non ignoravit vir ſapientiſſimus, nil eſſe tam arduum,

arduum, quin studii assiduitate investigari possit. *scilicet τὴν ἀρετὴν εἶναι διδακτικήν.*

Pollio dicebat: commodè agendo factum est, ut sæpe agerem.

Lacones admota manu fortunam implorandam esse. Frustra enim invocari Deos, nisi addens industriam, manum rotæ etiam admoveris.

Optimum obsonium labor senectuti.
τῷ γὰρ πονοῦντι ὁ θεὸς συλλαμβάνει.

CURÆ. *Solicitudinis.* Vide *Doloris. Ægritudinis. Molestiæ.*

SOpor me solicitat ire dormitum. Labor me sollicitat plurimis miserum modis.

Labore lassitudo omnis est exigunda ex corpore.

Absurdè facis, qui angas te animi. Cœperam ego me excruciare animi.

Multa in unum confluunt, quæ meum pectus pulsant simul.

Magna ego cum cura illum curari volo.

Illum multa in suo pectore collocare oportet.

Cura ex corde excessit mihi. Labor & cura me torquet.

Excubo animo, nec partem ullam capio quietis.

Interim maximam curam sollicitudinemque sustineo.

Omnes mentis meæ partes dolor exagitat. Cura *dicta. quod cor urat.*

Miserum te judico, quod nunquam fuisti miser. *Sen.*

Calamitas Virtutis occasio est. idem.

Scandit æratas vitiosa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro. Horat.
Sed timor & minæ
Scandunt eodem quò dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura. Idem l.3. Od.1.

Mordacesque secant curæ præcordia rostro. Mantuan.

Dum rodunt vigiles præcordia curæ. Idem.
Quem multa fatigant Pondera curarum. Silius.
Anim que truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. Lucan.
Diversaque vocant animum in contraria curæ. Ovid.
Ne liberas curis Lora dato, totosque dies ne pende querelis. Mant.
Inconsolabile vulnus Mente gerit tacitâ.
Dum tristia multi Pectora mœrores agitant.
Curis mordacibus angi.
Curarum mens fluctuat undis.
Hinc requies animo non datur ulla meo.
Magno curarum fluctuat æstu.
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
Inque rapit partes varias, perque omnia versat.
Sub noctem cura recursat.
Curisque ingentibus æger, Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Pictura mœroris ingeniosa, ex Mantuano.

Perque omnem
Labitur Hesperiam, grave & illetabile monstrum,
Corda premens hominum Mœror, cui squallida sordent
Ora situ, impexi crines, sine lege, per armos,
Barba inculta riget, cylin impendet amictus
Ater, & obscura vultus obnubilat umbrâ.
Hument rore genæ, torvâ cava lumina visu
Igne rubent madido, totoque miserrima imago
Corpore, demissis facies funesta lacertis
Nunc dextro, nunc lævo humero inclinata recumbit.
A tergo ingentes supra caput erigit alas
Cocyti pice nigrantes, multoque fluentes
Imbre Acherontis aquæ, quo dum volat, oppida & agros
Irrigat excusso, spargitque per omnia luctum.

D.

DAMNANDI. *Absolvendi.* Vide *Accusandi. Inferni. Iudicii. Pœnarum. Verberandi. &c.*

Incauti nigro absorbentur Averno.
Altis Erebri involvenda caminis Corpora.

Animasque

Animasque in nocte jacentes Tanariâ.
Manibus in prædam data sum, me possidet Orcus.
Deque meis Furiæ exuviis posuêre trophæum. Mantuan.
Infelix stygia ducor captiva Tyranno
Transcripti æternis Erebi, post funera, flammis. Claud.
Iam super infausti puteum tollebar Averni. Hessus.
In loca ab Elysiis diversa fugabere campis;
Quas tenet sedes noxia turba, coles. Ovid.
Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus. Buchanan.

Apud Mantuanum Tom. 3. l. 3. Alphon. Damnatorum pœnæ egregiè describuntur, ubi sic incipit:

Vidimus hoc horrendo animas ardere camino
Stirpibus ambustis similes, Ditisque ministros
Certatim jactare super sulphurque picemque
Et miseras uncis versare tridentibus umbras.
Utque metu graviore animæ subigantur, in imis
Faucibus, annixæ magno conamine larvæ,
Convulso de monte trahunt immania saxa, &c.

Sub pondere tellus

Icta gemit, saliunt ignes, immane barathrum
Intonat, & longo mugit spelunca boatu.
Vidimus hîc curvo trajectos guttura ferre
Per spineta trahi nudos, per vitrea frusta,
Per silices duros, per acuto marmora dorso,
Per nemora, atque humiles succiso caudice truncos;
Et rigidis tandem. Sequitur totus tractatus Poëtæ excellentissimi. Sive adi apparatum Poëticum Tit. *Damnat.* Et Virgil. l. 6. Æneid.

M. *Horatius* interfectæ sororis crimine à Tullo R. damnatus, ad populum provocato judicio absolutus est. Quorum alterum atrocitas necis movit, alterum causa flexit: quia immaturum virginis amorem severè magis, quam impiè punitum exstimabat.

Lege super *Iudiciis Publicis* Valer. Maxim. lib. 8. cap. 1.

DAMNI. *Jactura. Dispendii, Detrimenti.*

MAlo odio & molestiæ esse. Malum aut damnum dare.

Illa egreditur nostri fundi calamitas. Morderi metu damni.

Medicus imperitè curans hominem, planè tenetur hac lege, quandoquidem imperitia culpæ annumeratur. Sic & ICtus imperitè consulens Clientibus suis absque dubio tenetur.

Damnum injuria datum per L. Aquiliam punitur: ut si quis alienum hominem, hoc est, servum, vel alienam quadrupedem occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino restituere tenetur. Hac L. Aquilia levissima culpa præstatur, non tamen casus.

Actio hujus Legis Aquiliæ in hæredem non transit, quia est pœnalis. Actiones pœnales non transeunt in hæredem nisi lis cum defuncto fuerit inchoata, vel etiam heres ex damno locupletior sit factus.

Chilon damnum dicebat turpi lucro semper præferendum esse.

Sæpè quod damnum putatur ingens, lucrum est maximum.

DEI. Vide *Providentia. Pietatis. Virtutis.*

DEus perpetuam rerum Originem fabricatus universum omnibus suis numeris explevit.

Deus quidem, si vim spectes, valentissimus: si decorem, formosissimus: si vitam, immortalis: si virtutem, præstantissimus.

Prope *Deus est*, ait *Seneca*, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum observator & custos. Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipse. Bonus verò vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magnifica & erecta in unoquoque bono viro.

Mundus

Mundus à Deo factus est dixit *Plato*. *Idem*: Genitorem universitatis tam difficile est invenire, quàm inventum impossibile dignè profari.

Cicero dixit: Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?

Idem: Esse Deos perspicuum est: ut id qui negat, vix eum sanæ mentis existimem.

Idem: Magnæ Dii curant, parva negligunt. Magnis autem viris prospere eveniunt omnes res.

Thales interrogatus olim, quodnam in tota rerum natura esset, vetustissimum. Respondit: Deus. Quid ita? ὅτι ἀγένητος.

Cato Uticensis. Quum Pompeio res infeliciter cederent, & ad Cæsarem inclinaret Victoria, Cato dicebat: *In rebus divinis multum esse caliginis.*

Xenophon dicebat, tum maxime colendos esse Deos, quùm homini res sunt secundæ, ut in rebus adversis confidenter illos implorémus, ut pote, benevolos jam & amicos. Sed vulgus hominum facit contrà. *In felicitate profunda Dei est oblivio*: cum viget calamitas, tum ad illum undique confugimus.

Simonides olim rogatus, Quidnam esset Deus? Deliberandi unum sibi diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreretur, biduum petiit, ac cum ita sæpius duplicaret numerum, cur hoc faceret, rogavit Hiero tyrannus? *Quia*, inquit, *quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior*.

Thales dicebat: Homines existimare debere Deos omnia cernere Deorumque omnia esse plena, & tunc fore omnes castiores.

Idem rogatus, quid esset Deus? *Quod Principio & fine caret*, respondit.

Augustinus: De Deo optimè existimare pietatis est exordium. Quare *Tacitus* dixit: unum esse regnatorem omnium, Deum. *Idem* alibi: summum illud & æternum neque mutabile, neque interiturum.

Cicero:

Cicero: Deum describimus, quis enim immensum atque infinitum illud Numen definiat? Est mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens.

Hilarius: Quicquid in Deo est, totum, quod in eo est, unum est.

Plato: Deus, ipsum æquale, ipsum pulchrum, ipsum singulum quod est, id quod est.

Disputare de Deo periculosum est, teste *Cypriano*. & *Augustinus* ait, Deum melius sciri, nesciendo.

Tacitus: Sanè tutius ac reverentius est de actis Deorum credere, quàm scire.

Ovid. —— *Immensa est, finemque potentia cœli*
Non habet, & quicquid superi voluere, peractum est.

Seneca: Nihil Deo clausum est. interest animis nostris & cogitationibus medius intervenit.

Plautus: Est, profectò Deus, qui quæ nos gerimus, auditque & videt.

Horatius: Qui terram inertem, qui mare temperat ventosum, & urbes, regnaque tristia.

Ovidius: Non secura quies illum similesque sopori detinet.

Plinius dixit religione vitam constare. *Cicero*: Omnes religione movemur, & Deos patrios, quos à majoribus accepimus colendos, nobis & diligenter retinendos arbitramur.

Lactantius sancto ore sic loquitur: Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingravescunt, quia Deus hujus mundi effector & gubernator derelictus est.

Livius: Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus.

Tacitus: Videndum, ne ritus sacrorum inter adversa culti per prospera obliterentur.

Seneca: Optimus animus pulcherrimus Dei cultus. Non sunt Dii fastidiosi, non invidi admittunt, & ascendentibus manum porrigunt. *Seneca*.

Egregiè *Aristoteles* ait, nunquam nos verecundiores

res esse debere; quam cum de Diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus: quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de naturâ Deorum disputamus. *Seneca*

Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia: cujus spiritu vivimus Vis illum mundum vocare? non falleris. Ipse enim est, totum quod vides. totus suis partibus inditus & se sustinens vi suâ. *Idem.*

Non obloquendum est Deo, in cujus potestate sunt omnia. Omne tempus Deo breve est, qui semper & existit & erit. *Dionys.*

Si Deus & es, tribuere mortalibus beneficia debes, non suam eripere. Sin autem homo es, id quod es, semper cogita. *Curtius.*

Deus, ut existimo, sæpe pravos extollere, potentes deprimere gaudet. *Xenophon*

Plurima habet de DEO *Philosophia Historica Goulartii* Tit. DEUS.

De *Deo* & *Divinitate* adi *Pontanum* Progymnasmate 1. l. 1.

Ibidem de DEI Nominibus Progymnas. 1.

DII DEÆQUE PROFANI. Vide *Inferni. Damnandi. Diaboli.*

Officia Deorum varios dant Deos. Sic ab Occatione Deus *Occator*. à Sarritione *Sarritor*. à Stercoratione *Sterculinus*. à Satione *Sator*. *Florâ* Florum gratiâ invocabatur. *Rubigus*, ut malum rubiginis averteret. *Averruncus*, qui mala averruncaret, h. e. depelleret. Sic apud Græcos Herculem & Apollinem Ἀλεξικάκους vocabant.

Sic *Vacuna* otio & pigritiæ præerat: cujus sacra Romæ trans Tiberim celebrata. Ita *Risum*, *Terminum*, *Pallorem*, *Staterem*, & XXX. M. Deorum Dearumque antiquitas celebravit. Vide de hoc *Ravis. Text. off. cap.* 10. *l.* 1.

Dii Selecti dicebantur, quorum major erat potestas.

Cicero: Deum deſcribimus, quis enim immenſum atque infinitum illud Numen definiat? Eſt mens ſoluta quædam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens.

Hilarius: Quicquid in Deo eſt, totum, quod in eo eſt, unum eſt.

Plato: Deus, ipſum æquale, ipſum pulchrum, ipſum ſingulum quod eſt, id quod eſt.

. Diſputare de Deo periculoſum eſt, teſte *Cypriano.* & *Auguſtinus* ait, Deum melius ſciri, neſciendo.

. *Tacitus:* Sanè tutius ac reverentius eſt de actis Deorum credere, quàm ſcire.

Ovid. —— *Immenſa eſt, finemque potentia cæli*
Non habet, & quicquid ſuperi voluere, peractum eſt.

Seneca: Nihil Deo clauſum eſt. intereſt animis noſtris & cogitationibus medius intervenit.

Plautus: Eſt, profectò Deus, qui quæ nos gerimus, auditque & videt.

Horatius: Qui terram inertem, qui mare temperat ventoſum, & urbes, regnaque triſtia.

Ovidius: Non ſecura quies illum ſimileſque ſopori detinet.

Plinius dixit religione vitam conſtare. *Cicero:* Omnes religione movemur, & Deos patrios, quos à majoribus accepimus colendos, nobis & diligenter retinendos arbitramur.

Lactantius ſancto ore ſic loquitur: Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingraveſcunt, quia Deus hujus mundi effector & gubernator derelictus eſt.

Livius: Omnia proſpera eveniunt colentibus Deos, adverſa ſpernentibus.

Tacitus: Videndum, ne ritus ſacrorum inter adverſa culti per proſpera obliterentur.

Seneca: Optimus animus pulcherrimus Dei cultus.

Non ſunt Dii faſtidioſi, non invidi admittunt, & aſcendentibus manum porrigunt. *Seneca.*

Egregiè *Ariſtoteles* ait, nunquam nos verecundiores

res esse debere; quam cum de Diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus: quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de naturâ Deorum disputamus. *Seneca*

Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia: cujus spiritu vivimus Vis illum mundum vocare? non falleris. Ipse enim est, totum quod vides. totus suis partibus inditus & se sustinens vi suâ. *Idem.*

Non obloquendum est Deo, in cujus potestate sunt omnia. Omne tempus Deo breve est, qui semper & existit & erit. *Dionys.*

Si Deus & es, tribuere mortalibus beneficia debes, non suam eripere. Sin autem homo es, id quod es, semper cogita. *Curtius.*

Deus, ut existimo, sæpe pravos extollere, potentes deprimere gaudet. *Xenophon*

Plurima habet de DEO *Philosophia Historica Goulartii* Tit. DEUS.

De *Deo* & *Divinitate* adi *Pontanum* Progymnasmate 1. l. 1.

Ibidem de DEI Nominibus Progymnas. 1.

DII DEÆQUE PROFANI. Vide *Inferni. Damnandi. Diaboli.*

OFficia Deorum varios dant Deos. Sic ab Occatione Deus *Occator*. à Sarritione *Sarritor*. à Stercoratione *Sterculinus*. à Satione *Sator*. *Florâ* Florum gratiâ invocabatur. *Rubigus*, ut malum rubiginis averteret. *Averruncus*, qui mala averruncaret, h. e. depelleret. Sic apud Græcos Herculem & Apollinem Ἀλεξικάκους vocabant.

Sic *Vacuna* otio & pigritiæ præerat: cujus sacra Romæ trans Tiberim celebrata. Ita *Risum*, *Terminum*, *Pallorem*, *Statorem*, & xxx. M. Deorum Dearumque antiquitas celebravit. Vide de hoc *Ravis. Text. off. cap.* 10. *l.* 1.

Dii Selecti dicebantur, quorum major erat potestas,

ſtas. Hi fuerunt xx numero. XII mares. VIII. Fœm. *Ianus, Saturn. Genius. Mercur. Apollo Mars. Vulcanus. Neptun. Sol. Orcus. Liber pater, Ceres. Tellus. Veſta. Lucina. Iuno. Diana. Minerva. Venus, Veſta.*

Gallis Romam advenientibus audita eſt noctu vox quædam, quæ ejus rei magiſtratus monebat. Ex eo tempore *Aius* Deus à Romanis cepit honorari. *Angerona* à Romanis culta, quum tota civitas anginâ laboraret. Cujus ſacra dicta Angeronalia. Simulacrum fingebatur, digito labris admoto.

Dea *Sentia*, quæ ſententias inſpirabat. *Sera*, à ferendo. *Ceres* à creando. *Conſus*, qui conſilia in ſecretis ſeceſſibus ſuggerebat. Dea *Ægeria*, ab egerendis ſacris & conſiliis, cum qua Numa Pomp. congreſſus nocturnos celebrabat.

Anculi & *Angula* Dii & Deæ ancillantium. *Aruncus*, qui mala à frugibus avertebat, ut Robigus. *Bona* Dea colebatur à Rom. mulieribus à cujus ſacrificiis arcebantur mares.

Sacra Bona maribus non adeunda Dea. Tibull.

Bubona Dea boum & armentorum. *Carna* Dea Cardinis. *Prima dies tibi, Carna, datur. Dea Cardinis hac eſt;*
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo. Ovid.

Deverram venerabantur, ut ſcopis domum poſſent verrere. *Eanus*, qui euntibus præerat; vel Deus anni. Cujus imaginem cum Phœnices vellent exprimere Draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque ſuam devorantem; ut appareat mundum in ſe reſolvi.

Empanda, quæ rebus patentibus præerat. *Feronia*, nemorum Dea.

Et viridi gaudens Feronia luco. Virg.

Fidius, Jovis F. à fide. *Per Deum Fidium credis mihi.* Plaut. *Furina*, furum Dea. *Laverna* quoque unde dicti *Laverniones*, fures.

Iupiter. Cujus olim nominativus Jovis. quaſi Jovis pater. E contrario veteres vocarunt *Vejovem*, cui adempta juvandi poteſtas.

Veſta-

Vestalium officia & Disciplinam, variaque de illis vide in Româ illustrata *I. Lipsii.*

Leucothoe, Dea maris. Latini *Matutam* vocant.

Leucothoe Grajus, Matuta vocabere nostris. Ovid.

Mania fuit Dea & mater Larium: cui pro familiariũ sospitate mactabantur pueri. *Meditrina*, Dea medicamentorum, à medendo. Ejus sacra dicta *Meditrinalia.*

Mellonea, Dea mellis. *Murcea*, quæ marcidos & desidiosos facit. *Nundina*, à nono die nuncupata, qui lustricus dicitur. Die e. lustrico pueris imponebantur nomina: maribus nono. fœminis octavo.

Pomona Dea hortorum. *Portunus*, qui portubus præerat. *Prosa* & *Postuerta* sic appellatæ à partus recti perversique potestate.

Rumilia, quæ lactantibus infantibus præerat. Hinc agni subrumi. Ruma idem quod mamma.

Deam, sive *Pecuniam* reginam quis nescit? Omnes cui servimus. Ennius Deos *Æviternos* & *Ævintegros* appellavit, quod perfecta ipsorum sit ætas. *Tutanus, Tutilina* à tutando dicti. *Vitula*, quæ juventæ præerat: nam veteres vitulari dixerunt, gaudere. *Volupia*, Dea voluptatis. *Vitunus, Sentinus*, qui vitam & sensum largiebantur.

Cunina Dea infantulorum. *Levana*, cujus ope à terrâ levabantur. Sic *Edulica* & *Potina* eduliis & potui præfectæ.

Sic *Libertina, Camœna, Strenua, Stimula, Voluna, Fessonia, Fructesa, Rurina, Collina.*

Ianua apud Rom. & Græc. sacræ. Apud illos Apollo θυραῖα, apud hos Ianus præsidebat. Sic *Limentinus, Lima, Carna, Forculus.* Iam custodiæ quasi auxiliatores. Augustinus: *Poteratque Forculus simul fores & cardinem limenque servare?*

Græci præter Apollinem *Mercurium* quoque στροφαῖον coluerunt propter cardines.

Lar Hetrusca vox est, & Principem ac προστάτην significat, ut docet I. Scaliger ad Propertium. *Lar Familiaris*, cui cura foci & familiæ. Sic veteres *Lares suos & nostros* dixerunt. Et *Lar cælestis.* Sic *Lares Vicini & Viales.* Apud

Apud Romanos eodem munere *Mater stata* celebris fuit.

Lares Viales Græcis fuerunt, *Mercurius*, ἐνόδιος. Romæ vero *Hercules Sancus*: cui propter viam sacra à præfecturis facta. *Macrob.* &c.

DE DEO UNO, VERO.

Certi sumus de Deo, quod non magnam illam orbis solum navem, sed hanc quoque cymbulam diriget Providentiæ suæ clavo. *Lips.*

Deus solus, qui sine ullo simulationum fuco aut cerussa virtutem vitiumque videt in vero suo vultu. *Idem.*

* Quis ei imponat, qui externa & interna pariter rimatur, qui linguas & fibras, aperta denique & operta. *Idem.*

Divinatio ex prodigiis fructuosa. *Divinatio* societati humanæ commoda. *Divinatio* est imago Providentiæ divinæ. Quæ *Divinatio* prohibeatur. Hæc tractantur *in Fatid. lib.* 3. *cap.* 2.

Deus Opt. Max. liberè Naturam regit. *Idem cap.* 3. *Fatid. lib.* 3. circa finem.

Deum esse, probat *Lipsius* in Epist. 26. Centuriâ 2. ad Belgas, pluribus argumentis.

De Deorum multitudine lege *cap.* 10. *lib.* 1. *Text. in Off.*

Unum esse Deum, Vide *Natalem Comitem* l. 1. c. 8.

Qui finem cunctis & semina prabes,
Nascendique vices alternâ morte rependis,
Qui vitam lethumque trahis. Claud.
Quique verecunda distendit virginis alvum.
Qua futura olim timidas ingressa per auras,
Crevit in ignarâ coitus & seminis alvo. Mantuan.

DEDICANDI. Vide *Inscriptionis.*

Inscribere, dedicare, nuncupare alicui librum.

Sub nominis alicujus fulgore, auspicio, clypeo, auctoritate, lucubrationes, vigilias suas emittere.

Volui

Volui liber meus liquido nominis tui auspicio in publicum prodiret.

Spero, mei laboris primitias plusculum honoris à tui nominis honorifica inscriptione habituras. *Symmachus.*

Liceat quæso, sub augurio vestri nominis publicam lucem subire.

. Tui nominis nitore atque gratia publicum suffragium spero.

Hujus farinæ sunt & illi, qui libris edendis famam immortalem aucupantur, cum meras nugas chartis illinunt. Sed magis etiam sapiunt, qui aliena prorsus edunt, & alieno magnoque partam labore gloriam verbis in se transmovent.

Interim meo beneficio suavem vitam agunt, ne quidem cum Scipionibus suos triumphos commutaturi. *Hac Moria Erasmi loquitur.*

Cujus cæleti Providentia virtutes, de quibus dicturus sum, benignissimè foventur, vitia severissimè vindicantur. *Val. Max. in Præf.*

Mea parvitas eo justius ad favorem tuum decurrerit, quod cætera divinitas opinione colligitur: tuam præsenti fide paterno avitoque sideri par videtur. *Ibidem.*

DEFENDENDI. *Purgandi.*

HUc reverti ut me purgarem tibi. Expurgare se alicui.

Neque tu verbis solves unquam, quod re malè feceris.

Fidem suam purgationibus diluere. Non mihi homines placent, qui cum malèfecerint purgant. *Terent.*

Expurgatione minimè mecum opus est.

Iudice me, fraus est concessa repellere fraudem.

Armaque in armatos sumere jura sinunt.

Vincti hominis non supervacua solum, sed etiam invisa est defensio, quæ judicem non docere videtur, sed arguere. *Curtius lib. 6.*

DELI-

DELIBERANDI. *Mera. Cunctandi.*
Vide *Consilii.*

ANimus in deliberando distrahitur. Fidem jurisiurandi alicui abrogare.

Evolvere secum aliquid accuratius. Consilii senatum in cor advocare *Plaut.*

Hoc cadit in deliberationem. Longi subsellii judicatio & mora.

Cum aliquo sociare consilia. In medium conferre consulta salubria.

Senum Consilia, juvenum hastæ sunt.

Necesse est, me per spinosum locum ambulantem suspensos pedes habere. *Seneca.*

Omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, per tædia & moras evanuêre. *Tac.* 3. *Hist.*

Satis citò incipitur victoria, ubi provisum sit ne vincaris. *Idem.*

Non licet inutili contatione, agendi tempora consultando consumere, & dies rerum verbis terere, 3. *Hist.*

Quia non contatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. 1. Hist.

Nec ullus contationi locus in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum. 1. *Hist.*

Consilia præcocia perniciosa. *cap.* 55. *Cent.* 1. *Camerarii.*

Consilia, quibus impar Princeps, Fato cui nihil arduum est, permittat. 2. *Hist.*

Cum quædam, quæ provideri non possunt, fortuitò in melius cadant. 2. *Annal.*

Sæpe neque ratio rerum, neque occasio patitur, consilia cunctis præsentibus tractari. 1. *Histor.*

DIABOLI. *Dæmonis. Manium. Larvarum. Furiarum*, &c. Vide *Inferni.*

DE *Furiis Infernalibus* vide cap. 5. lib. 1 Theat. sive offic. Text. quas Poëtæ *Acherontis ex Nocte filias* vocant.

Dicuntur

Dicuntur geminæ pestes cognomine diræ,
Quas & Tartareum nox intempesta Megæram,
Vno eodemque tulit partu. Virg.
Iam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam.
Vltricesque sedent in limine Diræ.
Colubris crinita Megæra,
Sanguineisque caput vittis intorta flagello. &c.

Iudices Infernales, *ibid. cap.* 6.

Diabolus affectator divinæ potentiæ.

Diaboli miracula habent causas naturales.

Diabolus absentia cognoscit.

Diabolus futura prænunciat; animo dominatur. Corporis tenet imperium Creat. Formas rerum mutat. Tempestates excitat. Mari & fluminibus imperat. Bruta & arbores facit loqui.

Diaboli miracula sunt fallacia.

De his omnibus lege *Parentum meum in libro Secundo Fatidicorum.*

Manium evocatio *Fatid. l.* 2. *p.* 475.

De Præstigiis memorabilibus *Camerar. c.* 70. *Cent.* 1.

De Diaboli mirificis illusionibus & fraudib. Diabolicis *cap.* 73. *ibid.*

DEFORMITATIS. Vide *Corporis. Vultus. Pulchritudinis.*

Eius elegantia speciem meam spernit.

Pithecium hæc est præ illâ & Spinturniciũ. *Plaut.*

Novi homines faciem, magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius, cadaverosa facies. *Terent.*

Vide nostra Electa Comica.

Vide, os ut sibi distorsit carnifex! *Terent.*

Rufamne illam virginem, cæsiam sparso ore, adunco naso? *Idem.*

Tanta oculorum sub fronte uniti latentium torvitas, tanta capitis destituti, & emendicatis capillis adspersi deformitas. adjice obsessam setis cervicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum. *Seneca.*

Venit

Venit demiſsâ barbâ, capilloque deformi, non ſenectute, ſed fame membris trementibus, ſemesâ & tenui atque elisâ jejunio voce. *Idem.*

Omnibus à me pictum & politum artis coloribus ſubitò deformatum vidi. *Cic.*

Mortuûs, deformatus, tumore præditus, corpore decoloratus. *Idem.*

Ludi deformati, inquinati, perverſi, conturbati. *Idem.*

Parietes nudos deformatoſque reliquit. Romam fœdavit ejus adventus. Omni turpitudine fœdata ſacella reliquit. *Idem.*

Luxuria cum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima. *Idem.*

Vultus gravis, horrida ſicca
Sylva coma, nullus totâ nitor in cute, qualem
Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci.
Quid fruticante pila neglecta, & ſqualida crura.
Juvenal. Sat 9.

Præterea multa in facie deformia ſicut
Attritus galeâ, mediiſque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum ſemper ſtillantis ocelli.
Juvenal. Sat 6.

Rogare longo putidam te ſæculo
Vires quid enervet meas?
Quum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret,
Hietque turpis inter aridas nates
Podex, velut crudæ bovis. &c.
Horat lib. Epod.

Quid tibi vis mulier nigris digniſſima barris? Idem.

Facies non uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores:
Collige ſarcinulas, dicet libertus.
Iam gravis es nobis, & ſæpe emungeris, exi,
Ocyus, & propera: ſicco venit altera naſo.
Juvenal. Sat. 6.

De *Deformibus* lege l. 2. *Raviſ. Text. Off. c.* 50.

DIEI

DIEI *Ortus.*

IAmque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis.
Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Postera nocturnos Aurora removerat ignes,
Solque pruinosas radiis siccaverat herbas.
Postera lux radiis totum patefecerat orbem.
Postera sidereos Aurora fugaverat ignes.
Jamque pruinosos molitur Lucifer axes,
Inque suum miseros excitat ales opus.
Jam super Oceanum venit à seniore marito
Flava pruinoso quæ vehit axe diem.
Venit post multos una serena dies.
Nube solet pulsa candidus ire dies.
Si numeres anno soles & nubila toto,
Invenies nitidum sæpius esse diem.

Athenienses diem civilem à Sole Occidente ad Solem iterum Occid. auspicabantur. *Umbri* à Meridie ad Meridiem.

Intercisi dies, qui & humanis & divinis negotiis erant communes.

De DIEBUS festis, profestis vide *Rosini Antiq. Romanas lib.* 4.

DIEI. Vide *Noctis, Meridiei. Ortus Solis. Occidentis. Vespera. Anni. Temp.*

DIes ad umbilicum dimidiatus est mortuus. *Plaut.* Quanta luce jam circumfusi sumus. Jam diei vesper erat. Advesperascit.

Nox adventat, ingruit. Vespera adpropinquat.

Lucem tenebræ pellunt. Albescit dies, cælum.

Dies appetit. Crepusculum matutinum adest. Abiit hinc hodie cum diluculo.

Iam propemodum nox humida cœlo præcipitabat, & de somno ineundo cadentia sidera nos admonebant

Inumbrare polum vespera inceperat. In navi quievi noctem perpetem. Hanc tibi noctem honoris causâ gratis dono dabo.

Vesper proprie est stella; cum autem *Vesperi* dicimus, adverbium temporis est.

Lux deinde illustrior cum nocturnæ imaginis terrorem diluisset. *Euphormio.*

Commodum punicantibus phaleris, aurora roseum quatiens lacertum, cœlum inequitabat, & me securæ quieti revulsum nox diei reddidit. Ut primum tenebris abjectis dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat. *Apuleius.*

Totum illud lucis natæ renatæque spatium 24. horis definitum, *Dies* nominatur *naturalis:* quem Hebræi ex auctoritate divinâ à vespertino crepusculo inchoabant. Nocte in quatuor vigilias, Die in 4. Horas divisâ. Sumpto à matutina septima initio, quam cum octava & nona nominabant primam.

Civilis dicitur *Dies*, quem ab ortu Solis Babylonii; nos ex Romanorum sanctione à mediâ nocte ordimur. Ejus initium est *Gallicinium:* cui succedit *Conticinium*; & illi *Diluculum*; isti *Mane*; tum *Meridies*; inde *Vespera:* quam prima *Fax* excipiebat; & istam *Nox Concubia* & *Intempesta*.

Civicum hunc diem ab hominum studiis, *Festos, Profestos, Intercisos, Tralatitios*; ab æquatione annui temporis *Intercalares* & *Bissextos, Epactas, Epigomenas*, Concurrentes appellamus.

Dies nunquam patens, qui nebulosus & clausus densissima nebulâ. Sic *Sol liber*. Meursius *in auctario philologico.*

DISCIPLINÆ. *Discendi. Discipuli.*

Vide *Schola. Tracept. Lab.*

Terra quæ gignit salem, nihil aliud gignit: sic ingenia fœcunda in literis, in cæteris ferè rebus non proinde valent. *Plinius.*

Metrocles dicebat, res alienas emi pecunia, ut domum, vestem, & alia. Disciplinas autem liberales emi tempore.

Socra-

Socrates. In senectute Citharam pulsanti & aberranti dixit quidam: Tune adeò senex Citharâ ludis? Resp. ille: *Atqui præstat serò, quàm nunquam discere.*

Aristoteles interrogatus, quo pacto fieret, ut discipuli quamplurimum proficerent, si inquit præcedentes graviter insequantur, sequentes non moventur.

Solon gloriari solebat, quotidie se aliquid addiscentem senem fieri.

Alphonsus Rex maluit gemmas, uniones, & margaritas, quàm libros perditum iri.

Horat.

— Ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Turpe est seni aut senectutem prospicienti ex commentario sapere. Seneca.

Turpis & ridicula res est elementarius senex. Idem.

Tenuis ante omnia pueris sit victus, & non pretiosa vestis, & similis cultus cum æqualibus. *Plato.*

Quæ res Philippo ad maxima egregiæ indolis incrementa profuit. Siquidem tota custodiendi pueri cura, Epaminondæ, strenuissimo Thebanorum duci atque Philosopho præstantissimo hac conditione est demandata, ut commissum sibi puerum diligenter servaret, & summo studio in id juxta incumberet, ut moribus Principe dignis, atque honestis disciplinis quàm optimè imbueretur. *Curtius l.* 1.

DISCORDIÆ. Vide *Belli Dissentiendi. Pacis. Disputandi. Injuriæ. Concordiæ.*

ITa vereor, ne rebus nostris fractis & labentibus extremum malorum, ut Tacitus ait, Discordia quoque accedat. Quod si sit, conclamatum est, & exequias Belgicæ, quibus commodum est, ite *Lips. Cent. Epist.* 1.

Discordia inter hostes necessaria.

Tiberius semina discordiarum jaciebat, præbendo Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis, 12. *Annal. Tac.*

Tiberius novies à Divo Augusto in Germaniam missus, plura consilio, quàm vi perfecit. 2. *Annal.*

Ita *Pompeius* imagine Pacis,& Lepidus specie amicitiæ decepti. 1. *Annal.*

Sic *Sugambri, Suevi*, Rex *Maroboduus* pace obstricti. 2. *Annal.*

Inde *Drusus* haud leve decus quæsivit, inliciens Germanos ad discordiam. 2. Annal.

Hoc *Tiberio* lætius, quàm si bellum per acies confecisset.

Per discordias civiles externi tollunt animos. *Livius.*

Discordia ordinum & Reip. venenum. *Idem.*

Discordia vastitatem, solitudinem, orbitatem, agris, oppidis, regnis adfert. *P. Æmil. lib.* 3.

Non vi, sed colloquio, discordiæ componuntur. *Plutarch. in Numâ.*

Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quàm consulto opus. *Tacitus.* 2. *Hist.*

DISPUTANDI. Vide *Discordia. Pacis. Altercandi.*

Disputationem cum aliquo ingredi. Incumbere in disputationem.

Habere disputationem litigiosam. Amissa est libertas disserendi.

Disputare de lana caprina. Disputare rem aliquam. Disputationibus elicienda Veritas.

In Academiis plus affectuum, quam veritatis fervet disputatio. Difficilis & nodosa disputatio.

Disputatio multis Mæandris & flexibus intricata. Altercationibus & litigiis invicem digladiari. Jurgio se necare.

Verborum machinis pugnare. Subtilis & acutus disputator. Ingenium habere disputatorium.

Valet acumine disputandi. Venio in hunc labyrinthum sermonis, implexum & exitus ignarum.

Fiat velitatiuncula inter nos; rem manifestam adducamus in controversiam.

Ego

Ego infinitis concertationum & vociferationum iracundarum plenis disputationibus applaudere non soleo. Nam & Philosophiæ gravitate ac sanctimonia indignæ sunt, & cum iracundia pertinaciaque utiliter atque recte haud est ut possit disputatio procedere. *Seneca.*

Plutarchi. Ut apud Homerum Ulysses ridetur à procis, quod panis frustulum peteret, non enses, neque lebetes: ita magis ridendi sunt, qui differenti minutulas ac frivolas quæstiunculas objiciunt.

Pantholidas, audiens Philosophos multa de virtute disputantes, interrogatus quid illi videretur de ejusmodi sermonibus. *Probi sunt,* inquit, *sed vobis inutiles, qui illis non utimini.*

Mus syllaba est: Syllaba autem caseum non rodit. Mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias, *in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus?* hoc est, quod tristes docemus & pallidi? *Seneca.*

Nihil magis crebrum inter literatos, quàm digladiari & convitiari. *Lips.*

Quid a. ais de Westphalo? arietet pro suo nomine. rupem me habet. Abite caniculæ. Ego ad vestros latratus exciter aut movear? fiam ipse non aries, sed tu vervex. *Idem.*

Cur ergo potius inter vocabula me sapientiæ detines, quàm inter opera? *Seneca.*

DISCRIMINIS. *Periculi.* Vide *Belli. Fugæ. Armorum. Crudelit.*

NUmquam herculè ego ex ista nassa escam petam. *Plaut.*

Nunc hæc res apud summum puteum gei tur. *Idem.*

In eodem luto hæsitas. Illius dignitas in discrimen venit.

Video maximas tempestates Reipubl. esse subeundas.

Fluctuare in altis tempestatibus seditionum & discordiarum.

Ah! telum, quod quasi catapultâ missum in me venit de morte optimi parentis.

Vixit in bonis, in asperis rebus, & gustavit abundè è duplici dolio, quod ille supremus Symposiarcha nobis infundit. *Lips.*

Steti in extrema salutis lineâ. Prono animam loco posui.

Intus insidiæ sunt, intus inclusum periculum est, intus est hostis.

Iam de fluctibus extuli pedem, jam evasi de naufragia rate, & arenulam securis osculis adoravi.

Ut iis, qui ex puteo extrahuntur tunc maxime periculum lapsus est, cum ad oras summas venerunt: sic nobis, qui educi jam incipimus; ne à spei culmine ad barathrum δυσελπίας relabamur. *Lips.*

Patria videtur animam agere, ita consilia omnia Principum & optimatum ferox miles turbat.

Deus bone adjuva, periculum est ne subito & quasi Circæa virga in illa muter monstra.

Mavors ille etiamnum civile classicum inflat: Heu! mei Belgæ, quàm mala vobis sidera lucent! Theatrum miseriarum Belgæ sumus. *Lips.*

Perendinus dies annuus erit Cannensis istius fugæ. Certissimæ internecionis periculum subire.

Hydram secas. De expugnatu difficilibus dictum. Sectis enim Hydræ capitibus ab Hercule, aliis identidem repullulantibus superari nequivit.

Anagyrum moves. In eos, qui quippiam in sui movent perniciem. Anagyrus loci quidam genius est, qui vicinos, quod sacellum ejus violâssent, funditus evertit.

Mus nunc picem gustat. in eos qui recens malum experiuntur.

Ne temerè Abydum præternaviges, aut transeas. De iis qui se periculis committunt.

Ad apes commessatum venisti.

Μικρὸν κακὸν μέγα ἀγαθόν.

Lemnium malum dicitur de maximis & immensis malis. Lemnos mas. gen. insula una Cycladum in

Ægæo

Ægeo mari sita, in qua nutritus & cultus postea fuit Vulcanus, cui etiam consecrata, unde & Cyclopum officina dicitur. Hinc Lemniacus & Lemnius, quo nomine Vulcanus dicitur.

Cave canem. Sumptum hoc à metu canum rabiosorum, hoc est, fuge hominem malum.

Sal abiit illuc unde dimanaverat. Dicitur in eos, qui quod lucri fecerint, perdunt. Mercator quidam salem vehens & somno captus, illum amisit haustâ per sentinam aqua.

Ne temerè Abydum naviges. non sine sontica ratione pericula subeunda. ut, si quis aulam Principis velit intrare, aut temulentis sese admiscere. Audiebat gens Abydena malè propter calumniandi consuetudinem.

Augiæ stabulum repurgare. quando sc. ex alienis negotiis nimias habemus molestias. Seneca: in quos si incidisses, maluisses cloacas Augiæ purgare, multo plus ego stercoris exhausi. Stabula Augiæ tantum congesti fimi habuere quantum ter mille boves vix pluribus annis reddere potuerint.

Vos cunctamini etiam nunc, & dubitatis, quid intra mœnia, deprehensis hostibus, faciatis? *Sallust.*

Hic dies universæ Græciæ & gloriam dominationis & vetustissimam libertatem finiit. *De prælio Atheniens. apud Cheroneam, Curt. lib.* 1.

Ne cineres fugiens in prunas incidas.

Qui militabant adhuc, *cincti* dicebantur. Qui missi erant, *discincti*, militia exuti, cingulo privati. *Vide Armorum.*

Aureo hamo piscari dicuntur, qui mediocris commodi cupiditate periculum adeunt, & maximarum rerum faciunt jacturam.

In puteo cum canibus pugnare. Zenob. De eo, qui cum aliquo confligitatur, unde extricare se non potest.

Quærens obsonium, vestem amisi. De valdè infelicibus dictum.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin.

Ilias malorum. Dictum de ingentibus malis. Ad Ilium sexcenta mala contigerunt.

Camarinam ne moveto. Ferunt paludem Camarinæ urbi cognominem esse, quam Camarini derivare in campum cum vellent, oraculum consuluerunt. Apollo sic respondit : *Ne moveas Camarinam.* Cujus dictioni cum minus parerent, damnum acceperunt. Alii referunt stirpem esse Camarinam gravis odoris, cujus rami avulsi fœtorem exhalent.

Ut iis, qui è puteo abstrahuntur, tunc maximè periculum lapsus est, cum ad oras summas venerunt: sic nobis, qui educi jam incipimus, ne à spei culmine ad barathrum δυσελπίας, desperationis relabamur. *Lipsius.*

Ad contentiones si venitur, clades erunt, & Thebana aliqua pugna, in quâ victi victoresque plorent. *Idem.*

Quis tam firmo & ferreo pectore, qui diutius ferendis iis malis sit ? jactamur tot in annos civilium bellorum æstu. *Lips.*

Et ut in undoso mari, non uno vento agitamur turbarum seditionumque. *Idem.*

Itaque certum mihi, Langi relictâ hac infesta & infausta Belgicâ (ignoscat mihi Genius Patriæ!) γῆν πρὸ γῆς, ut ille ait, & quovis terrarum fugere, ubi nec Pelopidarum facta neque nomen audiam. *Idem.*

Quod enim malorum istorum effugium, nisi in fugâ ? ut verè illud Aristophanæum possis augurari.

——— τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης. Supera infera reddet Iupiter altitonans.

Viden', tecum in pectore circumfers fontem fomitemque mali. Ut ii, qui febriunt, jactant se inquietè & versant, & tectum subinde mutant vanâ spe levamenti : in eadem causâ nos, qui terram è terrâ frustra mutamus, ægri sc. mentis. *Haret: lat. fat. arundo.* Lips.

Tonsor intempestivo joco cum de tollenda Dionysii tyrannide sermo verteretur, *Quinam*, inquit, *insupe-*

insuperabilem tyrannidem putant, cum ego subinde novaculam admoveam illius gulæ? in crucem adactus tonsor.

Marianâ clade quàm multos splendidissimè natos Senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit. *Seneca.*

Nec contemne nunc ejus Fortunæ hominem, in quem transire, dum contemnis, potes. *Idem.*

DISSENTIENDI. Vide *Discord. Belli.*

VAleant, qui inter nos dissidium volunt. Discordare inter sese. Partium studiis operam dare.

In Frisia partium vigent studia. Opinionum dissentione discrepamus.

Diversè, variè sentimus. Quasi de compacto inter se sunt dissentientes.

Tu sane meum animum non gestas. Nunquam hercule hinc hodie ramenta fies fortunatior. *Plaut.*

Aliud noctua, aliud Cornix sonat.

Longè aliter sues, aliter catuli olent.

Propter contentionem & ambitionem dissidia inter homines & bella existunt, vicinos præsertim & conterminos. *Plutarch. in Demetrio.*

DIVITIARUM. Vide *Pecunia. Fœnoris. Lucri. Æris alieni.*

DOtes dapsiles nihil moror. Pecunia illi est grandis. Maximas opimitates alicui offerre. *Plaut.*

Argenti sibi copiam facere. Luculentas habere divitias.

Nil cum est, nil deest tamen. Omnes te in lauta & benè aucta familia putant. *Terent.*

Quam iniquè est comparatum, ut ii, qui minus habeant semper aliquid addant divitioribus. *Idem.*

De argento somnium. Emunxi argento militem. Homo pecuniosus. *Plaut.*

Nostrâ est pecuniâ dives. Ratio conflandæ pecuniæ non reperitur.

Acervi nummorum apud illum congeruntur. Au-

rum ipsum, quid nisi splendens quædam terra & nitidius paullo lutum? *Lips.*

Aurifer ille Tagus mihi non fluit. Persarum montes aureos possidere. *Idem.*

In ærariis plurimæ erant capsæ, quæ *Loculi* dictæ. Erantque eburneæ & ligneæ. In eburneis auream monetam, in ligneis argenteam recondebant. *Martialis:*

Hos nisi de fulvâ loculos implere moneta,
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Hinc illi dicti Locupletes, qui plus in illis loculis habebant. *Meursius.*

Divitiis gravis & pertinax, innascitur invidia. *Plutarch. in Pelopidâ.*

Stoici omnes illos divites dicunt, qui cælo & terra frui possunt.

Δειλὸς ὁ πλοῦτος. *hoc est*, divitiæ sunt timidæ. Divites e. domos muniunt & canes formidandos alunt.

Immodicæ Divitiæ velut ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt quàm regunt. *Lips.*

Divitiæ ituris ad bonam mentem sæpè sunt impedimento. *Seneca.*

Plato dixit; nunquam quemquam in magnis divitiis navasse bonis artibus operam.

Ex *Diogenis* sententia: Neque in domo neque in civitate opulenta locum esse virtuti.

Crassus negabat divitem esse, nisi qui reditu annuo legionem posset alere.

Cæsar dictator duodeviginti millia tricliniorum stravit, Romano Populo immensum auri pondus profudit.

C. Antonius ludos scena argentea fecit.

Antiochus Magnus, Syriæ R. tantis affluxit divitiis, ut in Romanos certaturus exercitum collegerit numerosissimum: in quo plerique milites hastis scutisque aureis & argenteis enitebant.

Cleopatra divitiæ ex coctilibus illis muris apparent, inter septem orbis miracula numeratis; ex cratere, cujus pondus erat xv. talentorum; ex apparatu convivii, quo Antonium accepit ex unionū sorbitione.

Crœsus

Crœsus Lydorum R. cum Græcos partim subegisset, partim socios sibi adscivisset, tantum imperio & opibus crevit, ut se felicissimum dicere non dubitârit.

Heliogabalus mensas & capsas habuit argenteas.

Amphitheatrum *Pompeii* capiebat 40. millia hominum: Quod Nero in unum diem totum auro opplevit.

Germani dicunt in *tres usus* pecuniam segregatam esse oportere: ad necessarios sumptus, ad existimationis dignitatem, ad necessarios & graves casus.

Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio. *Seneca.*

Chilon percontatus quid essent divitiæ? Resp. Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio.

Anacreon Lyricus cum auri talentum à Polycrate accepisset, paullo post ei restituit, dicens: *Odi munus quodcunque vigilare cogit.*

Cleanthes, quærenti, quomodo quis dives evadere posset? Resp. Si cupiditatum fuerit inops.

Is maximè divitiis fruitur, qui minimè divitiis indiget. *Seneca.*

Ubi divitiarum cupido invasit, neque disciplina, neque bonæ artes satis pollent. *Idem.*

Quibus divitiæ bono honesto potiores erant. *Sallustius.*

In ipso maximam virtutem, omnia Romæ esse venalia. *Idem.*

Felix qui nihil debet.

Quam sententiam facilè bis veram dicet, qui periculum fecerit, quid sit ære alieno obstructum esse. Quid enim calamitosius, quàm toties erubescere, toties perfricare frontem, fugitare, latitare, mentiri? Nunc supplicem agere, nunc flagitare, palàm appellari, notari digito, breviter, nunquam sui juris esse. Nam hæc omnia incommoda secum affert æs alienum. *Herm. Barb. in Plin.* Vide *Plutarch. & Herod.*

Lex erat in 12. tabul. ut ejus corpus, qui multis creditoribus erat obnoxius, nec foret solvendo, in partes dissecaretur, & quisq; pro crediti portione partē tol-

lere. Hac pœnæ atrocitate confirmabatur fides crediti ac mutui. *Gell.lib.20.c.1.*

Hinc apud Persas duo ista pro grandibus peccatis habita sunt *debere* & *mentiri*: nam ea judicabant cohærere, quod qui sunt obærati, sæpius cogantur mentiri.

De Divitiarum ubertate ac splendore; De Divitum bonorum moribus; De Divitum improborum moribus, Vide *Theat. Ing. Humani. c.16.17.18.*

Apud quos falsò divitiarum nomen invasit occupata paupertas, sic divitias habent, quo modò habere dicimur febrim, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus. Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est: Divitiæ illum tenent. *Seneca.*

Divitiæ apud Sapientem virum in servitute sunt: apud stultum in imperium. *Idem.*

Desine Philosophis pecuniam interdicere. nemo sapientiam paupertate damnavit. *Idem.*

Cum pecunia arcas nostras oneraverit, quid aliud, quàm beatè serviemus? *Idem.*

Multis paraſſe divitias, non finis miseriarum, sed mutatio fuit. *Seneca.*

Securius divites erimus, si scierimus, quàm non sit grave, pauperes esse. *Idem.*

Nemo nascitur dives. quisquis exit in lucem, jussus est lacte & panno esse contentus. ab his initiis regna nos non capiunt. *Idem.*

Non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. *Idem.*

Utinam! qui divitias appetituri essent, cum divitibus deliberarent. Profectò vota mutassent. *Idem.*

Eant ut volent res humanæ dum animo compositio sua constet. *Idem.*

Densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quàm latè patentes errores cæcas precationes tuas spargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis, qui complures pessumdederunt. Regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis conjugiis injicis manus

manus. at hæc, ut aliquando illustrant: ita nonnunquam funditus domos evertunt. &c. *Valer. Max. l. 7. cap. 2.*

De Divitiarum laude nos in *Tyrocinio Eloq.* egimus Oratione 19.

HORATIANA.

—— *Si proprio condidit horreo,*
Quicquid de Libycis verritur areis.
—— *Attalicis conditionibus*
Nunquam dimoveas. Od. 1. l. 1.
—— *Non opimas*
Sardiniæ segetes feracis.
Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum.
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ taciturnus amnis.
Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna vitem. Dives & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce. Od. 31. lib 1.
—— *Quæ tenuit dives Achæmenes,*
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine. &c. l. 2. Od. 12.
Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ, te bis Afro
Murice tinctæ vestiunt Lanæ. Od. 16. l. 2.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Iactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus. Od. 1. l. 3.
Cur invidendis postibus & novo
Sublimeritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operosiores? Ibid.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa. &c nota totam odam XVI. lib. 3.

Intactis

Intactis opulentior
Thesauris Arabum & divitis India
Camentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis & mare Ponticum. Od. 24. l. 3.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati. lib. 4. Od. 9.
Non ut juvenis illigata pluribus
Aratra nitantur meis,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua.
Nec ut supremi villa candens Tusculi
Circaa tangat mœnia. Epod. 1.
Protinus ad censum. de moribus ultima fiet,
Quæstio. quot pascit servos, quot possidet agri
Iugera. quàm magnâ multaque paropside canet.
Juvenal. Sat. 3.
turbâ cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno. h. e. feretur lectica: quarum usus ex Liburnia. *Ibidem Iuvenal.*

DIVORTII, *Repudii.* Vide *Conjugii. Amoris.*

REmittere repudium alicui. Renunciare repudium alicui.

Repudiare conditionem alicui. Faciat repudiosas nuptias.

Is me nunc renunciare repudium jussit tibi. Repudium rebus paratis atque exornatis nuptiis?

Romæ tanta olim fuit concordia, ut usque ad 500 & 20 annum nullum divortium inter virum & uxorem intercesserit. *Borcholten.*

Divortium, dictum est à diversitate mentis, vel quod in diversas partes eant, qui distrahunt matrimonium.

Post divortium cum tali contrahere matrimonium non licet. Talis e. conjunctio nullam adfert cognationem nec, qui nati sunt, liberorum nomen sortiuntur. *Idem.*

DOCEN-

DOCENDI. *Instituendi.* Vide *Eloq. Librorum. Praeceptoris. Schola. Doctrina. Educat. Discipl.*

PUdore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu. *Terent.*

Hoc patrium est, potius consuefacere filium sua sponte recte facere, quàm alieno metu. *Idem.*

Quo quis est ingeniosior & solertior, hoc docet iracundius & laboriosius.

Politum esse in artibus. Omni Doctrina esse eruditum. Instructum esse doctrinis.

Magnam Doctrinæ sapientæque speciem præ se ferre.

Eloquentiæ illa Dea nos quoque adspexit; sed in parte, & lumine, ut sic dicam, altero. *Lips.*

In secretariis literarum esse exercitatum. Homo omnium Literarum supellectile instructissimus.

Salomon instituturus Filium, pulcherrimam collo bullam aureumque torquem pollicetur.

Ut nihil prosit clavis aurea, quæ non aperiat: sic splendida illa doctrinarum, quæ ad hæc sacraria non ducunt. *Lips.*

Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est, habere, quantum legas. *Seneca in Epist.*

Fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ ubi varia sunt & diversa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, & si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi. *Idem in Epist.*

Et eum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. *Ibidem.*

Soleo enim in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. *Ibidem.*

DOCTRINÆ. Vide *Eloq. Musarum. Literarum. Diligentia. Docendi. Philosophia. Artium.*

DE Professione Literaria vide eximium tractatum in Theatro Ingenii Humani, *Cap.* 9. *lib.* I.

Sapiens cum Diis ex pari vivit. *Seneca.*

Quæ ad-

Quemadmodum quædam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio prava dolore corporis animique corrigimus. *Idem.*

Ingenium Ciceroni fuit & operibus & præmiis operum felix. *Seneca.*

Ingenium erat, in quod nihil juris haberent triumviralia arma. Idem.

Nemo tanti emit Ciceronis vitam, quanti vendit Antonius. *Idem.*

Quoad humanum genus incolume manserit; quamdiu usus literis, honor summæ eloquentiæ pretium erit. quamdiu Reip. nostræ aut Fortuna steterit, aut memoria duraverit, admirabile posteris vigebit ingenium. Et uno proscriptus sæculo Antonium proscribet omnibus. *Idem.*

Omnia potius subeunda, quàm monumenta ingenii sui ipsum exurere. *Idem.*

Nunquam magnis ingeniis cara in corporibus mora est. *Idem.*

Aristippus interrogatus quid Filio profutura esset eruditio. Resp. saltem in theatrum cum venerit, ne lapis super lapidem sedeat.

Idem melius duxit esse mendicum, quam inscium; Equidem pauper nihil præter fortunam opus habet, indoctus caret ipsa humanitate.

Poetæ finxerunt Minervam ex Jovis cerebro natam; sed ita ut primum in minutissimas sectam particulas Vulcani malleo.

Alphonsus aliquando cum audisset Hispaniæ aliquem Regem dicere, Principi non convenire literas, dixit: *Bovis illa vox, non hominis.*

Socrates sapientissimus ex Oraculo habitus, dixit in eo se doctum esse, quod sciret se maximè esse indoctum.

Solon fertur discendi sic fuisse cupidus, ut amicos de quæstione disputantes jam jam moriturus levato tamen capite, de illa interrogaverit: *quam si didicero,* inquit, *multo jucundius moriar.*

Cleanthes

Cleanthes hauriendâ aquâ per noctem tantum sibi lucratus est, ut de die studiis incumberet.

Diogenes ab Institutione Antisthenis nullo modo removeri potuit. *Verbera*, inquit, *quantum potes, nullum tamen reperies baculum, quo à te, modò aliquid didicero, me avertes.*

Chrysippus fame periisset, nisi uxor Melissa cibum illi in os ingessisset.

Demosthenes in subterraneis cavernis, abrasâ capitis parte, habitavit, ut diligentius studia pertractaret.

Magnus Pompejus profectus est Rhodum, ut imbueretur bonis artibus, nec erubuit Philosophorum januis adstare.

Alexander M. libros Homeri secum sumpsit cubitum, & pugionem supponebat capiti, ut quando somno excuteretur, legeret assiduè.

Apud *Laërtium*: Eruditio juvenibus Sobrietatem; senibus Solatium; pauperibus Divitias; divitibus Ornamentum adfert.

Themistocles interrogatus, cui Filiam suam in matrimonium daturus: An pauperi, sed docto; an diviti indocto? *Resp.* malo virum qui pecunia egeat, quàm pecuniam quæ viro.

Mitylenenses Literarum illis usum ademerunt, quos gravissimo afficere supplicio volebant.

Iulianus Apostata, ut facilius Christianos subjugaret, philosophiæ illos exercitio privavit.

Socrates pulcherrimum in terris animal, Hominem doctrina excultum judicavit. *Thales* rogatus, quem felicem haberet: Quì animo eruditus, inquit, corpore sanus.

Cleanthes pluris fecit mendicum, quàm hominem indoctum.

Plato dixit doctos ab indoctis tantum differre, quantum Medici ab ægrotis.

Diogenes hominem indoctum onus terræ gravissimum vocavit.

Candida Musarum fores. De iis, qui minimè aliis literas invident.

Magnam

Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates.
Magnumque si pectore possit
Excussisse Deum. Virg.
Dediscit animus serò, quod didicit diu. Seneca.
Vivitur ingenio: cætera mortis erunt, Ovid.

In Sphinge Philosophica cap. 25. De Artibus Liberal. Quomodo sæpenumero indignis Juvenibus Laurea detur Doctoralis.

Venit, inquit, stultus juvenis ad templum, *Doctoris insignia recepturus*; Præceptores illum sui celebrant, seu amore seu errore; tumet ille, vulgus stupet, applaudunt affines & amici. Ipse jussus cathedram adscendit, cuncta jam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans. Tunc majores certatim ceu divina locutum laudibus ad cælum tollunt: tinniunt interim Campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus ac Magistralis Bonetus apponitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Ovidio cognita. *Sic fiunt hodie Sapientes.* Verus sapiens fit aliter.

Perhibere liberalia studia, non illa quibus perfundi satis est; sed hæc, quibus tingendus est animus. *Seneca.*

Nam ille alter fortasse tanquam phœnix semel anno quingentesimo nascitur: nec est mirum ex intervallo magna generari. *Idem.*

Unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima ætas. *Idem.*

Quoniam ipsa vita, quâ fruimur, brevis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere debemus. *Salluſt.*

Eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus, gloriâ æterni fierent. *Idem.*

Ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. *Idem.*

Exempla enim omnia jacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet. *Cicero.*

Qui

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. *Seneca.*

Plus sapit interdum vulgus, quia tantum, quantum opus est, sapit. *Idem.*

Romæ Grammatici, Rhetores & Medici, & qui in patria sua has artes exercent, à tutela & curâ habent vacationem: quam LL. Doctores in aliquo præsidiatu docentes non habent. Romæ verò vel in celebri Gymnasio docentes omnino habent. Grammatici hic non sunt, qui primas literas pueros docent; sed qui ab Homero aut Virgilio incipiunt, *L. 2. ult. C. de vacat. mun.*

Equum ad cursum apertus & liber circus provocat. animum ad studia vagans vacansque aura. Sylvam illam viridem videt? hîc carmen avet, aut hymnum pangere. Horti illam purpuram? hîc cum libellis suis decumbere. Aquæ illud murmur? ad eam altiore cogitatione, abjici. Et nocte ipsâ, aut sub eâ pictum illud patensque cælum eum capiet, & inter tot stellas errantes, aut inerrantes, à curis terrisque erro, mente scandet super illas &c. *Lips. Epist. lib. 1.*

Si aliquid in Philosophiâ est boni, hoc est, quod stemma non inspicit. *Seneca.*

Timantem pictorem celebrant, quod in ejus operibus plus semper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur, velim in meâ scriptione. *Lips.*

Quis Polydamas ausit illum Hectorem qui Diis Hominibusque faventibus tenet profectò ac tenebit hoc regnum? *de Scalig. Lips.*

Quæso, mittamus tenuem subtilemque nimis hunc colorem, & Apellæas, ut sic dicam, lineas. *Idem.*

Musæ lato & læto limite ad Sapientiā ducunt. *Idem.*

Eò jam pervenit, ut bullam ponere, & togâ liberâ possit insigniri. *Idem.*

Sed, conscientia eos convincit. testor eam & appello. Stilum nostrum aliquid vivum, alacre & eruditum habere: quod ipsi magis ore, quàm corde spernant. Novimus hoc genus miselli. manent in suis præceptiunculis: hoc Exord. hæc Narratio; hîc Allegoriâ; hîc Metaphora. Et præclare censent se Ciceronem inter-

interpretatos. Quo argumento? quod elumbia quædam & exsanguia scribant. quod jacentia verbis, sensibus, numeris. quod denique sic algentia, ut refrigerare Germanicas suas nives possint. *Lipsius.*

De Theologis, Advocatis, Medicis, Philosophis, Oratorib. Poëtis lege Politicam *Schonborn. cap.* 40. 41. *&c. lib.* 3.

HORATIANA.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miscent superis.
Si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tondere barbiton.
Quod si me Lyricis Vatibus inseras
Sublimi feriam sidera vertice. Od. 1. l. 1
Musis amicus tristitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis. Quis sub Arcto
Rex gelidæ metuatur Ursæ
Securus. Od. 26. l. 1.
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare Loricis Iberis,
Pollicitus Meliora, tendis. Od. 29. l. 1.
Illum aget pennâ metuende solvi
Fama superstes. Od. 2. l. 2.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos. seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum
Seu liquidæ placuere Baiæ. Lib. 3. Od. 4.
Quid minaci Porphyrion statu
Quid Rhœcus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem. Pallidis Ægida? Ibid.
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos. De Apoll. Ibid.
Non omnis moriar. Multaque pars mei. Ibid. Od. 30.
Vitabit Libitinam. Usque ego posterâ
Crescam laude recens. Dum Capitolium

Scandet

Scandet cum tacitâ virgine Pontifex.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.
Utcunque defecere mores
Dedecorant bene nata culpa. Od. 14. l. 4.
O Testudinis aurea
Dulcem quæ strepitum Pieri temperas,
O Mutis quoque piscibus
Donatura Cycni, si libeat, sonum.
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium. Ibid. Od. 14.

Institutio Principis.

Imbuat proinde futurum generis humani rectorem. 3. *Annal.*

Bonis recordationibus, firmetque animum ejus constantibus exemplis. 4. & 16. *Annal.*

Ut id primum discat è paternis consiliis, se ita natum esse, ut bona malaque sua ad Remp. pertineant. 4. *Annal.*

Ita enim, cum solus arbiter verum fuerit jure, ac nomine regio, magistros exuet, satis amplis Doctoribus instructis, majoribus suis. 14. *Annal.*

Cum *Antipater* fœdus cum Lacedæmoniis iniret, & ab his quinquaginta pueros obsides postularet, prudenter Lacedæmonii responderunt: centum potius viros, quàm decem pueros exponendos. Hoc docens, peregrinam educationem semper aliquid monstri advexisse.

DE DOCTRINA Romanorum lege Romam illustratam. 1. *Lips.*

Nos doctrinam laudamus Oratione 17. in Tyrocinio Eloquentiæ.

DOLI. *Fallendi. Astutia.* Vide *Insidiarum. Proditionis.*

LUdi dolis. Frustra aliquem habere. Quis præstigiator hanc frustratur mulierem? *Plaut.*

Protrudere dolum. Nihil in illa re captio est. Quas

Quas tu mihi tenebras cudis? Albis dentibus aliquem deridere. *Plaut.*

Labiis aliquem ductare. Meum exenteravit marsupium.

Me habet venalem. Seni verba dare difficile est.

Astu rem tractare. Mimica usus est techna.

Ut colubrino ingenio ambo estis. *Plaut.*

Ego inveni lepidam Sycophantiam. Hominem in transennam ducam doctis dolis. *Idem.*

Quidnam hic vult veterator sibi? Ad fraudem callidum esse. *Idem.*

Multis hujusmodi futelis foro cognitus est. Callidissimæ fraudis odor ad me pervenit. Qui ad fraudationem callidum ingenium gerunt.

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen:
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.

Laureum gesto baculum. Solent illi dicere, quibus insidiæ struuntur, quod laurus mala arcendi vim habeat.

Ἄστυ Græci vocant Civitatem, ut Homerus persæpè. Sic Athenienses vocabant urbem suam. Hinc Astutiæ, astuti dicti, quoniam qui in urbibus degunt callidiores sunt in agro degentibus.

Lysander quum quidam ei probro daret, quod pleraque dolo & fraude gereret, ridens dixisse fertur: ubi quis quod vellet, non assequeretur, leonis exuvio vulpinum applicandum. Sentiens quod honestis rationibus non possit effici, id fraude esse efficiendum.

Adspectus Atticus, hoc est, vultu insidioso est. Attici ob impudentiam malè audiebant.

Odyssea machina. In callidos. Ille instructus omni Ulyssea & multiplici machina vitam suam consumebat, Ulysseam & Themistocleam calliditatem supergressus.

Cum omnia caveris, per ornamenta ferieris. *Seneca.*

Decipere inquit *Plinius*, pro moribus temporum prudentia est.

Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Objicit, Virgil.

Agis

Agis mecum malè. nec ut bonus pugil, legitimo nexu dejicis me, sed per argutias supplantas. *Lipſ.*

Falsa gemmulâ puero aut rusticulo poteſt quis imponere, gemmario mangoni nunquam. *Idem.*

In Diſſimulatorem.

Omnia diſſimulas, & vis tamen unus haberi
Omnibus; ad ſpeciem ſufficit eſſe probum.
Divideris totus; diſcordant linguaque menſque:
Sed nihil in toto eſt, quod liquet eſſe tuum.
Protheus in varios tranſis mirabilis uſus:
Sæpè tui mutat qualibet hora fidem.
Altera ſacrificat donis manus, altera telis
Pugnat, & in partes ingenioſus abis.
Odimus ex uno qui lumine ridet & odit:
Hac pacem, atque illâ bella minaſque crepat.
Ille placet ſolus, cui verum manat ab ore,
Nec mentem fuco diſſimulante tegit.

Piſiſtratus Athenienſis ipſus ſe vulneravit. Sic ſaucius in forum delatus, ſanguinem & vulnera civibus oſtendebat. Nec omittendum Solonis hîc dictum, qui dolum odoratus ei ingeſſit: *Non rectè*, inquiens, *ô Piſiſtrate Homericum Ulyſſem imitaris. Siquidem ille flagris ſe conſcidit, ut hoſtes falleret, tu te vulneribus ut cives.* Lipſ. in Mon. & Exempl. Pol. de Fraude c. 5. l. 2.

Sequuntur ibidem Exempla callidæ Adoptionis in alienam familiam.

Rudolphus Auſtriacus hoſpitem furem egregiè deluſit, per aſtum vidulo ipſi. in quo ducentę argenti ſelibræ à Mercatore bonâ fide apud ipſum depoſitæ.

Et *Galba* quærentis de proprietate jumenti, decrevit, ut ad lacum, ubi aquari ſolebat, capite involuto duceretur. atque ibidem revelato, ejus eſſet, ad quem ſponte ſe recepiſſet. *Lipſ. in Exempl. Pol. c. 7. l. 2.*

Polypi mentem obtine. Hoc adagio monemur, pro tempore alios atque alios mores ſumere. Sic Homerus vocavit Ulyſſem πολύτροπον h. e. variis moribus ſcribit, hunc piſcem polypum colorem metu inprimis mutare. Perſequentibus eum piſcatoribus, petris affigit ſeſe, ejuſque colorem cum corpore imitatur, ne queat deprehendi. Nam

Nam in Jugurthâ tantus dolus, tantaque peritia locorum, & militiæ erat, ut absens an præsens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur. *Sallust.*

DONANDI. Vide *Præmiorum. Liberalitatis.*

QUod donum huic dono comparat? *Plaut.*

Homo cum suo dono quatietur foras. *Terent.*

Pecuniâ aliquem oppugnare. Largitione cæcare mentem alicujus.

Honore Sportulæ aliquem prosequi.

Nulli sua liberalitas erit damnosa.

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque.

Nihil est, tam invictum, nihil tam sanctum, tam pudicum, quod pecunia & donis expugnari non possit.

Ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, κ' οὐκ ὀνήσιμα.

Timeo Danaos & dona ferentes.

Lycurgus Objicientibus: quod Eloquentiæ studio Rhetoribus daret mercedem: si quis, inquit, profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas; sed omnium facultatum dimidium effunderem. Plurimum ab hominum vulgo discrepans, qui periisse existimant, quod liberis instituendis impenditur.

DILIGENTIÆ. Vide *Laboris. Doctrina. Eloq.* &c.

L*Ivius Drusus* execratus à primordiis vitam inquietam dixisse dicitur, uni sibi nec puero quidem unquam ferias contigisse. *Seneca.*

Nihil est, quod non expugnet pertinax opera & intenta cura. Robora quamvis in rectum flexa, recurvabis. Curvatas trabes calor explicat. *Seneca.*

Tam diu discendum est, quam diu nescias, & quàm diu vivas. *Idem.*

Non est solida arbor, nec fortis, nisi in quam frequens

quens ventus incursat. Ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certius agit. *Idem.*

Supra humanos errores est, ac eminentis viri, nihil ex suo tempore delibare. *Idem.*

Turpe est, seni ex Commentario sapere. sub alienâ semper umbrâ latitentes. nisi puto habere generosi, nunquam ausos aliquando facere, quod diu didicerunt. *Seneca.*

Duo Galliæ lumina, *Budæus* & *Turnebus*, ipso nuptiarum suarum die, horas aliquot Lectioni & studiis impendisse, memorant. *Emundus Richerius in obstetrice Animorum.*

In hoc vere, nisi virtutis doctrinæque feceris sementem, frustra cum æstas erit, exspectaveris fructum. *Lips.*

Generosos animos labor nutrit. *Seneca.*

Turpis & ridicula est res elementarius senex. *Idem.*

Nulla res exerceri potest, ab homine occupato. *Id.*

DILIGENTIA.

Sic pensat peccata labor: tristique veterno
Mens hebet, & gelidus pectora torpor habet.
Pro Lauro meritò sudor venit. Hoc juvat illud,
Prô dolor! antiqua pendere labiis opus,
Fas odisse igitur deductum ab origine primâ
Crimen, & à vitiis abstinuisse manum.
Herculeis tentanda iterum est Industria *nervis,*
Et tot Cocyti monstra domanda prius.
Ut facis assiduè, Phæbo monitore; nec ullum,
Nieuburgi *renuis ferre patique jugum.*

DORMIENDI. Vide *Somnii.*

EDormivi unum somnum. Noctem totam labore delassatus stertit.

Ubi somnum sepelivi omnem atque edormivi crapulam. *Plaut.*

Lectis nos actutum commendemus. Cantharino ritu adstans somniat. *Idem.*

Somnio operam dare. Dormitum se conferre. Somnum herclè hac nocte non vidi oculis meis.

Concubiæ noctis silentio edormiveram unum somnum.

Statim è cornea porta recta mihi advolat somnium & simulatoris opera Morphei miras animo visiones proponit. *E. Neuh.*

Qui dormiunt libenter sine lucro & magno malo quiescunt. Caput deponit, condormiscit.

Toto proflabat pectore somnum. Placida demittere membra quieti.

Fessos somnus complectitur artus.

Lumina cum placido victa sopore jacent.

Sopor occupat artus. Blanda quies furtim victis subrepsit ocellis; Et cadit à mento languida facta manus.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat.

Datur hora quieti. Pone caput fessosque oculos furare labori.

Defessa toro nunc membra repone. Vix primos inopina quies laxaverat artus.

Placida laxarant membra quiete.

Ronchus propriè significat sonum illum nasi, qui à stertentibus fit dormiendo, *Ronchisso*, est sterto, & naribus insono.

Torus dictus est, quia veteres super herbam tortam vel sedebant vel discumbebant. *Æneid.* 5.

Viridante toro consederat herba.

Lepus dormiens. In eos qui dormire se simulant.

Epimenides, tempore Pythagoræ, missus à Patre in agrum ad custodiendum pecus, in quodam antro obdormivit LXXV. annos. Experrectus verò cum videret omnia mutata, domum revertens, à Fratre omnia didicit.

Smyndirides Sybarita dicebat, se nec orientem vidisse solem, nec occidentem, annis plus minus viginti.

Arsenius tam brevi somno naturæ satisfecit, ut etiam dicere solitus sit, Monacho satis esse, si unam horam dormierit.

Doctus

Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.

Quando quis simulat se dormire ronchissando, ut impunitus mœchetur uxor.

Qui a bruit de se lever matin, peut dormir jusques à disner.

Turpis, qui alto sole semisomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum est. *Seneca.*

Sunt, qui officia lucis noctisque pervertunt; nec ante diducunt oculos, hesternâ graves crapulâ, quàm appetere nox cepit. *Idem.*

Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis:
Illis sera, rubens accendit lumina vesper. Virg.

Exempla Laboriosorum & Diligentium huc refer: quorum copia in aliis locis.

Circumscribatur nox, & aliquid ex illâ in diem transferatur. Aves, quæ conviviis comparantur, in obscuro continentur: ita sine ullâ exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit, & super membra iners sagina, succrescit. Ita istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, fœda visuntur. *Seneca.*

DOLORIS. Vide *Ægritud. Morborum. Curæ. Lacrymarum. Tristitiæ. &c.*

PEr lacrymas argumenta desiderii quærimus, & dolorem non sequimur, sed ostendimus. *Seneca.*

Cui ista firmitas animi est, ut non doleat decessisse amicum suum, nisi jam multum supra fortunam elato? *Idem.*

Plus dolet, quam necesse est, qui ante dolet, quàm necesse est. *Idem.*

Quid tam humile ac muliebre est, quàm consumendum se dolori dare? *Seneca.*

flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Juvenal. Sat. 13.

Crescit dissimulatione ipsâ dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. *Iustin. l. 8.*

leret. Hac pœnæ atrocitate confirmabatur fides crediti ac mutui. *Gell.lib.20.c.1.*

Hinc apud Persas duo ista pro grandibus peccatis habita sunt *debere* & *mentiri:* nam ea judicabant cohærere, quod qui sunt obærati, sæpius cogantur mentiri.

De Divitiarum ubertate ac splendore; De Divitum bonorum moribus; De Divitum improborum moribus, Vide *Theat. Ing. Humani. c.16.17.18.*

Apud quos falsò divitiarum nomen invasit occupata paupertas, sic divitias habent, quo modò habere dicimur febrim, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus. Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est: Divitiæ illum tenent. *Seneca.*

Divitiæ apud Sapientem virùm in servitute sunt: apud stultum in imperium. *Idem.*

Desine Philosophis pecuniam interdicere. nemo sapientiam paupertate damnavit. *Idem.*

Cum pecunia arcas nostras oneraverit, quid aliud, quàm beatè serviemus? *Idem.*

Multis paraffe divitias, non finis miseriarum, sed mutatio fuit. *Seneca.*

Securius divites erimus, si scierimus, quàm non sit grave, pauperes esse. *Idem.*

Nemo nascitur dives. quisquis exit in lucem, jussus est lacte & panno esse contentus. ab his initiis regna nos non capiunt. *Idem.*

Non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. *Idem.*

Utinam! qui divitias appetituri essent, cum divitibus deliberarent. Profectò vota mutassent. *Idem.*

Eant ut volent res humanæ dum animo compositio sua constet. *Idem.*

Densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quàm latè patentes errores cæcas precationes tuas spargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis, qui complures pessumdederunt. Regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis conjugiis injicis manus

manus. at hæc, ut aliquando illustrant: ita nonnunquam funditus domos evertunt. &c. *Valer. Max. l. 7. cap. 2.*

De Divitiarum laude nos in *Tyrocinio Eloq.* egimus Oratione 19.

HORATIANA.

—— Si proprio condidit horreo,
Quicquid de Libycis verritur areis.
—— Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas. Od. 1. l. 1.
—— Non opimas
Sardiniæ segetes feracis.
Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum.
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ taciturnus amnis.
Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna vitem. Dives & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce. Od. 31. lib. 1.
—— Quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine. &c. l. 2. Od. 12.
Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ, te bis Afro
Murice tinctæ vestiunt Lanæ. Od. 16. l. 2.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Iactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus. Od. 1. l. 3.
Cur invidendis postibus & novo
Sublimeritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operosiores? Ibid.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa. &c nota totam odam XVI. lib. 3.

Intactis

Intactis opulentior
Thesauris Arabum & divitis India
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis & mare Ponticum. Od. 24. l. 3.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati. lib. 4. Od. 9.
Non ut juvenis illigata pluribus
Aratra nitantur meis,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua.
Nec ut supremi villa candens Tusculi
Circaa tangat mœnia. Epod. 1.
Protinus ad censum. de moribus ultima fiet,
Quæstio. quot pascit servos, quot possidet agri
Iugera. quàm magnâ multaque paropside cœnet.
Juvenal. Sat. 3.
turbâ cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno. h. e. fertur lectica: quarum usus ex Liburnia. *Ibidem Iuvenal.*

DIVORTII, *Repudii.* Vide *Conjugii. Amoris.*

Remittere repudium alicui. Renunciare repudium alicui.

Repudiare conditionem alicui. Faciat repudiosas nuptias.

Is me nunc renunciare repudium jussit tibi. Repudium rebus paratis atque exornatis nuptiis?

Romæ tanta olim fuit concordia, ut usque ad 500 & 20 annum nullum divortium inter virum & uxorem intercesserit. *Borcholten.*

Divortium, dictum est à diversitate mentis, vel quod in diversas partes eant, qui distrahunt matrimonium.

Post divortium cum tali contrahere matrimonium non licet. Talis e. conjunctio nullam adfert cognationem nec, qui nati sunt, liberorum nomen sortiuntur. *Idem.*

DOCEN-

DOCENDI. *Instituendi.* Vide *Eloq. Librorum. Praeceptoris. Scholae. Doctrina. Educat. Discipl.*

PUdore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu. *Terent.*

Hoc patrium est, potius consuefacere filium sua sponte recte facere, quàm alieno metu. *Idem.*

Quo quis est ingeniosior & solertior, hoc docet iracundius & laboriosius.

Politum esse in artibus. Omni Doctrina esse eruditum. Instructum esse doctrinis.

Magnam Doctrinae sapientaeque speciem prae se ferre.

Eloquentiae illa Dea nos quoque adspexit; sed in parte, & lumine, ut sic dicam, altero. *Lips.*

In secretariis literarum esse exercitatum. Homo omnium Literarum supellectile instructissimus.

Salomon instituturus Filium, pulcherrimam collo bullam aureamque torquem pollicetur.

Ut nihil prosit clavis aurea, quae non aperiat: sic splendida illa doctrinarum, quae ad haec sacraria non ducunt. *Lips.*

Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est, habere, quantum legas. *Seneca in Epist.*

Fastidientis stomachi est, multa degustare, quae ubi varia sunt & diversa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, & si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi. *Idem in Epist.*

Et eum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. *Ibidem.*

Soleo enim in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. *Ibidem.*

DOCTRINAE. Vide *Eloq. Musarum. Literarum. Diligentia. Docendi. Philosophia. Artium.*

DE Professione Literaria vide eximium tractatum in Theatro Ingenii Humani, *Cap. 9. lib.* I.

Sapiens cum Diis ex pari vivit. *Seneca.*

Quemad-

Quemadmodum quædam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio prava dolore corporis animique corrigimus. *Idem.*

Ingenium Ciceroni fuit & operibus & præmiis operum felix. *Seneca.*

Ingenium erat, in quod nihil juris haberent triumviralia arma. Idem.

Nemo tanti emit Ciceronis vitam, quanti vendit Antonius. *Idem.*

Quoad humanum genus incolume manserit; quamdiu usus literis, honor summæ eloquentiæ pretium erit. quamdiu Reip. nostræ aut Fortuna steterit, aut memoria duraverit, admirabile posteris vigebit ingenium. Et uno proscriptus sæculo Antonium proscribet omnibus. *Idem.*

Omnia potius subeunda, quàm monumenta ingenii sui ipsum exurere. *Idem.*

Nunquam magnis ingeniis cara in corporibus mora est. *Idem.*

Aristippus interrogatus quid Filio profutura esset eruditio. Resp. saltem in theatrum cum venerit, ne lapis super lapidem sedeat.

Idem melius duxit esse mendicum, quam inscium; Equidem pauper nihil præter fortunam opus habet, indoctus caret ipsa humanitate.

Poetæ finxerunt Minervam ex Jovis cerebro natam; sed ita ut primum in minutissimas sectam particulas Vulcani malleo.

Alphonsus aliquando cum audisset Hispaniæ aliquem Regem dicere, Principi non convenire literas, dixit: *Bovis illa vox, non hominis.*

Socrates sapientissimus ex Oraculo habitus, dixit in eo se doctum esse, quod sciret se maximè esse indoctum.

Solon fertur discendi sic fuisse cupidus, ut amicos de quæstione disputantes jam jam moriturus levato tamen capite, de illa interrogaverit: *quam si didicero,* inquit, *multo jucundius moriar.*

Cleanthes

Cleanthes hauriendâ aquâ per noctem tantum sibi lucratus est, ut de die studiis incumberet.

Diogenes ab Institutione Antisthenis nullo modo removeri potuit. *Verbera*, inquit, *quantum potes, nullum tamen reperies baculum, quo à te, modò aliquid didicero, me avertes.*

Chrysippus fame periisset, nisi uxor Melissa cibum illi in os ingessisset.

Demosthenes in subterraneis cavernis, abrasâ capitis parte, habitavit, ut diligentius studia pertractaret.

Magnus Pompejus profectus est Rhodum, ut imbueretur bonis artibus, nec erubuit Philosophorum januis adstare.

Alexander M. libros Homeri secum sumpsit cubitum, & pugionem supponebat capiti, ut quando somno excuteretur, legeret assiduè.

Apud *Laërtium*: Eruditio juvenibus Sobrietatem; senibus Solatium; pauperibus Divitias; divitibus Ornamentum adfert.

Themistocles interrogatus, cui Filiam suam in matrimonium daturus: An pauperi, sed docto; an diviti indocto? *Resp.* malo virum qui pecunia egeat, quàm pecuniam quæ viro.

Mitylenenses Literarum illis usum ademerunt, quos gravissimo afficere supplicio volebant.

Iulianus Apostata, ut facilius Christianos subjugaret, philosophiæ illos exercitio privavit.

Socrates pulcherrimum in terris animal, Hominem doctrina excultum judicavit. *Thales* rogatus, quem felicem haberet: Qui animo eruditus, inquit, corpore sanus.

Cleanthes pluris fecit mendicum, quàm hominem indoctum.

Plato dixit doctos ab indoctis tantum differre, quantum Medici ab ægrotis.

Diogenes hominem indoctum onus terræ gravissimum vocavit.

Candida Musarum fores. De iis, qui minimè aliis literas invident.

Magnam

Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates.
Magnumque si pectore possit
Excussisse Deum. Virg.
Dediscit animus sero, quod didicit diu. Seneca.
Vivitur ingenio: cætera mortis erunt, Ovid.

In Sphinge Philosophica cap. 25. De Artibus Liberal. Quomodo sæpenumero indignis Juvenibus Laurea detur Doctoralis.

Venit, inquit, stultus juvenis ad templum, *Doctoris insignia recepturus*; Præceptores illum sui celebrant, seu amore seu errore; tumet ille, vulgus stupet, applaudunt affines & amici. Ipse jussus cathedram adscendit, cuncta jam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans. Tunc majores certatim ceu divina locutum laudibus ad cælum tollunt: tinniunt interim Campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus ac Magistralis Bonetus apponitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Ovidio cognita. *Sic fiunt hodie Sapientes.* Verus sapiens fit aliter.

Perhibere liberalia studia, non illa quibus perfundi satis est; sed hæc, quibus tingendus est animus. *Seneca.*

Nam ille alter fortasse tanquam phœnix semel anno quingentesimo nascitur: nec est mirum ex intervallo magna generari. *Idem.*

Unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima ætas. *Idem.*

Quoniam ipsa vita, quâ fruimur, brevis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere debemus. *Sallust.*

Eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus, gloriâ æterni fierent. *Idem.*

Ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. *Idem.*

Exempla enim omnia jacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet. *Cicero.*

Qui

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. *Seneca.*

Plus sapit interdum vulgus, quia tantum, quantum opus est, sapit. *Idem.*

Romæ Grammatici, Rhetores & Medici, & qui in patria sua has artes exercent, à tutela & curâ habent vacationem: quam LL. Doctores in aliquo præsidiatu docentes non habent. Romæ verò vel in celebri Gymnasio docentes omnino habent. Grammatici hic non sunt, qui primas literas pueros docent; sed qui ab Homero aut Virgilio incipiunt, *L. 2. ult. C. de vacat. mun.*

Equum ad cursum apertus & liber circus provocat. animum ad studia vagans vacansque aura. Sylvam illam viridem videt? hîc carmen avet, aut hymnum pangere. Horti illam purpuram? hîc cum libellis suis decumbere. Aquæ illud murmur? ad eam altiore cogitatione, abjici. Et nocte ipsâ, aut sub eâ pictum illud patensque cælum eum capiet, & inter tot stellas errantes, aut inerrantes, à curis terrisque erro, mente scandet super illas &c. *Lips. Epist. lib. 1.*

Si aliquid in Philosophiâ est boni, hoc est, quod stemma non inspicit. *Seneca.*

Timantem pictorem celebrant, quod in ejus operibus plus semper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur, velim in meâ scriptione. *Lips.*

Quis Polydamas ausit illum Hectorem qui Diis Hominibusque faventibus tenet profectò ac tenebit hoc regnum? *de Scalig. Lips.*

Quæso, mittamus tenuem subtilemque nimis hunc colorem, & Apellæas, ut sic dicam, lineas. *Idem.*

Musæ lato & læto limite ad Sapientiā ducunt. *Idem.*

Eò jam pervenit, ut bullam ponere, & togâ liberâ possit insigniri. *Idem.*

Sed, conscientia eos convincit. testor eam & appello. Stilum nostrum aliquid vivum, alacre & eruditum habere: quod ipsi magis ore, quàm corde spernant. Novimus hoc genus miselli. manent in suis præceptiunculis: hoc Exord. hæc Narratio; hîc Allegoriā; hîc Metaphora. Et præclare censent se Ciceronem inter-

Scandet cum tacitâ virgine Pontifex.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.
Utcunque defecere mores
Dedecorant bene nata culpa. Od. 14. l. 4.
O Testudinis aurea
Dulcem qua strepitum Pieri temperas,
O Mutis quoque piscibus
Donatura Cycni, si libeat, sonum.
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium. Ibid. Od. 14.

Institutio Principis.

Imbuat proinde futurum generis humani rectorem. 3. *Annal.*

Bonis recordationibus, firmetque animum ejus constantibus exemplis. 4. & 16. *Annal.*

Ut id primum discat è paternis consiliis, se ita natum esse, ut bona malaque sua ad Remp. pertineant. 4. *Annal.*

Ita enim, cum solus arbiter verum fuerit jure, ac nomine regio, magistros exuet, satis amplis Doctoribus instructis, majoribus suis. 14. *Annal.*

Cum *Antipater* fœdus cum Lacedæmoniis iniret, & ab his quinquaginta pueros obsides postularet, prudenter Lacedæmonii responderunt: centum potius viros, quàm decem pueros exponendos. Hoc docens, peregrinam educationem semper aliquid monstri advexisse.

DE DOCTRINA Romanorum lege Romam illustratam. 1. *Lips.*

Nos doctrinam laudamus Oratione 17. in Tyrocinio Eloquentiæ.

DOLI. *Fallendi. Astutiæ.* Vide *Insidiarum. Proditionis.*

LUdi dolis. Frustra aliquem habere. Quis præstigiator hanc frustratur mulierem? *Plaut.*

Protrudere dolum. Nihil in illa re captio est.

Quas

Quas tu mihi tenebras cudis? Albis dentibus aliquem deridere. *Plaut.*

Labiis aliquem ductare. Meum exenteravit marsupium.

Me habet venalem. Seni verba dare difficile est.

Astu rem tractare. Mimica usus est techna.

Ut colubrino ingenio ambo estis. *Plaut.*

Ego inveni lepidam Sycophantiam. Hominem in transennam ducam doctis dolis. *Idem.*

Quidnam hic vult veterator sibi? Ad fraudem callidum esse. *Idem.*

Multis hujusmodi futelis foro cognitus est. Callidissimæ fraudis odor ad me pervenit. Qui ad fraudationem callidum ingenium gerunt.

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen:
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.

Laureum gesto baculum. Solent illi dicere, quibus insidiæ struuntur, quod laurus mala arcendi vim habeat.

Ἄστυ Græci vocant Civitatem, ut Homerus persæpè. Sic Athenienses vocabant urbem suam. Hinc Astutiæ, astuti dicti, quoniam qui in urbibus degunt callidiores sunt in agro degentibus.

Lysander quum quidam ei probro daret, quod pleraque dolo & fraude gereret, ridens dixisse fertur: ubi quis quod vellet, non assequeretur, leonis exuvio vulpinum applicandum. Sentiens quod honestis rationibus non possit effici, id fraude esse efficiendum.

Adspectus Atticus, hoc est, vultu insidioso est. Attici ob impudentiam malè audiebant.

Odyssea machina. In callidos. Ille instructus omni Ulyssea & multiplici machina vitam suam consumebat, Ulysseam & Themistocleam calliditatem supergressus.

Cum omnia caveris, per ornamenta ferieris. *Seneca.*

Decipere inquit *Plinius*, pro moribus temporum prudentia est.

Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Objicit. Virgil.

Agis

Agis mecum malè. nec ut bonus pugil, legitimo nexu dejicis me, sed per argutias supplantas. *Lips.*

Falsa gemmulâ puero aut rusticulo potest quis imponere, gemmario mangoni nunquam. *Idem.*

In Dissimulatorem.

Omnia dissimulas, & vis tamen unus haberi
Omnibus; ad speciem sufficit esse probum.
Divideris totus; discordant linguaque mensque:
Sed nihil in toto est, quod liquet esse tuum.
Protheus in varios transis mirabilis usus:
Sæpè tui mutat qualibet hora fidem.
Altera sacrificat donis manus, altera telis
Pugnat, & in partes ingeniosus abis.
Odimus ex uno qui lumine ridet & odit:
Hac pacem, atque illâ bella minasque crepat.
Ille placet solus, cui verum manat ab ore,
Nec mentem fuco dissimulante tegit.

Pisistratus Atheniensis ipsus se vulneravit. Sic saucius in forum delatus, sanguinem & vulnera civibus ostendebat. Nec omittendum Solonis hîc dictum, qui dolum odoratus ei ingessit: *Non rectè*, inquiens, *ô Pisistrate Homericum Ulyssem imitaris. Siquidem ille flagris se conscidit, ut hostes falleret, tu te vulneribus ut cives.* Lips. in Mon. & Exempl. Pol. de Fraude c. 5. l. 2.

Sequuntur ibidem Exempla callidæ Adoptionis in alienam familiam.

Rudolphus Austriacus hospitem furem egregiè delusit, per astum vidulo ipsi. in quo ducentę argenti selibræ à Mercatore bonâ fide apud ipsum depositæ.

Et *Galba* quærentis de proprietate jumenti, decrevit, ut ad lacum, ubi aquari solebat, capite involuto duceretur. atque ibidem revelato, ejus esset, ad quem sponte se recepisset. *Lips. in Exempl. Pol. c. 7. l. 2.*

Polypi mentem obtine. Hoc adagio monemur, pro tempore alios atque alios mores sumere. Sic Homerus vocavit Ulyssem πολύτροπον h. e. variis moribus scribit, hunc piscem polypum colorem metu inprimis mutare. Persequentibus eum piscatoribus, petris affigit sese, ejusque colorem cum corpore imitatur, ne queat deprehendi.

Nam

Nam in Jugurthâ tantus dolus, tantaque peritia locorum, & militiæ erat, ut absens an præsens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur. *Sallust.*

DONANDI. Vide *Præmiorum. Liberalitatis.*

QUod donum huic dono comparat? *Plaut.*

Homo cum suo dono quatietur foras. *Terent.*

Pecuniâ aliquem oppugnare. Largitione cæcare mentem alicujus.

Honore Sportulæ aliquem prosequi.

Nulli sua liberalitas erit damnosa.

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque.

Nihil est, tam invictum, nihil tam sanctum, tam pudicum, quod pecunia & donis expugnari non possit.

Ἐχθρῶν δῶρα οὐ δῶρα, κ' οὐκ ὀνήσιμα.
Timeo Danaos & dona ferentes.

Lycurgus Objicientibus: quod Eloquentiæ studio Rhetoribus daret mercedem: si quis, inquit, profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas; sed omnium facultatum dimidium effunderem. Plurimum ab hominum vulgo discrepans, qui periisse existimant, quod liberis instituendis impenditur.

DILIGENTIÆ. Vide *Laboris. Doctrina. Eloq.* &c.

L*Ivius Drusus* execratus à primordiis vitam inquietam dixisse dicitur, uni sibi nec puero quidem unquam ferias contigisse. *Seneca.*

Nihil est, quod non expugnet pertinax opera & intenta cura. Robora quamvis in rectum flexa, recurvabis. Curvatas trabes calor explicat. *Seneca.*

Tam diu discendum est, quam diu nescias, & quàm diu vivas. *Idem.*

Non est solida arbor, nec fortis, nisi in quam fre-

quens

quens ventus incursat. Ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certius agit. *Idem.*

Supra humanos errores est, ac eminentis viri, nihil ex suo tempore delibare. *Idem.*

Turpe est, seni ex Commentario sapere. sub alienâ semper umbrâ latitentes. nisi puto habere generosi, nunquam ausos aliquando facere, quod diu didicerunt. *Seneca.*

Duo Galliæ lumina, *Budæus* & *Turnebus*, ipso nuptiarum suarum die, horas aliquot Lectioni & studiis impendisse, memorant. *Emundus Richerius in obstetrice Animorum.*

In hoc vere, nisi virtutis doctrinæque feceris sementem, frustra cum æstas erit, exspectaveris fructum. *Lips.*

Generosos animos labor nutrit. *Seneca.*

Turpis & ridicula est res elementarius senex. *Idem.*

Nulla res exerceri potest, ab homine occupato. *Id.*

DILIGENTIA.

Sic pensat peccata labor: tristique veterno
Mens hebet, & gelidus pectora torpor habet.
Pro Lauro meritò sudor venit. Hoc juvat illud,
Prô dolor! antiqua pendere labis opus,
Fas odisse igitur deductum ab origine primâ
Crimen, & à vitiis abstinuisse manum.
Herculeis tentanda iterum est Industria *nervis,*
Et tot Cocyti monstra domanda prius.
Ut facis assiduè, Phœbo monitore; nec ullum,
Nieuburgi *renuis ferre patique jugum.*

DORMIENDI. Vide *Somnii.*

EDormivi unum somnum. Noctem totam labore delassatus stertit.

Ubi somnum sepelivi omnem atque edormivi crapulam. *Plaut.*

Lectis nos actutum commendemus. Canthariño ritu adstans somniat. *Idem.*

Somnio operam dare. Dormitum se conferre. Somnum herclè hac nocte non vidi oculis meis.

Concubiæ noctis silentio edormiveram unum somnum.

Statim è cornea porta recta mihi advolat somnium & simulatoris opera Morphei miras animo visiones proponit. *E. Neuh.*

Qui dormiunt libenter sine lucro & magno malo quiescunt. Caput deponit, condormiscit.

Toto proflabat pectore somnum. Placida demittere membra quieti.

Fessos somnus complectitur artus.

Lumina cum placido victa sopore jacent.

Sopor occupat artus. Blanda quies furtim victis subrepsit ocellis; Et cadit à mento languida facta manus.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat.

Datur hora quieti. Pone caput fessosque oculos furare labori.

Defessa toro nunc membra repone. Vix primos inopina quies laxaverat artus.

Placida laxarant membra quiete.

Ronchus propriè significat sonum illum nasi, qui à stertentibus fit dormiendo, *Ronchisso*, est sterto, & naribus insono.

Torus dictus est, quia veteres super herbam tortam vel sedebant vel discumbebant. *Æneid.* 5.

Viridante toro consederat herba.

Lepus dormiens. In eos qui dormire se simulant.

Epimenides, tempore Pythagoræ, missus à Patre in agrum ad custodiendum pecus, in quodam antro obdormivit LXXV. annos. Experrectus verò cum videret omnia mutata, domum revertens, à Fratre omnia didicit.

Smyndirides Sybarita dicebat, se nec orientem vidisse solem, nec occidentem, annis plus minus viginti.

Arsenius tam brevi somno naturæ satisfecit, ut etiam dicere solitus sit, Monacho satis esse, si unam horam dormierit.

Doctus

Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.

Quando quis simulat se dormire ronchissando, ut impunitus mœchetur uxor.

Qui a bruit de se lever matin, peut dormir jusques à disner.

Turpis, qui alto sole semisomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum est. *Seneca.*

Sunt, qui officia lucis noctisque pervertunt; nec ante diducunt oculos, hesternâ graves crapulâ, quàm appetere nox cepit. *Idem.*

Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis:
Illis sera, rubens accendit lumina vesper. Virg.

Exempla Laboriosorum & Diligentium huc refer: quorum copia in aliis locis.

Circumscribatur nox, & aliquid ex illâ in diem transferatur. Aves, quæ conviviis comparantur, in obscuro continentur: ita sine ullâ exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit, & super membra iners sagina, succrescit. Ita istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, fœda visuntur. *Seneca.*

DOLORIS. Vide *Ægritud. Morborum, Cura. Lacrymarum. Tristitia. &c.*

PEr lacrymas argumenta desiderii quærimus, & dolorem non sequimur, sed ostendimus. *Seneca.*

Cui ista firmitas animi est, ut non doleat decessisse amicum suum, nisi jam multum supra fortunam elato? *Idem.*

Plus dolet, quam necesse est, qui ante dolet, quàm necesse est. *Idem.*

Quid tam humile ac muliebre est, quàm consumendum se dolori dare? *Seneca.*

flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Juvenal. Sat. 13.

Crescit dissimulatione ipsâ dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. *Iustin. l. 8.*

Niobe nomen Filiæ Tantali Sororis Pelopis, uxorisque Amphionis. hæc in saxum versa ex dolore, quando ex fœcundissima matre ad orbitatem redacta, exstinctos vidisset filios filiasque omnes: quos Apollo & Diana sagittis transfixerant. Hæc in saxum diriguit atque obmutuit. *Ovid. Trist.*

Exigis ut Priamus natorum funera plaudat,
Et Niobe festos ducat ut orba Choros.

Dolores omnes, ut insultant ignavis, ita persistentibus cedunt. *Ammian. Marcell.*

DUBITANDI.

Dies incertat animum meum. Mihi unus scrupulus adhuc restat.

Animos suspensos tenere. Animus multitudine distrahitur.

Ancipiti cura distrahor. Utram in partem me dem ignoro.

Teneor implicatus. Animus in utramque partem inclinat.

In utramque partem ita multa succurrunt. Difficilis mihi deliberatio est.

Impedita mihi est consilii ratio.

Animus in consilio labat. Certa conjectura non est. In bivio sumus sententiæ.

Eheu! ei rei quàm ego adhuc sum parvulus.

Animi decem in pectore incerti certant. *Plaut.*

Sæpè mihi dubiam traxit sententia mentem. Incerto fluitans errore vagaris.

Diversaque vocant animum in contraria curæ.

Nunc adeo quæ sit dubiæ sententia menti Expediam.

Qui circa salem & fabam, in eos dicebatur, qui se simularent scire quod nescirent. Si quidem divini aliquid responsuri, fabam & salem apponebant.

Res dubiæ in optimam partem interpretandæ sunt. *Nicetas.*

DUCUM. Vide *Principis. Magistratus.*

IMperatorum res adversæ authoritatem minuunt. *Cæsar.*

Discordes Imperatores facile possunt interfici. *Iul. Capitol.*

Est hæc in magnis cladibus præcipua Fortunæ injuria, ut duces ipsos de medio tollat. *Pausan. l.* 3.

Imperator optimus, qui utilia speciosis præfert. *Vellejus Patercul.*

Ratio & consilium sunt propriæ ducis artes. *Tac.*

Ducis summa laus est, ut vel salvus vincat, vel virtute vitam finiens occumbat. *Plutarch.*

Duce dignam mortem, ait Theophrastus, Dux oppetere debet. *Idem in Sartorio.*

Egregii Imperatoris est, non solùm præsentia rectè agere, sed & futura prospicere. *Plutarch.*

Penuria aquæ, fervida æstas, longinqua itinera, solâ ducis patientiâ mitigantur, eodem plura quàm gregario milite tolerante. *Tacitus* 14. *Annal.*

De Imperatoribus vide *Fenestellam* aliosque. Et plura de Ducibus in Principis Tit. & *Goulartio.*

E.

EDUCATIONIS. Vide *Vitæ. Discipl. Precept. Ingenii. Conversat.*

DE Educatione vide *Theatrum Ingenii Humani c.* 1. *libri* 2.

Et *Fatid. lib.* 3. Ejusdem pag. 152.

Si agricolam arbor ad fructum producta delectat Si pastor ex fœturâ gregis sui capit voluptatem. quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, & quæ tenera formaverunt, adulta subitò vident. *Sen.*

Sicut agricolæ, qui plantaria habent, novellas stirpes transferre è natali solo in aliud solent, ut latius lætiusque crescant: sic oportet liberos non genitali solo

ſolo affixos ſterileſcere, & in aliud aliudve tranſlatos robur & incrementum ſumere, & ſuccreſcere in virtute. *Lipſius*.

Sicut medicus libentius atque animoſius operam impendit in Rege ac Principe curando: ſic nos in iis docendis & educandis, qui prodeſſe conſilio atque operâ pluribus poſſunt. *Idem*.

Cato Cenſorius multos bello captos emere conſuevit, ſed ætatis teneræ, quo facilius illos ad ſuos mores formare poſſet. *Eraſm. in Ling*.

Maxima debetur puero reverentia, ſi quid
Turpe paras: ne tu pueri contempſeris annos.

Imo ſi quando libet nugari linguâ, ne tu pueri contempſeris annos. ſed ablega quopiam. *Eraſ. in Ling*.

Naturæ aut ingenio humano nihil confert aut generis claritas, aut aëris ambientis clementia, niſi accedat honeſta educatio.

Sunt a. humana ingenia propemodum uti frutices ac virgulta, quæ ſi commodè & accuratè tractes, facilè:

Exuerint ſylveſtrem animum, cultuque frequenti
In quaſcunque voces artes haud tarda ſequentur
Quippe ſolo natura ſubeſt.

Conſtantis animi viros vel æſtus rerum humanarum, vel malorum convictus & contubernium aliquando tranſverſos agit.

Nullius eſt momenti majorum objurgatio, ſi quando iiſdem vitiis illos obnoxios eſſe contingat.

Magiſtrum nacti improbum, qui facilè ægrotum ac nutantem animum in deteriorem partem applicat. *L. Lemnius*.

Ne obſcœnum dictu, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti
Maxima debetur puero reverentia: ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos. Iuv. Sat. 24.
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeunt animos authoribus.
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Si

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres.
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo,
Nec de se melius cuiquam sperare propinquo
Concedet juvenis. Idem.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitioque carentem?
Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.
Plurimùm enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Iuvenal. Sat. 14.

Educatio prava.

In lecticis crescunt pueri, *inquit magnus Romanæ juventutis moderator*, sericea calcant; inter purpuram repunt. unguenta olent. pecuniâ, præsentissimâ juventutis peste, non carent, discunt, antequam noscant, vitia. Commessationibus & choreis pronubarum virginum intersunt: ubi verba Fescennina audiunt. sæpè Ionicos motus contemplantur. Dehinc, si quid liberius coram parentibus loquantur, quasi eo ipso ingenii & indolis specimen exhibuissent, laudantur. Hisque primùm consuetudo, deinde natura efformatur. *O verè, & Apollinis è Tripode.*

De Educatione vet. Romanorum vide *Camerarium c.52. Cent.1.*

Et *Schonborn. lib.1. cap.8. Ibidem* de Familiis c,10.

De Educat. Liberorum.

PRINCIPIS.

Non legiones aut classes perinde firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum. 4. *Annal. Tacitus.*

Ideo *Augustus* subsidia dominationi Claudium Marcellum sororis filium & M. Agrippam sumpsit. 4. *Hist.*

Mox *Germanicum* per adoptionem à Tiberio adsciri jussit; quanquam esset in domo Tiberii juvenis, sed, quo pluribus munimentis insisteret. 1. *Annal.*

Proinde juventæ liberorum rudimentis adsit. 4. *Annal.*

Esse Deo curæ securitatem nostram, esse ultionem 1. *Hist.*

Et virtutem proprium esse hominis bonum. 6. *Hist.*

Id primum è paternis consiliis discant. 3. *Annal.*

Adsit præterea ipsis aliquis claritudine studiorum dilectus. 12. *Annal.*

Nec doctrinâ tantum, ore tenus exercitus, sed qui animum bonis artibus induit. 15. *Annal.*

Non in levi habendus educationis locus, qui præter bonam integramque juventutis naturam ab illecebris peccandi arceat. *Agric. Tac.*

Eloquentiæ gloriâ inprimis nitescere studeat. 12. *Annal.* &c.

EBRIETATIS. Vide *Abstig.*
Convivii. Vini. &c.
De Potatoribus vide *Epist.* 51. *Lips.*
Cent 3. *Miscell.*

QUæ gloria est capere multum, cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, cum superstes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fueris, vinceris à dolio. *Seneca.*

Vide Fatid. *Ed. Neuhusii pag.* 153. *l.* 3. *Fatid.*

Plutarchus tradit apud Ægyptios nefas fuisse Sacerdotibus gustare vinum. nunc plerosque videmus ebrios baptizare pueros. *Erasm. in Ling.*

Cum absente loquitur cum ebrio qui litigat. *Ibid.*

Quidam exorsus apud Sacerdotem ebrium, sensit hominem altum dormire, surrexit atque abiit interrupto sermone. Hoc digresso successit alter. Cumque rursus obdormivisset excitavit hominem confitens,

tens, *non* inquit, *audis, quæ dico?* ille somno delirus, existimans eundem hominem esse, *probè audio*, inquit; *dixeras te effregisse scrinium vicini tui.* Confessor incanduit. *Idem ibidem.*

EGESTATIS. Vide *Paupertatis. Famis.*

AD Egestatis terminos aliquem redigere. Horrido oblectabat pane vitam, in pannis & inopia. *Terent.*

Res nostræ sunt pauperculæ. Egestas mihi est rei nummariæ.

Unam agri glebam possidet. Ex mendicitate, & cœno, atque tenebris emergere.

Græca facundia se exercere. Rerum necessariarum inopia conflictari.

Defectu alimentorum laborare. Vacuus mihi venter crepitat.

Lupino impetu exspectare prandium. Genua inediâ succidunt, tenebræ oboriuntur. *Plaut.*

Os amarum habeo, dentes blennos. Lippiunt fauces fame, ita cibi vacuitate venio laxis lactibus. *Idem.*

Mihi inanitate jam dudum intestina murmurant. *Idem.*

Intus ventris fumant foculæ. Consuetudo diuturna callum obduxit stomacho meo.

Iam dudum animus est in patinis. Facite ne pueri esurientes hic quasi hædi obvagiant.

Nihil habet in pilis aut filis homo.

Quemcunque in aliqua laude miramur, cum paupertas in incunabulis nutricata est. *Apul.*

Voluit aliquando solari Diogenem *Alexander*, ipsique obtulit suum in omnibus auxilium. Nihil egeo, mi Rex, respondit Diogenes, quam pera & pallio meo.

ELOQUENTIÆ. Vide *Doctrinæ. Litterarum. Docendi.*

ORationem variare atque distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus.

Pagina tua veluti nectaris succo delibuta est. Floridus tui sermonis afflatus. *Lips.*

Pectus tibi Eloquio satiatum est. Monetam Latialis Eloquii Tulliana incude fingere. *Idem.*

Loquendi phaleris natura te ditavit. Minerva tua rancidior est.

Melle eruditissimi oris paginam obleveras.

Symmachus ille homo rem suam bene sapit.

Vir in omni loco paratus. Qui de quacunque re aptè, pru denter, copiosè, explicatè, abundanter, illuminatè & rebus & verbis, numerosèque dicere vult. *Cicero.*

Percolui ista velut digniori quadam sermonis veste. Profluunt hæc mihi ex liquido quodam canali pectoris, *Lips.*

Quis tam cumulatus est honor, quam palma dicendi? De facundiæ tuæ penu boni judicii fructus arrisit. *Symmachus.*

In labris tuis Pitho ipsa Venusque sessitare meritò dicetur.

Qui affectatæ elegantiæ aurâ folles implent.

Madida hæc & natantia verba sunt, quibus nihil expresseris, præter inutilem & plebeium opinionis succum. *Lips.*

Corinthia verba & Ionica. quæ aliàs phalerata & dapsilia dicuntur. elaborata scil. & exquisita. Corynthia opera olim laudatissima. *Cic. pro Rosc.*

Domus referta vasis Corinthiis & Deliacis, dicitur eadem sensu κορινθιάζειν, pro scortari. Quæ Corinthia scorta toties apud veteres nobilitata.

Ionica verba, à mollitie Ionum. *Horat.*

Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo.
Pompam & Venerem dicendi habere.
Flexanimo verborum lenocinio uti.
Cothurnatum dicendi genus adhibere.

Demosthenem ferè de scripto dicere solitum tradunt, adeò ut ne populi quidem flagitionibus adduci potuerit, ut ex tempore dicturus assurgeret. *Erasm.*

Cicero

Cicero cum ad diem præfinitum acturus esset causam apud Centumviros, Erotem servum libertate donavit, non ob aliud officium, nisi quod nunciarat, cognitionem in posteram diem esse dilatam. *Ibidem.*

Diurnate quæso Parnassium hunc calamum in terris. *Lips.*

Aquila in nubibus, quod Græci dicunt verè tu es. Adde plurima pulcherrimi cothurni. *Idem.*

Ille halitus est à suaviorum Deâ. De Apellæis istis lineis Protogenes aliquis judicet, non qui aversi ab hac arte & Musa. *Idem.*

Non decima illa Musa Plautus possit aliquid magis Museum.

Nos quoque sulcos ducimus, sed in pulvere minus erudito.

Ædepol hujus sermones haud cinerem quæritant, *hoc est*, quo poliantur & eluantur.

Non magis Ostreis & Peloridibus gratulor abdomen, quam pectus tibi eloquio esse satiatum. *Lips.*

Ajunt cochleas cum sitiunt aëris, atque illis de cælo nihil illiquitur, succo proprio victitare: ea res mihi usu venit, qui desertus eloquii tui pastu, meo adhuc rore sustentor. *Lips.*

Suada. Suadens & persuatrix, Græci Pitho vocant persuadendi deam, quam in labris Periclis Atheniensis scripsit Eupolis sessitavisse. Hanc *Ennius* Suadam appellavit, scribens Cethegum Oratorem Suadæ medullam fuisse ob eloquentiam.

Et benè nummatum decorat Suadela, Venusque. Horat.

Demosthenes tanta fuit Eloquentia, ut ab Atheniensibus sæpius pro silentio, quàm dicendo præmia tulerit.

De Causis corruptæ Eloquentiæ lege excellentem Orationem Cl. Viri,

D. PIERII WINSEMI.

Historiogr. Fr. & Eloq. Prof.

ORatorum verò Eloquentia, inquit, magis, ut sic dicam, concreta, & rebus serviens habebatur,

rarò Poëticæ felicitatis & genii particeps, nisi cum gravitate cothurni intonaret.

Eloquentiæ proprium erat, tam latis exercitii sui spatiis diffusa, ut ne natura quidem rerum cederet. Cujus Idæam cum sapiens imaginaretur, Poëta aut Orator exprimebat. Qui ubi ad forum aut lubricum tribunal processit, & causæ Orator factus est, qui fuerat universi, arctatum ejus pomœrium, qui omnia possederat. *Idem.*

Cum soluta verborum ubertas, & in peculiarem sibi licentiam effusa per omnium rerum spatia vagaretur, essetque nihil pulchrum atque ornatum in naturâ, quin perpoliret Eloquentia. *Idem.*

Orator augustorum Regum atque Principum felicissimus æmulator, quorum potentiæ latitudo imperii certissimum argumentum est. Adeo certè, ut in clientelam veri Oratoris se dedisse videatur, quicquid aut divini, aut naturæ nomine vetustatis argutia expressit. *Idem.*

Post verò, ubi aut accusantium officiis aut reorum defensionibus se devovit sui juris ac antiquæ Majestatis decoctrix eloquentia verborum inanem copiam consecuta rerum possessione exturbata est. *Idem.*

Ab eo fuit, ut Græcæ Eloquentiæ majestas, an dicam ubertas in inane litigium, & frivolæ contentionis clamorem degeneraverit, animosque ac sensus movere suavi grandiloquentiâ frequens fastidia circumstantis coronæ, aut inertis judicis cieret. Ipsa quoque Roma, velut Græciæ laudis & Eloquentiæ hæres desciscentis subsellii loquacitatem traduceret, tristisque causidicinæ aut ineptæ vocis opprobrio prioris facundiæ gloriam obrueret. *Idem.*

Cum inter sordidas præconum actiones & inutilium formularum ridendam morositatem vetus Eloquentia delitesceret, instarque herbæ inter spinêta emorientis, calore aut alimento destituta languesceret. *Idem.*

Cum inter classici sonum, aut personantes Hispaniæ & Pœnorum littora tubas arma Eloquentia sic exerce-

exerceret, Pacisque olim & fœcunditate & otio fota, ne ad strepitus quidem castrorum, aut rauci æris inhorresceret. Cum horridam & intonsam sub galeâ canitiem & Imperatorii corporis honesta exercitatio & Eloquentiæ calor sudore perfunderet &c. *Ibid.*

Atque hoc Eloquentiæ, etiam per adversa se acuentis, territorium fuit; ut in acie, in comitio, in curiâ, in judicio, in porticu; in palæstra haberetur, amplitudinem sui imperii accidi tum demum passa, cum sensim abortiens illustre & clarissimis imperatoribus frequens exercitium, officio venalis linguæ, & despectæ mercedis, ad imitationem Græcæ levitatis, manpavit. *Idem ibid.*

Poëta v. cui liberior spiritus & cœlum suum imitatus, nihil angustum, nihil invium faciebat, cum ingenio majestatem imperii retinuit. *Idem.*

Hoc tantum probasse sufficiet, pulcherrimam Eloquentiæ faciem amotis nævis, cum fortuna Romani imperii se ostendisse, quæ tum clarissimos Oratores peperit, cum magnitudine rerum maturuit. Cum distinguentia noctem sydera, & omne cœlum in ditione illius urbis curreret, quæ mole suâ desidens, nec summam felicitatem, nec Eloquentiam ferebat. *Idem.*

Providentiæ arcanum sub fuisse quoque videatur, quo antiquæ claritudinis, & domesticæ pacis decora convellendo, tanti imperii & omnium artium ruina se pasceret. *Idem.*

Initia & progressus Eloquentiæ ejusque occasus in eadem Oratione hactenus. *Hactenus VVinsemius.*

Instar Olympicæ tubæ, Dictio pugnax & aures acri stimulo vibrans intelligitur. in modum Olympicæ buccinæ. In vehementem Oratorem. Talis Pericles Atheniensis, qui dictus est tonitru quodam Græciam collidere. Sic effusam Eloquentiam Nili Cataractam vocamus. Sic *verba byssina* &c.

Deest illis Oratorius vigor, stimulique quos quæris, & subiti ictus sententiarum. *Seneca.*

Mors

Mors Ciceronis.

Cicero prominenti ex lecticâ præbentique immotam cervicem caput præcisum est. Manus quoque scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi sæpe consularis ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione Eloquentiæ auditus fuerat: vix attollentis lacrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant. *Seneca.*

Cicero paullùm remoto velo, postquam armatos vidit: Ego verò consisto, ait; accede veterane, & si hoc saltem potes rectè facere, incide cervicem. *Ibidem in Suasoriis.*

Præcipuè tamen solvit pectora omnium in lacrymas gemitusque visa ad caput ejus deligata manus dextera, divinæ Eloquentiæ ministra. *Ibid.*

Ingenium Ciceronis admiror, quod solùm Rom. Populo par imperio suo habuit. *Idem.*

De pulchritudine Eloquentiæ *Caussinus agit cap.* 2. *lib.*1.

Pantarba lapillus est, ut pulchritudine insignis, sic virtute admirabilis, ardet enim suavi fulgore & radiis perstringens oculos, diem vel mediâ nocte accendit. at quod mireris, ad ipsum lumen, spiritus est adeò efficax, ut longius disjunctos inter se lapides concilet &c.

Quæ omnia mirificè Eloquentiæ conveniunt. Si lux quæritur, quid illustrius: Si vis, quid potentius? Si latebræ, quid occultius? Ipsa enim non modò lucida est, sed eos quibus dominatur, scientiæ claritate perfusos, magni quoque nomine celebritate nobiles facit. &c. *Plura ibidem vide.*

De *utilitate Eloquentiæ* Clariss. *Caussinus* legatur c.3. lib.1. ubi sic ait: Nec ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt & irritant, ut hortatur ad virtutem & gloriam Oratio. Vigorem mentis

mentis ad objecta pericula erigit, imo & metu conterritos penéque jacentes constanti roborat hortatione.

Eloquentia parat simul & tuetur amicitias, adsciscit nationes, complectitur provincias: quâ non aliud in civitate nostrâ ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii, atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. &c. *Ibid. ex Tacito de Claris orat.*

De Vi *Eloquentiæ* cap. 4. *Idem.*

De *Ortu* & *Progressu* Eloq. *c.6. ibid.*

De *Honoribus Rhetorum* c. 7.

Hic *Author* Eloquentiæ studiosis plurimum proderit, tum ob dictionis superbam allegoriam, tum ob copiam exemplorum.

Cum quo, præ cæteris conjunge Cl. VOSSIUM, & *Palatium Reginæ Eloquentiæ.*

Gymnasium Eloquentiæ Parentis mei p. m. suam hîc laudem meritò meretur. Hoc assiduò in manibus fiat Adolescentibus. Quod opusculum plurima habet præcepta admodum concinna & utilia.

De *Veterum Eloquentiæ authoribus* agitur c. 16.

Qui potissimum Authores sumendi. c. 17.

Quo ordine legendi authores, *c.* 18

De *Lectionis Commendatione* & variâ ad illam formulâ c. 18. & reliquis.

De *Commendatione Exercitationis* Eloquentiæ c. 26.

De *studii Oratorii* delineatione c. 11.

Nos Eloquentiam laudamus in *Tyrocinio nostro* Oratione 6. c. 27.

Non excluserim hoc illustri loco libros inprimis *Floridorum Apulei:* qui author vere sales Atticos sapit.

De vi Eloquentiæ vide *c. 9. Val. Max. l.* 8.

De Eloquentiâ exercendâ, quæ sapientiæ est organum, pulchrè tractat *Emundus Richerius* c. 5. sect. 1.

Ibidem de stylo Ciceroniano exprimendo agit. Sect. 3. ubi quoque Ciceronem adversus calumnias defendit.

Eloquen-

Eloquentiæ tantum ſtudens, facilis ab hac in omnes artes diſcurſus. *Seneca*.

Deerat illi Oratorium robur, & ille pugnatorius mucro. *Idem*.

Romulus horum mœnium conditor, & ſacratus cœlo parens, non tantam urbem fecit, quantam Cicero ſervavit. *Seneca*.

Eloquentia adhuc nulli ſic indulſit, ut tota contingeret. Satis felix eſt, qui in aliquam ejus partem eſt receptus. *Idem*.

Sed in eo ſuaves, quod orationes me negant ſcribere. Vellem dixiſſet, edere. agnoſcerem, & cauſam darem, cur laudem non quæram in hac arenâ. De ſcriptione quis abnuet? qui vel puerum me novit. jactantiam omittamus, ſed. audi ſimpliciter. Hæc palæſtra mea vetus eſt, hoc ſtudium, quò uſus me duxit & natura. Vix duodecennis orationes ſcripſi, habui: pueriles ſcilicet; ſed, quas gravior etiam ætas laudaret in illâ ætate &c. *in Cent. 2. Epiſt. Lipſ.*

Hercules Gallicanus ille, quem majores noſtri coluerunt eloquentiæ præſidem, in te revixit, & ille es, qui velut catenis devinctos trahis audientium animos in quamcumque partem tibi viſum. O utinam fas mihi reguſtare tua mella! quia ut ii, qui à dipſade percuſſi ſunt, magis magiſque ſitiunt, ſic nos, qui ſemel à telo tuæ linguæ. *Lipſ. in Epiſt.*

In malum Poëtam.

Carmina conglomeras quod plurima nocte ſub unâ,
Inque tuos cogis verba ſoluta modos,
Vis Vates dici, propiuſque accedere Muſas,
Et partem doctas inter habere Deas.
Falleris, & longum diſtas à limine Famæ,
Ingenii nimium credulus ipſe tui.
Cyrrha tibi ut pateat plenis uberrima rivis,
Utque ſacram ſedet Caſtalis unda ſitim:
Fac Suada Sophiæque lites Helicone ſub ipſo:
Non venit ad fucos Laurus honoſque rudes.

E quo-

EQUORUM. Vide *Animalium, Eleph. Canum.*

PRobo *Imperatori* oblatus è captivis equus Scythicus (Vopisci verba) nec decorus, nec ingens, qui centum in die milliaria currere diceretur, ita, ut ad decem aut octo dies continuaret.

Plinius, Sarmatæ, inquit, longinqua itinera acturi inedia pridie præparant eos, exiguum tantum potum impertientes. atque ita per centena milliaria & quinquaginta, continuo cursu euntibus insidet. Vides Pegasos alatos. *Hac Lipſ. in cent. ſing. ad Italos.*

De Equorum domitoribus & aurigis consule Textoris *Off. c.* 80. *l.* 4.

ELEPHANTORUM. Vide *Canum. Equorum. Animalium.*

NOn obscuro indicio Curatoris sui furtum *Elephantus* significavit; cum diurni hordei demensum, quod præsente domino, integrum acceperat, producta probuscide, intentisque in herum oculis, partem diarii alteram, qua fraudari illo absente solebat, removeret. *Lipſ. ex Plut.*

Alius Magistri sui parricidium patefecit; cum defossum ad præsepe uxoris cadaver cornibus pedibusque erueret, atque eò ductam recenti matrimonio fœminam pertraheret, ut cui innupsisset viro, cognosceret. *Lipſ.* 1. *cent. Epiſt.* 50.

Alius ultus est tantum scelus. Elephantistæ uxor mœcho corpus prostituebat. Videt bestia, non fert domini injuriam: irruit & in ipso complexu utrumque dentibus transfigit. Lege super hac re nobilem. *Epiſt. Lipſ.* 50. *cent.* 1.

De Elephantis vide Tractatum *Philippi Camerarii cent.* 1. *c.* 25.

EMENDI. *Vendendi.* Vide *Pecunia.*

MAlè aliquid conducere. Auctionem facere.

Extrudere aliquem mercatum. Græca fide aliquid mercari, *id eſt*, præsente pecunia.

Allium,

Allium, pisces præstinatum abire. Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.

Ego eo in macellum, ut piscium quicquid est præstinem.

Vide ne quisquam pertundat crumenam, cautio est.

Tua merx est, tua indicatio est. Emit eam dono mihi. Quos tam grandi sim mercatus præsenti pecunia.

Laudat venales, quas vult extrudere merces.
Vino vendibili suspensa non opus est hedera.

Impenso pretio vendere, hoc est, magno pretio, ut explicat *Turnebus*. Impense adverbium significat valdè.

Impp. *hastam* pro auctione posuerunt.

Hasta praesse. h.e. forensibus ac privatis expeditionibus. Romani in honorem Romuli, qui ab hastâ Quirinus dicebatur: omnia ferè solennia per Hastam significabant. Hinc in rebus auctione distrahendis hasta quoque adhibita. Quod sub *hastâ vanire*, & *Subhastatio* dictum.

Cicero *Hastam ponere* dixit, pro eo, quod est publica civium bona. auctione vendere: cujus venditionis insigne erat hasta.

Hasta scelerata & cruenta, quod sceleratorum opes commissas & publicatas vel bello vel sanguine quæsitas vænire moris fuerit.

Res subhastatas dixit Cicero, quæ sub hastâ venales propositæ.

Hastam mittere solebant veteres ad illam gentem, cui bellum indicebant. Quod de *Sudibus praustis* Livius. Scimus, ait *Polybius l.* 4. Carthaginenses cum bellum vellent, Romam hastam misisse.

Hasta imperii & armorum insigne fuisse, ait Festus. Igitur Proconsules de civilibus provincialium cognoscentes, *hastam pro tribunali* erigebant. Et in facinorosos animadvertentes *gladium* erigebant. &c. Vide plura in Lexicis ICtorum.

Et

Et præbere caput dominâ venale sub hastâ.
Juvenal. Sat. 3.

Auctionem vendere. Idem est quod auctionari. Sic dixit Cicero in oratione pro Quintio.

Eme die cæca hercle olivum: id vendito oculata die. Cæca die, hoc est, pecunia non numerata; sed solutione in diem prolata. *Vendito oculata die*, hoc est, præsente pecunia. *Plaut.*

Mercurius à Græcis Hermes. ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, h. e. ab elocutione.

Truncoque simillimus Hermæ.

Qui est index viarum. Aliàs dicta *statua Mercurialis.*

Lege Horat. l. 1. Carm. Od. x.
Mercuri Facunde Nepos Atlantis
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus & decoræ
More Palæstræ.

EXCUSANDI. Vide *Erroris. Pœna. Ignoscendi.*

Ferendus est adolescens, si se excusat. non est, si ulciscitur. *Seneca.*

Non is homo placet, qui ubi malè fecerit, se purgat. *Plaut.*

Purgare se alicui. Expurgare se alicui. *Plaut.*

Neque tu verbis solves unquam, quod re malefeceris. *Terent.*

Nescio quid peccati portet hæc purgatio. Purgitas te. Non est facile expurgatu. *Terent.*

Excusare propriè est objectum crimen diluere. Translatè in jure, est causam afferre, per quam stetit, quominus factum est, quod fieri vel agi præstarive debebat. veluti si latrones. aut flumina impedimento fuerunt, ne ad diem à judice dictum adesse possem.

EXAMINANDI.

Examen de aliquo habere. Subdere aliquem examini. In aliquem exercere cen suram.

Peri-

Periculum facere morum alicujus. Aurificis ſtatera aliquid probare.

Trutina populari aliquid examinare.

Caſtigare aliquid in trutinâ. ad lapidem quaſi Lydium aliquem probare. A ſecretiore receſſu alicujus ſcientiam rimari. Faxim, conſtet mihi de penetrali mentis tuæ. Quicquid intus abſtruſè recondis, videbo mox tanquam reſeratâ Momi feneſtrâ. &c.

Deguſtare virtutes alicujus. Ubi partes ſub examine conſtituerunt.

Unaquæque res examinanda & momento ſuo ponderanda. *Cic.*

Diligenter examinare verborum pondera. *Idem.*

In ſuos agere morum delectum. Ego hoc meis ponderibus examinabo. *Symmachus.*

Antevertere graviſſimi examinis alicujus ſeveritatem. *Idem.*

E r r o r i s. *Emendandi.*
Vide *Excuſ.*

Fugit te ratio. Angiporto toto deerravit.

Aberrare à recta & regia via. Toto cœlo errare.

Convincere aliquem erroris. Multis erroribus implicari.

Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo.

Diſcriminum errores & perplexum velut Dædali callem diligenter tenere.

Quo plus operæ impendunt, hoc ſe magis impediunt: feruntur retro. Quod evenit in Labyrintho properantibus: ipſa illos velocitas implicat. *Lipſ.*

Hic labor ille domus & inextricabilis error. Virg.

De *Labyrintho* lege l.6. Æneid.

Ab iſtâ non pedem diſcedit. *Plaut.*

Ego abſceſſi ſilens paulùm ab illis. Fores omnes proruunt ſe. Non domo exulo nunc. Ille autem bonus vir nuſquam apparet.

Corrigere mihi gnatum porrò enitere. Verum illa ne quid titubet. Hic in errorem homines impulit.

lit. Eodem errore captus, quo nos. Illas errore simul & suspicione exsolves. *Ciceronis* & *Comicorum.*

Erroris & Temeritatis Exempla pete ex *Val. Max.* lib. 9. cap. 8.

EUNDI. *Via.* Vide *Festinandi. Redeundi. Exspectandi.*

GRandire gradus. Non potui meos grandius grandire gradus, *Plaut.*

Testudineum grandire gradum. Movet formicicinum gradum. *Idem.*

Contra pariter fer gradum, fer pedem. Germanam incedis per semitam.

Tu abi tacitus tuam viam: Præterito hac recta platea sursum. *Terent.*

Sanè hac multo propius ibis. Perreptavi omne oppidum usque ad portam. *Idem.*

Grandiorem gradum fac ad me obsecro. Corripere gradum, *est gradum raptim facere.*

Sallustius, inter cætera hoc Catilinæ probro dedit, quod ejus incessus modo citus, modo tardus foret. Laus ergo incessus in homine est, ut immeditatus sit neque affectione infractus.

De Cursoribus, Stadiis, Milliaribus, Leucis, lege *I. Lipsii Epist.* 59. *Cent. Sing. ad Ital.*

Stadia sexcentorum pedum, quæ Græcis in usu. *Pes* a. Græcanicus Romano semunciâ est major. Romani per Milliaria metiuntur, quibus à mille passibus est nomen. *Passus* autem pedes qui nos continet. Et pes Romanus vulgari nostro paullò est major. Octo stadia paullò minus (Plutarchus) in Milliare unum imputantur. Nos hodie per *Leucas* ferè computamus. Prisca, sive Romana Milliaria in nostram Leucam tria veniunt. *Vide hæc in Lipsio.*

EXERCITUS *Numerosi.* Vide *Belli.*

POmpejus in Cæsarem pugnaturus 40 millia peditum, Equitum in sinistro cornu septem millia, in dextro quinque.

Cæsar.

Cæsar in acie habuit peditum 30 millia. Equites non amplius mille.

Mardonius Persa habuit in exercitu peditum ducenta millia; Equitum viginti millia.

Seleucus cum filio Antiocho, contra Antigonum produxerunt 94. millia peditum, equites supra decem millia. Elephantos quadringentos. Currus centum & viginti.

Parthorum exercitus in Antonium habuit 400 millia Equitum.

Cæsar contra Antonium habuit naves ducentas quinquaginta, peditum 80 millia, equitum 22.

Mithridates peditum centum millia, Equitum decem, currus falcatos 90.

Pompejus contra Pyratas habuit quingentas naves, peditum centum & viginti millia.

Assyriorum Rex *Ninus* ad decies septies centena millia peditum, Equitum millia ducenta adversus Bachianos in aciem eduxit.

Semiramis contra Staurobatem peditum ter decies centena millia; Equitum millia quingenta, currus ad centum millia.

Athenienses, duce Alcibiade, supra centum & quinque millia adversus Syracusanos.

Xerxes Persarum R. ultra tria millia navium, in quibus plus quam viginti hominum Myriades numerabantur, contra Græcos armavit.

Quantas denique copias contra Armenias *Mithridates*: *Tigranus* contra Roman. *Darius* adversus Scythas.

Magna fuit Militum manus, qua *Alexander Magnus* terrarum orbem subegit; Qua *Hannibal* Romanis terrorem incussit; Qua M. *Antonius* cum Cæsare Augusto bellum suscepit.

De Exercitu.

Exercitus temere collectus non castra, non ducem noscitat, neque in victoriâ decus esse novit, neque in fugâ flagitium, primo impetu cæsus disjectusque. *Tac. 2. Hist.*

Exerci-

Exercitus ignavus. Non vigor corporibus, non ardor animis. Lentum & rarum agmen, impatiens solis, pulveris, tempestatum, fluxa arma, segnes equi. quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. *Idem 2. Hist.*

Multa de exercitu habet Titulus Exercitus *Goulartii in Philosophicâ Historiâ.*

EXILII. *Asyli.*

Exulatum abiit salus. Exilii causâ solum vertere. Imperare alicui exilium. Desertas quærere terras.

Inviti ab Asylo extrahi non possunt, & qui invitos ab Ecclesia extrahit aut ullo tractatu hoc tentat, capite punitur. *L. ult. in princ. C. de his, qui ad Eccles. confug.*

Jus asyli non datur injuriam facientibus sed passis in *Novel.*17. non igitur Sicariis, Adulteris, &c. συλάω idem est quod rapio.

Cadmum, dum Thebas conderet, primum ferunt Asylum instituisse: quò perfugientes, sive servi, sive liberi ab omni pœnâ tuti.

Alii dicunt prognatos Herculis primos Asylum Athenis aperuisse. Cum enim Hercules è terris commigrâsset, nepotes ejus, eos fortè timentes, quos avus vexaverat, Athenis asylum collocarunt. ut Servius in 2 & 8 Æneid. tradidit, eum Statii locum citans 2. *Theb. lib.*

Fama est, defessos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Sic sacrâsse loco, commune animantibus ægris
Confugium.

Vide plura de his in Lexico *Schardii*, in voce Asyli, aliosque.

Longè præstat, nullo flagitio admisso patriâ excidisse, quàm perpetrato malo aliquo facinore in eâ remansisse. *Dion. l.*38.

Illi, qui semper imperaverit, exilium nequaquam tolerabile. *Procop.*

EXSPE-

Exspectandi. *Manendi. Mora.* Vide *Eundi. Festinandi.*

DUrare nequeo in ædibus. Manere aliquem domi. Præstolari aliquem.

Abi intro, ibi me operire. Quem præstolare, Parmeno, hîc ante ostium. Adventum vestrum in diem placitam præstolamur. Move abs te moram. Mille passuum commoratus es cantharum. *Plaut.*

Homines spissigradissimi, tardiores quam corbitæ sunt in tranquillo mari.

Corbitæ sunt naves onerariæ tardæ & grandes; sic dictæ à cordibus in summo fastigio.

Podagrosi estis atque cochleam vicistis tarditudine.

Obsecro herculè, operam hanc velocem ne corbitæ date.

Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora? Fames & mora bilem in nasum conciunt. *Plaut.*

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Differ: habent parva commoda magna mora. Ovid.

Occasio rerum omnium optima Magistra.

Plerumque utilis & tuta est dilatio, & multa mutantur unius diei tempore.

Fati arietem intorquebo, firmum, validum, & quem nulla unquàm humana vis elidet, aut acumen eludet. Rato omnia & immobili fato decurrunt.

Liberè dico, & illa ego sperno & parcas, & cum Plautino milite, totum hoc anile agmen uno spiritu difflaverim, ut folia ventus. *Lips.*

Quomodo evadis hunc istum? aut quâ securi scindis hanc catenam.

Hom. Οὐ γάρ τ' αἶψα θεῶν τρέπεται νόος αἰὲν ἐόντων. non divum æternorum mens vertitur.

Fatum naturale voco ordinem causarum naturalium, quæ vi & naturâ certum eundemque producunt effectum.

Fatum violentum est necessitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.

Eadem

Eadem necessitas & Deos alligat. irrevocabilis humana ac divina pariter cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret & semel jussit. *Vide Const. Lipsii.*

Fatum à fando, nec aliud proprie, quàm dictum & jussum divinum. *Idem.*

Picus Mirandula, vocat Fatum, pendentem à divino consilio seriem ordinemque causarum.

Fatum est Tarquinium regno ejici? fiat. sed adulterium præcedat. Ordinem vides. Ita, sed in curia etiam, & ad statuam Pompeii. locum vides. Domitianum à suis cædi? Cæditur, & illa ipsa horâ, quam frustra vitabat. quintâ: tempus vides. *Idem.*

Fata advocare & scribere. Veteres, quo die nomina infantibus imponenda, advocabant Mathematicos, qui inspecto themate genethliaco fausta infaustaque prædicerent. Statius.

Stygii cui conscia pensi
Ipsa diu inspectis lethum prædixerit astris
Uranie.

Fatum, Vide *Mortis. Necessitatis. Providentia.*

Fatum est æterna ab æterno in æternum Dei Lex. *Lips.*

Satin' capis hæc, adolescens? an clarior etiam fax tibi accendenda?

Ego caput concutiens, Clarior Langi, inquam, aut æternùm me relinquis in hac nocte. Quod enim illud discriminum subtile stamen? qui quæstionum captiosi laquei sunt. *Lips.*

Deus omnium auctor & actor rumpere & transscendere potest implexa illa agmina & volumina Fati. *Idem.*

At inter secundas causas etiam voluntas tua est. quam, fuge credere, ut Deus ille cogat aut tollat (acutè Augustinus) hic error omnis in ista re, hæc nubes. Nemo scit, se velle debere, quod vult Fatum. & dico, liberè velle. Deus enim ille, qui res creavit, rebus utitur sine corruptione rerum. *Lips.*

Sicut ſupremum illud cælum inferiores omnes orbes ita ſecum ducit, ut proprium eorum motum non abrumpat aut ſiſtat: Sic Deus Fati impetu humana omnia trahit. &c. *Vide Conſt. Lipſ. c.20.*

Magni Viriquàm divinitus à periculis & inſidiis conſervati. *Camerar. cent.1. c.30.*

Lipſ. c.5. l.1. Mon. & Exempl. Pol.

Fatum eſt providentia & decretum divinum.

Quid aliud eſt Fatum, quam id quod de unoquoque noſtrum fatus eſt Deus.

Ut qui libram tenet, in hanc aut illam lancem pondus adjici jubet & inclinat: ſic Deus & fortunam temperat, ſed manibus aut conſiliis ferè noſtris.

Agathocles R. Siciliæ: cui Pater figulus, pueritiam in ludi ſordibus egit. ab omni parte infamis, odio civium & inopia ad latrocinium compellitur. en gradus, quibus ad ſceptrum pervenitur; in his talibus, ubi ratio alia, quàm ſumma illa ratio eſt?

Romulus & Tullus Hoſtil. uterque ex paſtore ad ſceptrum.

Tarquin. Priſcus è peregrino & exule. *Servius* è vernulo & ſervo.

Sidus & occulti miranda potentia Fati?

Marius primò miles. poſt Centurio. tum Tribunus. Ex illo tamen Mario tam humili, tam faſtidito ille Marius emerſit, qui Africam vicit, Regem Jugurtham formidatum Romanis in triumphum duxit. Qui trepidam non Italiam modò, ſed urbem defendit. Ille, qui poſt ſextum Conſulatum carcerem & exilium ſubivit. Plenus tamen certuſque ſpei, quod olim juveni in agro apricanti Aquila ſeptem pullos in ſinum jeciſſet, toties iterandi ſummi imperii ſignum. Nec fefellit eventus.

Cyrus à fœmina vincendus. Thamyris ea erat. ad de ludibrium: caput mortuo reſecat, & in utrem ſanguine plenum merſo exprobrat: ſatia te nunc ſanguine quo expleri nequiſti. Regnum longâ mole fundatum ubi es? Rex tot annos felix & victor, ubi es?

Poly-

Polycrates R. Samiorum: cui nihil in vita adversum. ante vota, supra vota, omnia aderant. Annulum in mare abjecit, quasi Nemesi placandæ. quid fit? in pisce mox inventum recepit. Sed Oroëtes Darii R. Satrapa victum captum morte affecit, in altâ cruce suspendit mirabile & miserabile orbi spectaculum.

Masanissa latrocinio duorum equitum per dies aliquot vixit in speluncâ avia. Et cum ventum erat ad flumen, nec vadari poterat. quid facit Masanissa & tuum Fatum! metu urgente in id se conjicit, & duobus comitum gurgite abreptis, ipse cum duobus aliis inter virgulta ulteriora delituit. Fama tamen sparsa, submersi. Postea tamen regnum paternum recuperavit. ubi primo XL Equites in viâ sibi adjunxisset. Postea pluribus collectis, &c.

Quæ nexa suis currunt causis,
It cuique ratus, prece non ulla.
Mobilis, ordo. Multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.

Sen. in Oedipo.

Ineluctabilis Fatorum vis. cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. *Vellejus Paterc.*

Prævalent Fata consiliis, omnemque mentis humanæ aciem perstringunt. *Idem.*

Arduum fatalia devertere. Ideoque futuri notio superflua. *Aurel. Victor.*

Fati vim effugere nulla possunt homines ratione. *Pausanias l.* 1.

Denique ut concludam de hac libertate. Fatum veluti præsultor est, & funem ducit in mundi ista choreâ. Sed, ita, ut partes aliquæ nostræ sint volendi semper aut nolendi. non enim efficiendi ut enim in navi ambulare mihi fas & per foros discurrere aut transtra. &c. *Lips. c.* 20. *Const.*

Me quidem judice valebit illud: μὴ θεομαχεῖν.

Quæ Fato manent, quamvis significata, non vitantur. *Tac.*

Liberos tibi tollere, fatum est. Sed ita, ut in uxoris tuæ horto prius feras. *Lips.*

Ineluctabilis fatorum vis, cujus fortunam qui mutare constituit, consilia corrumpit. *Vellejus.*

Solonis exemplum tuto huc ingeram, qui, cum Athenas Pisistratus occupasset, videretque frustra esse conatum omnem pro libertate, arma & scutum ante fores curiæ ponens, O Patria, inquit, tibi & dictis & factis opitulatus sum, atque ita domum abiit, in posterum quieturus. Hoc facias. Cede Deo, cede tempori. *Lips.*

Necessitatis non aliud effugium est, quam velle, quod ipsa cogat.

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Quem Fata cogunt, ille cum veniâ est miser.
At si quis ultrò se malis offert volens,
Seque ipse torquet, perdere est dignus bona,
Queis nescit uti. Sen. in Hippol.

FAMÆ. Vide *Rumoris. Laudandi. Honoris.*

Fama vires acquirit eundo. Rerum pranuncia. Mobilibus veniens pennis per inania cali.

Illam terra parens progenuit pedibus celerem & pernicibus alis.

Nocte volat cali medio terraque per umbram Serpit, nec dulci declinat lumina somno.

Hic incredibilis rerum fama occupat aures.

Toto rumor in orbe sonat. Facta atque infecta canebat.

Mistaque cum veris passim commenta vagantur.

Famæ & fidei damna majora sunt, quam ut æstimari queant. *Lips.*

Cicero summum patrimonium esse, dixit boni nominis existimationem.

Omnia si perdas famam servare memento.

Thales ab amico interrogatus, quantum veritas abesset à mendacio. Quantum, respondit, oculi ab auribus.

Socrates interrogatus, quo pacto quis posset bonam famam assequi? Si talis, *inquit*, esse studeas, qualis haberi velis.

Galli dicunt: Mieux vaut bonne renommée, que ceincture d'orée.

Bias & bona & patriam amisit: sed inclamat etiam hodie mortalibus: *ut omnia sua secum portent.*

Regulus inter tormenta fœdè periit; sed vivit præclarum illud fidei exemplum.

Papinianus à Tyranno cæditur, sed securis illa securitatem nobis inprimit pro Iustitia moriendi.

Credula fama inter gaudentes & curiosos. *Tac.*

Famæ etiam boni sæpe indulgent. *Idem.*

Famâ bella stant, & is qui recedit fugere creditur. *Curtius lib. 3.*

FAVORIS. Vide *Amicitia*, &c.

TUi favoris aura suaviter mihi adhuc adspirat. *Lips. in Epist.*

Libra tui favoris in me propendeat. *Idem.*

Si totâ civitate te fœminæ puerique laudaverint, quid ni ego tui miserear, cum sciam, quæ via ad istum favorem ferat? *Seneca.*

Premere pollicem; convertere pollicem.

Antiqui in pollice favoris studiique significationem posuerunt, ut ille, qui faverat, pollicem premeret. qui verò minus, pollicem converteret. Hinc Juvenalis: *Converso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.* Hinc Horat. *Fautor utroque tuum laudabat pollice ludum.*

Album calculum addere: vulgo approbare significat. Antiquitùs, missis in urnam calculis, ita ferebantur sententiæ, ut albis absolverent, nigris damnarent. Sed, si calculi essent æquales, res beneficium liberationis fiebat. *Plinius* dixit in Epist. Tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris. h. e. si nostrum errorem tuo judicio approbaveris. *Alcibiades* cum nollet se permittere judicum calculis.

FAMIS. Vide *Egestatis. Sobriet. Paupertatis. Sitis. Crudel.*

NOn pauxillulam in utero gesto famem. Isti homini ad infimum ventrem adhæsit fames. *Plaut.*

Cui misero medullam ventris percepit fames. Qui ventrem vestiam? sc. cibo. *Idem.*

Parvo fames constat, magno fastidium. *Sen.*

Ille est miserrimus, qui cum esse cupit, quod edit non habet. *Plaut.*

Venter gutturque resident esuriales ferias, hoc est, quando ab edendo feriati sumus. *Idem.*

Parasitus alter famem fuisse matrem sibi suspicatur, quod postquam natus est, nunquam satur fuit: quam complures annos utero suo hærere conqueritur. *Idem.*

Λιμῷ οἴκτιστ τὸ θανεῖν.

Fame miserrimum est mori.

Postquam exempta fames & amor compressus edendi.

Fœdissima ventris proluvies & pallida semper ora fame.

Appositis queritur jejunia mensis. Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes.

Profana & fœda in usum necessitas vertit. *Tacitus 4. Hist.*

Magna dispositio est, hostem magis fame, quàm ferro coercere. *Vegetius.*

Fames ignavissimum mortis genus. *Ammian. Marcell.*

Fames quàm pestilentia tristior. *Livius.*

Ultimum supplicium humanorum, fames. *Idem.*

Pressoque diu stridere molari. Iuvenal.

Taurus paucissimorum jugerum pascuis impletur, una sylva Elephantis pluribus sufficit. homo & terrâ & mari vescitur. *Seneca.*

Quid ergo? tam insatiabilem natura alvum dedit; cum tam modica corpora dedisset, ut vastissimorum edacissimorumque animalium aviditatem vinceremus? minimè, *Seneca.*

Βελιμία

Βουλιμία ingens fames eſt. λιμὸς enim fames, & βȣ ſyllaba auget, quaſi totos boves aliquis eſuriat.

Gaſtrimargiam exercere, hoc eſt, ventrem farcire.

Apud *Laconas* tanta annonæ fuit raritas, & ciborum defectus, ut ſerpentes in cibum converterint.

Petilini longa obſidione fatigati coria ex ſcutis detraxêre, ut quoquo modo poſſent, inde ſibi victum quærerent.

Saguntbus urbs Hiſpaniæ longa Pœnorum obſidione eò famis redacta eſt, ut cives exſtructo in foro igni, ſuas res omnes in eum conjicerent, ſeque ac ſuos liberos eodem præcipitarent, ne venirent in manus inimicorum.

Calagurium Urbs Hiſp. ad tantam famem coacta, ut uxores ac liberos in uſum extremæ dapis converterent, quum nullum aliud animal in civitate eſſet.

Romæ fames tanta fuit, ut multi inopia coacti ſeſe in Tyberim præcipitârint.

Byzantini poſt longam obſidionem fame laborantes pelles animalium maceratas comederunt.

Graſſante per *Italiam* fame, imperante Iuſtiniano, inventæ ſunt quædam matres filiorum carnibus vixiſſe, quos ante fames ipſa abſumpſerat.

Conſule *Fatidica Parentis mei* cap. XVII. lib. 2. pag. 306.

Famis & peſtis priſcæ inſignia Exempla Tributorum magnitudinem & rapinas vide *Lib. 2. Conſt. Lipſ.* *cap.* 23.

Romæ ſub Honorio tanta caritas & raritas omnis annonæ, ut homines hominibus jam imminerent. Et in Circo palam audita vox: *Pone pretium humanæ carni.*

Fames memorabiles *c.* 91. *lib.*2 *.offic. Text.*

Non fames nobis ventris noſtri magno conſtat, ſed ambitio. *Seneca.*

Ambitioſa non eſt fames. contenta deſinere eſt. infelicis luxuriæ iſta tormenta ſunt. *Idem.*

Si pertinere ad te judicas, quàm crinitus puer, & quàm perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. *Idem.*

FERIARUM. Vide *Ludorum. Aleæ. Spectaculorum. Otii.*

Pingues ferias agere. Feriatum diem habere.

Festum diem aliquem reddere. Ludendi potestatem facere.

Copiam ludendi dare. Miris modis Dii faciunt Ludos hominibus.

Elusi militem in alea. Quos mihi ludos reddis? Cessare à laboribus.

Vacationem, cessationem à laboribus habere.

Agesilaus Rex Lacedæmoniæ, cum magnis curis & molestiis obrutus, sæpè cum infantibus se recreavit, ligneis baculis inequitans.

Hercules terrarum orbe monstris repurgato, à laboribus abstinuit, & quietem amplexus.

Socrates ille sapiens nonnunquam cum pueris solitus ludere.

Stoicus ille Cato post graves exantlatos labores, jucundo se otio oblectabat.

FELICITATIS. *Infelicit. Beatitud.* Vide *Fortunæ. Gaudii.*

Tunc te felicem esse judica, cum poteris in publico vivere, cum te parietes tui tegent, non abscondent. *Seneca.*

Hoc nos doce, beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem magna pecunia confluxit; sed illum, cui bonum omne in animo est erectum & excelsum, & mirabilia calcantem. *Idem.*

Tunc consummata est infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed etiam placent. & desinit remedio esse locus, ubi, quæ fuerant vitia mores sunt. *Seneca.*

Quando continget contemnere utramque fortunam? Quando continget omnibus oppressis affectibus & sub arbitrium adductis, hanc vocem emittere: VICI. Quem vicerim quæris? Non Persas, nec extrema Medorum, nec si quid bellicosum ultra Dahas

has jacet. Sed avaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui victores gentium vicit. *Idem.*

Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt. non magis, quàm ex illis, quibus ſceptrum & chlamydem in ſcenâ fabulæ adſignant. Cum præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati. Simul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. *Idem.*

Curia, Palladiaque vacant hoc menſe cathedra.
Cumque facit tellus maxima, nil facimus.
C. Barlæus in menſe Auguſto.

Felicitatis & moderationis dividuum contubernium eſt. *Val. Max. l.9. c.5.*

Difficilius eſt temperare felicitati, quâ te non diu putes uſurum. *Tac.2. Hiſt.*

Superba eſt felicitas. *Curt. l.5.*

Omnes mortales non tam rebus ſecundis ſuam felicitatem ſentiunt, quam malis conflictati eam deſiderant. *Dion. l.56.*

Providorum hominum eſt, felicitatem ſuam pro certo habere. *Thucydides.*

Gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis. Juvenal. Sat. 13.
Ille potens ſui
Lætuſque deget, cui licet, in diem
Dixiſſe, Vixi : *cras vel atra*
Nube potum pater occupato,
Vel ſole puro. Horat. l.3. Carm. Od.29.
E cælo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore, ſive
Conjugium quæras, vel ſacri in parte ſenatus
Eſſe velis.&c. Juvenal. Sat.11.

Tranquillitas animi omnibus præferenda. Docet hoc *Horat. l.1. Epiſt. Sat.7.*

Nobis, quibus ætheris annuit arcem,
Qui carcere liber.
Corporeo, implevit de ſedibus ætheris unam
Noſtro tranſlatus ab orbe
Spiritus è clauſtris fugiens mortalibus, inter

Agmina cælituum victor migravit ad astra.
Gaudia cum magnis habet immortalia Divis.
Ivit in Elysios felici funere campos Mantuan.
Æthereas anima exultans evasit ad arces. Silius.
Sed amœna piorum Concilia Elysiumque colunt. Virg.
Aurea quem solio stellantis regia cæli.
Accipit, & numerum Divorum altaribus auget. Ovid.

Semper esse felicem, & sine morsu animi velle transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. *Seneca.*

O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas. *Idem.*

Quæris, quid felicis præstare possis? Effice ne felicitati suæ credat, ut sciat illam multis & fidis manibus continendam. *Idem.*

Nunquam in solido stetit superba felicitas, & ingentium imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt. *Idem.*

Exempla Felicitatis vide *in Valerio Maximo l.* VII. *cap.* 3.

Felix Priamus!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum consumpta videt. Sen. in Oedip.

FESTINANDI. *Celeritatis.*

Vide *Eundi.*

Remigio veloque quantum poteris festina & fuge. Nunc domum properare propero. Rem expedias ocyus.

Hortari pedes ad cursum. Ex cursura anhelitum ducere.

Date quæso conveniendi mihi ejus celerem copiam.

Fer pedem, confer gradum. Transcurre curriculo ad nos.

I cito demissis manibus. Dictum factum. Pegaseo gradu domum redii.

Omnia jam circum cursavi. In arcem transcurso opus est.

Prope-

Properato opus est. Fac pedes alitos habeas. Promovere gradum.

Facite in flexum pedum sit pernicitas. Hæc tu intelligis velut canis è Nilo bibens, & in transcursu quodammodo.

Non ocyus quivi, si me Dædaliis tulissem remigiis.

Dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto, non consulto, in tali periculo opus esse. natura ferox, vehemens, manu promptus erat. maximum bonum in celeritate putabat. *Sallust.*

Animo cupienti nihil satis festinatur. *Idem.*

Multos etiam bonos festinatio pessumdedit. qui spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. *Tac.* 3. *Annal.*

F Æ N O R I S. *Lucri.* Vide *Pecuniæ. Æris Alieni.*

Res suas perpetuo & amplo lucro auctare. *Plaut.* Perenne semper suppetit lucrum. Argentum à Danista sumpsit fœnore. *Idem.*

Occupare apud aliquem pecuniam. Pecuniam fœnori locare, & quasi exercere, ne otio & inertia quasi languescat.

Ego hodie compendi feci binos panes indies.

Nec quicquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchrè dices.

Pecuniam in loco negligere maximum sæpè lucrum. *Terent.*

Quicquid præter spem eveniat, omne id deputo esse in lucro. *Idem.*

Cui nihil præter precium dulce est. Vocem in quæstum contulit.

Habere quæstui Remp. Ornamenta linguæ in mercedem corrumpere.

Quæstui servire. Nec hic tibi dies illuxit lucrificiabilis. Hoc argentum decem dies non occupatum fuit. *Plaut.*

Nullum ædepol hodie genus est hominum tetrius, nec minus bono cum jure, quam Danisticum. *Plaut.*

Tacitus. *Fœnus est Reip. funebre malum.*

Fœnus *videtur dici à multiplici fœtu mali.*

Agis Atheniensium Dux adeò fœnus exosum habuit, ut omnium Fœneratorum tabulas igne supposito in foro cremârit. *Quo igne se nullum clarius lumen vidisse,* Agesilaus *dixit.*

Citius usura, quàm Heraclitus Perineus currit. Hic Heraclitus sui cursus celeritate omnes in stuporem dedit. In eos jactatur proverbium, qui fœnori pecuniam sumunt, currunt assiduò usura velocius, quam Heraclitus ille cursor.

FIDEI. Vide *Piet. Perfidiæ. Pacis. Fœderis. Virtutis.* &c.

Persæ & Arabes tanti fidem fecerunt, ut humanam societatem cum fide tolli crederent. Contraque utilitatem fides illis semper antiquior fuit. *Alex. ab Alexand.*

Talis *Pomponius Atticus*, Eques Rom. & amicus Ciceronis, vir gravissimus, quæ religiosè pollicecebatur; præstare cum diligentia nitebatur. Quare amici res suas certatim ei curandas dabant. *C. Nepos.*

Apud *Rom. Principum* & bene meritorum statuas pedestres & equestres ita effictas videmus, ut dextrâ porrectâ fidem in Rep. ostendant.

Numa Pompilius sacrum fidei instituit, ad quos Flamines curru arcuato, manu in digitos involutâ, solenni pompâ vehi jussit. Minimè violandam fidem, quæ dextrâ semel firmata.

Romani milites Imperatorum victrices dextras osculabantur, quod fideli illius imperio hostes vicissent.

Parthi apud Altaria complexis dextris, tanquam Diis testibus & arbitris, facta faciebant.

Quantâ *Hircani & Medi* cum curâ conventiones facere pactaque sancire soliti!

Phryges juramentis non utuntur, nec ipsi jurantes, nec alios adigentes. Satius esse rati servare sine juramento

mento fidem, quàm datam fallere; magnâ Deorum ultione advocatâ. *Stobæus*.

Quid enim magis Fides dictat, quàm promissa præstanda?

Qui enim fallit & decipit, eò facit, quia potentiæ aut viribus minus fidit. Conatur igitur fidei specie circumvenire, & hanc suæ utilitati prætendit ostentandam, non servandam.

Pueros vide. mendacium inter prima probra objiciunt, & quanquam levitate quadam assumunt, tamen judicii insita rectitudine damnant. *Lips*.

Cole igitur, ô Princeps, venerabile hoc Fidei numen, quæ dexteram suam, certissimum Salutis humanæ pignus ostentat.

Callidi & impostores, quantumvis subtilibus consiliis, raro aut nunquam ad potentiam veniunt. Aliter in candidis ingenuisque mentibus, qui Deum, fidem reverentur. Hi crescunt, florent, & perseverant, cælesti favore prosequente & attollente. *Lips*.

Ægyptiis lex fuit, recitante Diodoro: perjuri capite puniuntur. Quia duplici scelere obstricti, & pietatem in Deos violant & fidem inter homines tollunt.

Rex in Indiâ: Sceptrum & vitam eripi posse, fidem non posse.

Etiamsi fides toto orbe exularet, tamen Regibus tenendum esse, qui eâ solâ, & nullo metu, cogi adstringique possent. *Lips*.

Vide plura ibidem, *in Mon. & Exempl. Polit. c.13. lib.2.*

Fides erga Inimicos.

Cn. Domitius in M. Scaurum. L. Crassus in Carbonem. M. Pomponius in Mantium Fil. fidelissimi fuerunt.

Sic veteres in Bonorum Divis. in Empt. & Vendit. in deposito reddendo &c. olim superstitiosè fideles fuerunt. Vide *Theatrum vitæ humanæ*: ubi volumina talium.

Indignis

Indignis Fides habita.

Tanta veterum existimatio in fidem, ut etiam pacta injusta servaverint, indignosque præmiis ornaverint.

Phœbus Filio Phaëtonti promissum solis currum regendum dedit. *Ovid.*

Neptunus cum Theseo Fratri tria exoptanda proposuisset. & is filii Hippolyti interitum, falsis Phædræ criminationibus impulsus, optasset, quamvis invitus, voluntati ejus paruit.

Herodes Judæorum R. cum in solenni convivio filiæ saltatrici jurâsset, sese daturum ei, quodcunque petiisset. Caput Johannis amputari voluit. & factum.

Magna & perpulchra res est, quum aliis omnibus tum viro Principi, fas fidemque servare. *Xenoph. de Ages. laud.*

Cum Fidei abrogatione omnis humana societas tollitur. *Livius Dec.* 1. *l.* 6.

Data Fides omnem deliberationem excludit. *Plutarch, in Sertor.*

Nulla tam gravis potest excogitari coërcitio, quâ non dignè ruptores illi Fidei afficiantur.

Quare *Tullus Hostilius* ruptorem fœderis Metium Sufferium religatum inter duos cursus pernicibus equis distraxit. Dignè. *Livius.*

Ut *adamas*, si contingit, frangi malleis, in minutissimas dissilit crustas. adeo ut oculis vix cerni queant. ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem. Vide *Clapmarium in Politicis.*

De Fide Publica. *Val. Max. l.* 6. *c.* 6.

Venerabile fidei numen dexteram suam, certissimum salutis humanæ pignus ostentat. *Ibid.*

Circumventis in solitudine natura ipsa subjicit, ut hominum, quos nunquam viderint, fidem tamen implorent. *Livius Decad.* 4. *l.* 10.

FLUMINIS. FONTIUM. Vide *Aquarum. Tempestatis. Maris. Populor.*

FOntes multi ac lacus abstrusam, reconditamque miræ naturæ indolem habent. Duo in *Islandia* fontes planè diversæ naturæ: qui ex Hecla monte prorumpentes, alter aquarum frigiditate, alter fervore intolerabilis.

Alius in eadem Insula lacus, qui omnia, quæ immerguntur, in lapides paucis diebus convertit.

In *Hiberniâ* lacus, in quem si lignum infigas, anni circumacto spatio, id, quod in terram defixeris in lapidem convertitur: quod deinceps aquâ tangitur, in ferrum: reliquum aquâ extans ligni formam naturamque servat.

In *Scotiâ* Brigantinum celebratur stagnum, cujus una pars hyeme gelu concrescit, altera nullis frigoribus congelare potest. Vide plura *c.* 3. *Fatid. Parentis mei. l.* 3.

De *Fontibus* diversis. De *Lacubus, Paludibus* & *Stagnis,* & *Fluviis* præcipui nominis vide Ravis. *Text. l.* 7. *c.* 9. 10. 11.

De *Flûviis auriferis* & gemmiferis. Deque *Fluviis Infernalibus.* Ibid. c. 11. 12.

De *Aquarum mirabili naturâ* c. 14. l. 7.

De *Fontibus mirabilibus* pag. 109. lib. 3. *Fatid. Parentis mei.*

De Lacubus memorabilia. *Philipp. Camerar. cent.* 1. *cap.* 62.

Admodum me afficiunt luculentæ fontium descriptiones, quas habet in suâ historiâ *Curtius.*

FORTUNÆ PROSPERÆ. *Fort. Adversæ. Vicissit. Fort.* Vide *Felicitatis. Gaudii.*

DEus sum: in cœlo sum. Pompejus ex astris decidit.

Solus est, quem diligunt Dii. Iam in vado salutis res esse videtur.

Dedita

Dedita opera, in tempore ipso spes mihi sancta subvenit.

In me planè Dii potestatem suam ostendêre; cui tam subito tot congruerint commoda. *Terent.*

Fortuna gubernatrix fuit, quæ tot, tantas res opportune in unum conclusit diem. *Idem.*

Quod fortunatum isti putant, uxorem nunquam habui. *Idem.*

Deus sum, si hoc ita est. Incipit res melius ire, quàm putaram.

Bona Scæva strenaque mihi occessit obviam. *Plaut.*

Age me in tuis secundis rebus respice. Mihi hodie immortalitas parta est. *Terent.*

Supra votum fortuna fluxit. Apicem felicitatis habere.

Tuæ res non in germine; sed in fruge sunt. Stabit à me forte hodie fortuna propitia.

Asinus in Paleas, in eos, quibus præter spem bona evenerunt.

Summum hominis bonum est ex naturæ voluntate vivere.

Beatus non est is, ad quem pecunia magna confluxit: sed ille, cui bonum omne in animo est. Qui neminem videt, cum quo commutatum se velit: qui hominem ea sola parte æstimat, qua homo est; qui naturâ magistrâ utitur. *Seneca.*

Absolutum humanæ naturæ bonum, corporis & animi pace conjunctum.

Attalus Stoicus *dicere solebat: Malo me Fortuna in Castris suis quàm in Delitiis habeat.* Seneca.

Vita secura & sine ullis incursionibus mare mortuum *dicitur*. Idem.

Lactis Gallinacei haustus. De valdè fortunatis. Aristophanes in Avibus: Dabimus, inquit, vobis uberem sanitatem, feliciratem, pacem, adolescentiam, risum, choros, convivia & lac gallinarum, usque adeò, ut defatigemini præ copia bonorum.

Nulli fortuna tam dedita est, ut multa tentanti ubique respondeat. *Idem.*

Bona copia. abundantiæ dea, quæ cornu Amaltheæ vel Acheloi gerit. Eaque dicitur *Bonus eventus*, & apud Plautum, *Bona salus.*

Gygis annulum reperi, in fortunatos, quibus omnia ad arbitrium fluunt.

Tu petis tanquam Cæsaris Candidatus, hoc est, negligenter. *Cæsaris Candidati* ideo negligenter petebant, quod principis commendationem non frustra futuram confidebant.

Næ tu fortunarum lubricas ambages & instabiles incursiones & reciprocas vicissitudines ignoras?

Fortunæ sacerdotium nactus est, & nunc tantæ Deæ arbitrium disponit.

Thales interrogatus, quis hominum esset felicissimus: *Resp.* quod is, qui frueretur bona valetudine & dotibus animi præditus esset.

Semper cadunt feliciter tali Iovis. In perpetuò felices.

Dactyli dies agere, Dactylus Athenis fuit maximos honores ibi adeptus.

Dicunt *Gygem* annulum habuisse, cujus palâ in palmam versa, à nemine cernebatur. *Pala* inter alia significabat, partem cavam in annulo, cui gemmam inserimus.

Iunonius puer: qui Iunone Lucina favente & propitia in lucem editus est.

Sic & *Partus aureus* vocatur. Contrarium est, si quem voces *Patriæ Paridem*, qui in Patriæ natus exitium.

De HUMILI Loco natus agit *Valer. Max. lib. 3. cap. 4.*

Fortuna recursus in idem tempus libro 2. Fatidic. *Parentis mei.*

Quam paucis Fortuna currum à carceribus ad metam, sine offensâ aut eversione, perduxit? *Lips.*

Iugurtha Masanissæ nepos opibus & ingenio validus, sed tamen à Mario devictus; Romam vinctus deducitur post triumphalem illusionem. Veste spoliatur. inaures detrahuntur: sic ferociter, ut imam auris partem senserit avelli. Tum nudus in infimum carcerem

carcerem abjectus. *Papa*, inquit, *quàm frigidum est vestrum balneum!* atque ita fame obiit. *Lips.*

Sesostris Rex, vicinorum erat victor. Sed & animum evexerat. Quatuor Reges, equorum vice currui subjungebat. In eo cum sublimis sederet, Regum illorum unus capite reflexo, idemtidem rotam currus adspiciebat, & capi ac pasci videbatur. Quid rei sit, Sesostris rogat. Ille liberè: intueor volumen hoc assiduum rotæ, in quâ vicissim ima summa, & summa ima. Quod exemplum capio & applico nostræ Fortunæ. *Lips.*

Crœsus Soloni omnes opes ostentans dixit: quid videtur, habes hominem me beatiorem? Habeo, inquit Solon. Et *Tellum* quendam, hominem modicæ sortis, sed in eâ quietum. Risit Crœsus, & nos quo loco sumus? *Haud dixerim*, ait Solon, *nec fas beatum etiam censere, qui in hisce vitæ fluctibus jactatur*, donec sit in portu. nonne tempestas intervenire potest, qui evertat? Factum, & mox Cyrus Crœsum in acie victum & vinctum rogo imposuit exurendum. Cum Crœsus clamare incepit: ô *Solon Solon!* miratus Cyrus rogari jubet, quem in extremis hominum Deorumque invocaret. dixit, Solonem sibi in mente esse &c.

In prosperis moderatione opus.

Princeps ne secundâ Fortunâ ad superbiam prolabatur. 11. *Annal.*

Nam rebus prosperis etiam egregii duces insolescunt. 2. *Hist.*

Non hostibus victoriam exprobret; ne nova moliatur, nisi prioribus firmatis. 12. *Annal.*

Cæcina nimiâ fortunæ indulgentiâ solutus in luxum. 2. *Hist.*

Laureum baculum gesto: De iis dicitur, teste Suidâ, qui feliciter ex insidiis profugiunt. Laurus credita adversum venena remedium habere. Laurus quoque contra fulmen tueri aliquem dicitur, & sola fulmine non percuti. Quæ causa fuit, quod Tib. Cæsar semper gestaret capite coronam lauream.

Fortuna

Fortuna æstuaria. Sic Fortunæ Euripum & inconstantiam describimus. quod Boëtius dixit: exæstuantis more fertur Euripi, ut mare habet accessus suos & recessus æstuarios; sic res humanæ. &c.

Quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes
Hoc se magis supprimere felicem decet.
Variosque casus tremere, metuentem deos
Nimium faventes. Magna momenta obrui
Vincendo didici.
Stamus hoc Danaï loco
Unde illa cecidit. Sen. in Oedipo.

Ephesia litera. in illos, qui mirâ felicitate, tanquam divinâ virgulâ quodcunque optant, consequuntur. Ajunt Ephesiis notulas quasdam & voces magicas fuisse, quibus utentes in omni negotio victores evaderent. Fertur, Milesium quempiam in Olympiis cum Ephesio palæstrâ commissum, nihil in conflictu potuisse, quia Ephesius iste in talo Ephesias literas haberet. quod ubi animadversum, ademptis literis, Ephesus, qui jam triginta fatigaverat, succubuerit. *Erasm. in adag.*

Bona Fortunæ, & felicitas ex omnibus rebus humanis velocissima levitas. *Seneca.*

Fortuna omni in re dominatur. Ea res cunctas ex lubidine magis, quàm ex vero celebrat obscuratque. *Sallust.*

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera cæca, pejora fovens.
Vincit sanctos dira libido.
Fraus sublimi regnat in aulâ.
Tradere turpi fasces populus
Gaudet: eosdem colit atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti. Castos sequitur
Mala paupertas: vitioque potens
Regnat adulter.

Seneca in Hippolyto.

Quales

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari. Juv. Sat. 3.
Quem mirabantur Athenæ
Torrentem & pleni moderantem fræna theatri.
Diis ille adversis genitus, fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano & Rhetora misit.
Iuvenal. Sat. 10. de Demosthene.

Fortuna Prosp. & Adversa.

Nunc mihi contraxit vultum Fortuna.
Fortunæ telis confixus iniquis.
Nostra per adversas agitur Fortuna procellas.
Quem tristis Fortuna tenaciter urget. Ovid.
Quem Numina sævo sidere prospiciunt.
Cum vulnere tristi te pungit Fortuna nocens.
Fortuna sinistris mecum modis agit,
Fortunæ telo quatimur. Petrarcha.
Quem Fortuna sinistre Amplexum fovet. Silius.
Ductusque maligno Stamine. Fatorum.
Cui Dea, quæ nostris obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit flexitque rotam. Claudian.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere. h. e. felix. Statius.

FOEDERIS. Vide *Fidei. Pacis. Amicitiæ.*

AUt verbis aut armis castigandus est, qui fœdus rumpit. *Livius Decad. 5. l. 2.*

Fœdera sancta sunt apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur. *Idem Decad. 1. l. 9.*

Metus mutuus vinculum est fidelis societatis. *Thucyd. l. 3.*

Nulla potest esse amicitia aut fida libertas, in qua præter animi voluntatem, fœderati suspiciosè alii alios observant. *Ibid.*

Violant fœdera, non qui deserti alia auxilia quærunt, sed qui socios non defendunt. *Thucyd. l. 1.*

De

De accuratis fœderum Ritib. apud Romanos disſerit *Philippus Camerarius Cent.2. cap.78.*

FORTITUDINIS. Vide *Conſtantia. Roboris. Magnanimitatis.*

QUi corporis viribus excelluerunt. *Offic. Text. c.36. l.2.* & *Val. Max. c.2. l.3.*

Minabatur Theodoro Philoſopho tyrannus mortem; hemina ſanguinis, ait, in tua poteſtate eſt. De ſepulturâ, ô ineptum, ſi putas intereſſe, ſupra terram, an infra putreſcam. *Seneca.*

Non eſt, quod nimis te laudes, ſi contempſeris aureos lectos & gemmarum ſupellectilem. quæ eſt enim virtus ſupervacua contemnere? tunc te admirare cum neceſſaria contempſeris. *Seneca.*

Non magnam rem facis, quod vivere ſine regio apparatu potes, quod non deſideras portenta luxuriæ. *Idem.*

Tunc te admirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem. Si tibi perſuaſeris herbas non pecori tantùm ſed homini naſci. *Idem.*

Diſce, parvo eſſe contentus & illam vocem magnus & animoſus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam. Iovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus. *Idem.*

Marcet ſine adverſario virtus. Tunc apparet quanta ſit, quantum valeat polleatque, cum quid poſſit, patientia oſtendit. *Seneca.*

Mirare *Catonem*, jam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. *Id.*

Ut aranearum caſſes animalia fortiora perrumpunt: ſic fortunæ laqueos mens robuſta. *Lipſ.*

Ut grando tectis magno ſtrepitu illiſa, ipſa tamen diſſilit: ſic clades in firmum animum ſi accidant, franguntur, non frangunt. *Idem.*

Non ut pulvis aut paleæ ab omni vento: ſic nos rapi à perturbatione debemus. Sed hanc coërcere, & animum pondere illo rationis ac ſapientiæ ſtabilire. Quid a. ea dicit? nihil inſolens eveniſſe, mortalem mortuum eſſe, nec divulſum à nobis, ſed prætergreſſum. *Lipſ.*

Zeno

Zeno Philosophus ne conjurationis arcanum proderet, cruciatu victus aliquando, suam ipsius linguam mordicus excisam in tyranni faciem exspuit. *Erasm. in Linguâ.*

Muliercula Leana dicta Athenis fuit Harmodio meretrix, quæ adigi non potuit, ut conjurationem fateretur. Athenienses constantiam admirati posuerunt illi Leænam ex ære, sed elinguem ac præ foribus arcis dedicavêre. Leo fortem animum significat. Quod destitutus linguâ, silentii fidem significat. *Idem.*

Plotius Plancus cum ab hostibus ad cædem quæreretur, & servi diu torti constanter negarent, se scire, ubi lateret dominus, ultro prodiit, occidi mallens, quam tam fideles servos suâ causâ diutius cruciari. *Ibid.*

Phocion bibiturus venenum, dicebat uxor: Mi vir innocens morieris? Quid, inquit, uxor, an malles me nocentem mori?

Idem rogatus, quid moriturus mandaret Filiis: ne quis, inquit, ob hujus rei injuriam iniquiores sint Atheniensium populo.

Socrates per calumniam oppressus, nihil unquam atrociter dixisse legitur in Anylum & Melitum. tantùm jocans suo more, quod resederat in poculo, post epotum venenum, in terram effudit, dicens, *se hoc propinare Anyto & Melito.*

Platonem dimissurus Dionysius, non semper humaniter satis habitum dixisse fertur: Plato cum redieris ad amicos tuos multa mala illis de me prædicabis. Plato subridens: Imò, inquit, Rex, fieri non potest, ut illic meis sodalibus, à disciplinis tantum otii contingat, ut cuiquam vacet tui meminisse. *Eras. in Ling.*

Ac sane, quod difficillimum est, & prælio strenuus erat, & bonus consilio, *Sallust.*

Crateti illum animum indue, qui quærenti Alexandro an patriam suam, Thebas, vellet restitui? quid opus. respondit. Alius Alexander iterum eum fortasse diruet.

Creon

Creon ille in fabulis ardentem Filiam amplexus, nihil eam juvit, sed ipsa una periit. *Lips.*

Hæc laudaverim magis bona exercitata & fortia, & cum fortuna rixata. *Seneca.*

Stetit hostium flammarumque contemptor, & manum suam in hostili foculo destillantem perspectavit. *Idem.*

Non opus est, vasto vulnere dividere præcordia. Scalpello aperitur ad illam libertatem via, & puncto securitas constat. *Idem.*

Ad suspicionem vulneris tyro pallescit. audaciter veteranus cruorem suum spectat. *Seneca.*

De Fortitudine Romana lege Romam illustratam *I. Lipsii.*

Ibidem de Virtute Militari.

Lysander cum quidam in ipsum convitiis debaccharetur, nihil commotus, Age, inquit, hospes, age, dic in me ferociter, ne quid omittas, si forte sic animum tuum istis malis exonerare valeas. *Erasmus.*

Periclem aliquando sequebatur maledicus in porticu sub Vesperam. Ille nihil commotus, uni ex famulis mandavit, ut accepto lumine maledicum domum duceret. Hoc pulcherrimum vindictæ genus.

Achillæum spirat. in animo excelsos, qui ingenuam nobilitatem, omnibus numeris præ se ferunt. Sic *Achillea coma*, pro egregiâ Cæsarie: qui habuit auro micantiorem comam. Martialis *Achillæos pedes* dixit, pro admodum velocibus.

Laudat Achilleos pedes sine fine pedes.

Cato eodem loco habuit præturâ & vitâ excedere, quo die repulsus est, lusit. *Seneca.*

FORTITUDO.

Seu rotat instabilem Fortuna volubilis orbem;
Seu nimiùm nobis illa secunda fluit:
Vir fortis ridet sortem, nil fractus, utramque
Et contrà invictum robore pectus habet.
Par animus Fatoque bono fatisque sinistris:
Intonsi qualis forma Catonis erat.

Hæc

Hac veterum norma. Hanc dictat Prudentia Legem:
Neve aliter Virtus perplacet ulla sibi.

De Fiduciâ sui *Val. Max. l.3.c.7.*

Pusilla est res, hominis anima, sed ingens res est contemptus animæ. *Seneca.*

Securus adspiciet fulminantis cæli trucem & horrendam faciem. *Idem.*

Si volumus tranquillè degere, & ipsis Diis de felicitate controversiam facere, anima in expedito est habenda. *Idem.*

Nonne emori per virtutem præstat, quàm vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Victoria in manibus est, viget ætas, animus valet. *Ex Orat. Catil. ad Socios.*

Contra illis, annis atque divitiis omnia consenuerunt. tantummodo incepto opus est, cætera res expediet. *Ibidem.*

At illa multo optima Reip. doctus sum; hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam. hyemem & æstatem juxta pati, humi requiescere. eodem tempore inopiam & laborem tolerare. *Sallust. de Mario.*

Sordidum & incultis moribus me ajunt. quia parum scitè convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quàm villicum habeo. *Idem.*

Ament, potent; ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis dediti ventri & turpissimæ parti corporis: sudorem, pulverem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. *Idem.*

FORTUNÆ. *Adversa.* Vide *Discriminis. Fortuna. Prosp. Felicitatis. Vicissitud.*

Tantæ in te impendent ruinæ. Suo jumento malam sibi rem arcessit. *Terent.*

Irruunt in me montes malorum. Homo me miserior

rior nullus æquè est opinor, neque adversa cui sunt plura sempiterna. *Idem.*

Thesaurum nescio quem memoras mali. Non mediocri me mactat infortunio.

Pessimus mihi hic dies illuxit. Hoc malum integrascit.

Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre. *Terent.*

Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest.

Isthæc in me cudetur faba. *Terent. in Eun.*

Fortunæ fulmina experiri. Omnes fortunæ procellas miser sum passus.

Persentisco adhuc cruda fortunæ meæ vulnera.

Res ad Triarios rediit, desperamus, sc. nam ultimus locus dabatur Triariis, qui nisi desperatis jam rebus, non pugnabant.

More hominum evenit, ego ut quod sum nactus mali, prius rescisceres tu, quam ego, tibi quod evenit boni. *Terent.*

Neque quemquam hominem esse ego arbitror, cui magis bonæ felicitatis omnes adversæ sient. *Idem.*

Miseret me, tantum ad eum devenisse mali. Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se adglutinant. *Idem.*

Omnia illa longa varietas miscuit & sursum deorsum fortuna versavit.

Credo herclè hodie devotabit sortes, si attigerit. *Plaut.*

* Si sors decollascet. Tibi patrimonium Dii fortunent.

Eum honorem tibi Deus fortunare velit. O fortuna ut nunquam perpetuo es bona. *Plaut.*

Optata nostra favor divinitatis adjuverit.

Si fors optata juverit. Si optatis fortuna consenserit. Si favor divinus arriserit.

Hic ille dies est, cum nulla vitæ meæ salus sperabilis est.

Noli huic tranquillitati confidere, momento mare

 vertitur.

vertitur. Eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur. *Seneca.*

Age tuum negotium, Fortuna, nihil apud Diogenem jam tuum est. *Seneca.*

Id agamus, ut divitias potius à nobis, quàm à Fortuna petamus. *Idem.*

Fruatur Fortuna tropbao: Verba sunt *Socratis* ærumnosi, Aristomeni respondentis, *finendum esse fortunam de se ipsâ triumphare.*

Repentina vis *Cæsarem* oppressit: occultæ *Cajum* insidiæ 3. *Hist.*

Vidit Roma Romanum Principem, generis humani Paulo ante dominum, relictâ Fortunæ suæ sede exire de imperio. 3. *Hist.*

Vidit & habuit instrumenta servitutis & Reges. *Agric. Tac.*

Syphacem P. Scipio. Persem L. Paullus, & multi alii victos Reges in triumpho duxêre. 12. *Annal.*

Princeps se mortalem esse, & hominum officio fungi meminerit. 4. *Annal.*

Inest rebus cunctis quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. 3. *Annal. Tac.*

Mira Fortuna & vicissitudo magnorum virorum. *Camerarium lege Cent.* 2. *cap.* 57.

Quanti casus humana rotant!
Minus in parvis Fortuna furit
Leviusque ferit leviora Deus.
Servat placidos obscura quies;
Prabet somnos casa securos.
Sen. in Hippolyti Choro Act. 14.

Solet Fortuna levi momento res maximas decernere. *Plutarch. in Cleomene.*

Maxima bona hominibus maximè indignis Fortuna temerè largitur. *Dionys. Halicarn. l.* 1.

Naturam plerunque fortuna corrumpit. *Curt.*

Homines cum se permisêre Fortunæ, etiam naturam dediscunt. *Idem l.* 3.

Destinata

Destinata salubriter omni ratione potentior Fortuna discutit. *Eod. lib.*

Fortuna quos uni sibi credere cogit, magna ex parte avidos gloriæ magis quàm capaces facit, *Eod. lib.*

Suam quisque fortunam in consilio habet, cum de alienâ deliberat. *Idem lib. 5.*

Sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pennas tantum habet, cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. *Idem l. 7.*

Uti *Fortunam* rotundo lapidi insistentem veteres pinxerunt: ita *Sapientiam* in quadrato statuebant.

Fortunam velut tunicam, magis concinnam proba, quam longam. *Seneca.*

Fortunam reverteriter habe,
Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est.

Fortuna experitur ignem in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. *Seneca.*

Nunquam ego fortunæ credidi, etiamsi videretur pacem agere. *Seneca.*

Quis crederet jacentem supra crepidinem *Marium*, aut fuisse consulem aut futurum? *Seneca.*

Quid non timendum felicibus putas? quid desperandum infelicibus? *Idem.*

Quid referam *Marium* sexto consulatu Carthagini mendicantem, septimo imperantem? *Idem.*

Crœsus inter Reges opulentissimus ad tormentum post tergum vinctis manibus ductus est. *Idem.*

Tu *Crasse*, post evestigiata fugitivorum arma, urbis Romanæ ditissimus, qui nunc apud Parthos eges sepulchro quoque. *Idem.*

Maxima quæque bona sollicita sunt, nec ulli fortunæ minus benè quàm optimæ creditur. *Idem.*

Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri:
Res Deus nostras celeri citatas,
Turbine versat. Horat.

Canina Scava. Infortunium significat. Desumpta

metaphora à canibus, qui miserè solent excipi & diverberari.

Socrates cogitur in carcere mori, *Rutilius* in exilio vivere; *Pompejus* & *Cicero* clientibus suis præbere cervicem: *Cato* ille, virtutum viva imago incumbens gladio, simul de se ac de Rep. palam facere. *Seneca.*

Quota pars moritur tempore fati,
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros abitura dies.
Rarum est, felix, idemque Senex.
Cespes Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes. Seneca.

Res ad Triarios rediit. Triarii erant milites veterani spectatæ virtutis · qui tertio loco prœlium inibant, post profligatos hastatos, qui primo loco. Et post principes, qui secundo loco pugnam capessebant. nam, teste Livio, si à principibus non feliciter esset pugnatum, à primâ acie ad Triarios paulatim referebantur. unoque agmine facto, jam nullâ spe post se relictâ, omnes in hostem procedebant.

An soli Belgæ nos eximii apud Deum & selecti? soli felices perpetuò, & fortunæ tantum albi pulli? Fulsere nobis nostri soles: nox paulisper hîc nunc sit, & radiatum illud lumen abeat ad Hesperios & occasum. *Lipsius.*

Philippus dum nuptias parat filiæ suæ, Ecce Pausanias ex amicis à tergo consecutus interficit eum.

Ab Augusto ad Constantinum numerantur Impp. XLIII. Vix X. ex istis certò dabis, qui suâ morte defuncti.

Polycratem in cruce mori video. Bajazetem in caveâ. Dionysium in Scholâ. Boleslaum in culinâ. Antiochum à latronibus; Pyrrhum à fœminâ; Henricum nuper Galliæ à Monacho. *Lips. &c.*

Quartâ Lunâ nati, qui parum feliciter sunt nati. nam Hercules hac lunâ fertur natus, cujus vita laborum plena. in illos convenit, qui sibi inutiles aliis prosunt.

ſunt. Ideo Pyrrhus ſe natum Herculis ſidere dicebat. quoque plura adverſa ſuperaret, eo etiam acriora in ipſum cooriebantur.

FRUSTRA. *Opera fruſtranea.* Vide *Laboris. Impoſsibilitatis.*

OPeram ludere. In pertuſum ingerimus dicta dolium. *Terent.*

Hominem inter vivos quæritamus mortuum. *Plaut.*

In ſcirpo nodum quæris. Oleum & operam perdis.

Satis diu hoc jam ſaxum volvo. Verba fiunt mortuo.

Fruſtra hunc ſumpſiſti laborem. Laterem lavas. Rem actam agis.

Quid conterimus operam fruſtra? Paſcere oculos. Imbrem in cribrum geris.

Pugnas umbratiles exercere. Neque me opinio tui fruſtra habet.

Aquam è pumice petis. Non magis proficies, quam ſi ad ſepulchrum mortuo dicas jocum.

Demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet.

Legere Sibyllæ folia. Aquilam volare doces.

Delphinum caudam legas. In cælum jacularis.

Ranis vinum infundis, quod proverbium dicitur de his, qui ea præbent, quæ nulli uſui futura ſunt. Cui contrarium eſt alterum proverb. *βατράχῳ ὕδωρ, Ranæ aqua.*

Sagittas in me miſit, ſed in in aëre hæſuras. miſeros nos, ſi talibus configi neceſſum habeamus, quoties Maſſagetæ aut Scythæ jaculantur. *Lipſius.*

Vaga mens, quid per hanc curioſam curam tibi vis? tangere cæleſtes illos ignes? liqueſces. Scandere in providentiæ arcem? cades. *Idem.*

Oleum & operam perdere. Gladiatores antiquitus unguentis oleaceis ſe perungere ſolebant.

Bovem ad Ceroma mittere. h. e. docere indocilem. Ceroma dicitur unguentum, quo olim inungebantur Atlethæ. illud ex oleo & certis terræ generibus conficiebatur.

Agninis lactibus alligare canem. Plaut: unâ operâ canem fugitivum alligare agninis lactibus. h. e. rem deditâ operâ velle perditam. qui enim mollioribus intestinis canem alligat, is prædam cum bolo simul amittit.

Excubias agere in Naupacto. Achivi captâ Naupacto Pausaniam excubiis custodiæque præfectum interfecerunt. Hic jocus adversum eos, natus, qui ignaviâ suâ pereunt. Exiguum mercedis solvebatur illis, qui Naupactum præsidio tuebantur. Etiam in illos, qui frustrantur sua spe & exspectatione. Achaiæ civitas, à compingendis navibus sic dicta.

Camelus Pyrrhicam didicerit. In illos, qui repugnante naturâ & genio aliquid aggreditur, veluti si rustico libros dones, aut bellica arma togæ alumno. *Discit Camelus Pyrrhicam Cynesia.* Fuit Cynesias poëta prælongus, corpore immobili, tibiæ arboris asserculis circummunitæ ad gressus firmandos. Hic ad saltandum Pyrrhicam, quod tripudii genus velocis, erat ineptus. Hinc carminum pedes, qui pyrrhichii, syllabis brevibus.

Oleum & operam perdidi. Gladiatores antiquitus unguentis oleaceis se perungere solebant. Cic. ad Att. ne & oleum & opera nostræ philosophiæ perierit. ubi oleum pro sumptu ponitur. Sic, *Bovem ad Ceroma mittere.* h. e. indocilem docere. *Ceroma* dicitur unguentum, quo olim inungebantur Atlethæ: quod ex oleo & certis terræ generibus conficiebatur.

FUGÆ. *Fugiendi.* Vide *Discriminis. Belli.*

PEdibus perfugium peperit. Declinavi me extra viam.

Tempus est subducere me hinc. Avis me consimilem faciam.

Fuge hinc, & quadrigas Jovis inscendas. Citis quadrigis citò hinc abit.

Quin pedes vos in curriculum conjicitis?

Aliquid

Aliquid convasâssem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.

Fugias ne præter casam. Corripui me illico inde.

Ut corripuit se repente atque abiit. Proinde hinc vos amolimini.

Recipiebam me timidissimis passibus in viciniorem domum.

Iam pedum visa est via. Præcipites sese fugæ mandabant.

Fugæ tergum dare. Arripere fugam. Fugæ se credere. Terga dare.

Neque enim minus laudis est aliquando benè fugere, quàm fortiter pugnare. *Seneca.*

In fugâ salutem sperare, cum arma, quibus corpus tegitur ab hostibus, abjeceris, ea verò dementia est. *Sallust. in Catilin.*

Alcibiades in Platonis convivio non existimat in bello minoris esse virtutis bene fugere, quàm pugnare gnaviter.

Cæterùm, facies totius negotii varia, incerta, fœda, atque miserabilis. dispersi à suis. pars cedere, alii insequi. arma tela, equi, vini, hostes, cives permixti. nihil consilio, neque imperio agi. fors omnia regere. *Sallust.*

FULMINIS. Vide *Tempestatis. Tonitru.*

STrepitus, crepitus, sonitus, tonitrus, ut subito, ut properè, ut validè tonuit? *Plaut.*

Olympius Iupiter hunc fulmine percussit. Cyclopes in Ætna dicuntur Iovi fulmen fabricati.

Devorer ante prius subito telluris hiatu;
Aut rutilo missi fulminis igne cremer.
Quater inde coruscum contorsit dextera Fulmen.
Iamque erat in totas sparsurus fulmina terras. Vibrataque fulmina jactat.
Magnus ab æthereo personat axe fragor.
Humanas motura tonitrua mentes.

Cœlum tonat omne fragore. Toto sonuerunt æthere nimbi.

Tonitru cœlum omne ciebo. Tempestas sine more fuit.

Iris. Sed quid vult sibi ille coloris diversi Arcus, adverso sole in densâ nube falcatam portendens aciem? Iris est, Solis Lunæque radiis in rorido aëre reflexis, divini cum homine pacti fœderis & pluviæ impendentis signum.

Quid coruscantes illæ flammæ ardescente aurâ, & horrendo mugitu resonans cælum? nubium impulsarum est concussio, dum cohibitus strangulatusque intra vapor, ruptis violenter carceribus, exitum parat, factaque plagâ immanem cum colliso igne strepitum edit. *Tonitru vide.*

Quid comata supra nubes sidera? facesque horribili adspectu candescentes? Cometæ sunt, ex evectis in elatiorem aëris regionem incensisque siderum calore halitibus compacti, pestilentis ex infecto aëre contagii, æstusque vehementis, & bellorum sæpe ac seditionum prænuncii. *Cometa.*

Fulgur, seu coruscatio est flammæ micatio ab exhalationibus accensis & è nube erumpentibus exorta. *Arist. 2. Met. 9.*

Fulmen est exhalatio calida & sicca crassior magisque viscosa, in nube densa intercepta & concussa, & per antiperistasin inflammata, atque è nube magno impetu causa, deorsum decidens. *Arist. 2. Met. c. 1.*

FUNERIS. *Sepulturæ. Exequiarum.* Vide *Sacrificandi. Mortis. Vitæ.*

Facere alicui justa. Prodere alicujus causa in funus. Curare funus.

Mortuus perendie foras efferetur. Dare operam funeri.

Funere elata Resp. est. Honorificis exsequiis aliquem prosequi.

Sepulturæ honore non caruit. Efferre aliquem funere magnifico.

Qui

Qui liberorum obitum forti animo tulerunt. *Val. Max. c.10. l.5.*

Annum fœminis ad lugendum constituêre majores. non ut tam diu lugerent; sed ne diutius. Vivis nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis, vix retractis à rogo, vix à cadavere avulsis, cui lacrymæ in totum mensem duraverint? *Seneca.*

Olim magnates vivi adhuc sepulchri sibi locum eligebant, qui placeret. eumque lapide nigro, id est, funesto signabant. Festus Pompeius: *Niger lapis in comitio locum funestum significat, Romuli morti destinatum, sed non usu obvenit, ut illic sepeliretur.*

Apparatus mortuorum *Funus* dicitur. Exstructio lignorum, *Rogus*. Subjectio ignis, *Pyra*. Crematio cadaveris *Bustum*. locus *Ustrina*. Operis constructio, *Sepulchrum*. Inscriptum nomen & memoria, *Monumentum*.

Corpusque exsangue sepulchro redditur Hectoreum. Tumulo solennia mittent.

Diogenes interrogatus, num servum ancillamve haberet, negavit. Quumque percontator adjecisset: quis igitur efferet si moriaris? Cui domo, inquit, erit opus. Hac cura prorsus vacabat Diogenes.

Romani Præficas, quæ luctui præessent advocare, vel pretio conducere solebant, quæ cantu vel funebri carmine lamentarentur, præclara gesta summasque virtutes non sine miseratione laudarent.

Ægyptii, dum manibus defunctorum parentant, post preces oppleti lacrymis tumulum amplexantur & coronant.

Romani floribus ornare sepulchrum, sacrificio atque epulo defunctis parentare solent, nonnunquam thure & mero supplicare sine tibicine.

Bustum propriè est locus, in quo mortuus est combustus & sepultus. Dicitur bustum, quasi benè ustum.

Nigra vestimenta lugentibus accommodata sunt, à Varrone *amiculum nigellum* dicitur, vestitus lugubris

bris. Prisci *antracinum nigrum* dici voluerunt Anthrax enim græcè carbo dicitur, unde *antracina* lugentium *vestis*.

Apud antiquos nefas erat, atratum accumbere in epulo. Hinc M. Tullius Vatinio probro dat, quod cum toga pulla, id est, nigra in epulo Quinti Arii accubuerit, & quod cœnaverit atratus.

Nec tumulum curo; sepelit natura relictos.
Cælo tegitur, qui non habet urnam.

Conclamatum est: de mortuis dicitur, tanquam de vita ipsorum transactum & finitum sit. Conclamatum pro satis deploratum satisque vociferatum esse exponitur.

Mos fuit apud veteres ut mortui calida aqua abluerentur & per intervalla conclamarentur, propterea quod solet plerunque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere: ideoque servabantur cadavera septem diebus & calida aqua abluebantur, & post ultimam conclamationem comburebantur.

De *Mortuis* terræ commendandis & *Cœmeteriis* vide *Progymnasmata Tomani l.3. partis poster.*61.

Feralia tractata *l.2. Fatid. Parentis mei.*

De miro ritu sepeliendi *Camerar. Cent.*1. *c.*14.

De Funeribus & sepulchris lege *Rosinum lib.* 5. *cap.*39.

De jure sepulturæ *vide l.*4. *cap.* 5. *Schonborneri politicam.*

Feralia officia appellamus, quæ inferis defunctisque exhibentur. *Feralia* dicitur dies mense Februario, quâ feruntur justa manibus parentum, & celebratis parentalibus placant animas defunctorum. *Festus Pomp. ait:* Feralia esse festa sacrata Diis manibus à ferendis epulis, vel à ferendis pecudibus appellata. Hinc fœdera feralia & tædas ferales, pro mortiferis, dixit *Lucan.*

Ingentem struxêre pyram, cui frondibus atris,
Intexunt latera, & ferales ante Cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices & ahena undantia flammis

Expe-

Expediunt, corpusque lavant frigentis & unguunt.
Fit gemitus; tum membra toro defleta reponunt.
Purpureasque super vestes, velamina nota.
Conjiciunt; pars ingenti subiere pheretro,
Triste ministerium. & subjectam more parentum
Aversi tenuêre facem. Virgil.

Legitur apud *Plutarchum*, quod fœminæ antiquitus in luctu vestes albas induebant.

Diogenes inversâ facie voluit sepeliri, quia brevi omnia infima summa essent futura.

Humati dicuntur humo contecti.

Sepulti, quoquo modo conditi. Antiquissimum sepulturæ genus, authore *Marco Tullio Cicerone*, fuit reddere corpus terræ.

Cremare igitur cadavera apud Romanos non fuit veteris instituti.

Romani habebant tibicines, qui post ultimam conclamationem præcedentes funus, næniam funebrem, qua laudes defuncti recensebant, pudorem, integritatem & fidem canerent.

Ad hoc collegium pertinent, qui vivi quâ funeris pompâ velint efferri. quot tædas, quot pullatos, quot cantores. aut, ut pudescant defuncti, nisi cadaver magnificè defodiatur. *De Monach. Erasm. in Moriâ.*

Eloquentiæ studiosus inprimis cum veterum elegantiis conferat Neotericorum scripta ac ingenium. qui inprimis in Funebribus magnam vim & Suadam ostendunt. Inter quos primas agunt Cl. HEINSIUS, BOXHORNIUS, CUNÆUS, WINSEMIUS in Poësi divinus BARLÆUS.

Græci, ne fraudarentur solenni honore mortui, octavo ante sepulturam die per præconem funus indicebant, ut omnes ad honestandas exsequias confluerent.

Indorum pervulgata historia est, ut viro defuncto, quæ charissima in vita conjux fuerat, eodem igne absumatur.

Varius Funerandi ritus.

Immane quondam scelus sepulchra violâsse adeò ut lex sacratum esse locum jusserit, ubi corpus hominis demortui jaceret, diceretur que *in patrios Cineres minxisse*, cui nomen inauspicatè cadebat.

Sabæi corpora defunctorum eodem quo stercus modo ducebant.

Hyrcani non ad alium usum nutriebant canes, quàm ut vitâ defunctos illis objicerent.

Magi non prius humabant corpora, quàm à feris essent laniata.

Scythæ inter epulas honoris ergò mortuos voraverunt.

Vide de his plura in Ravis. Text. Offic. *cap.* 103. *lib.* 2.

Apud veteres Regum magnatumque cineres sæpe aureis, argenteis urnis conservabantur. ut apud nos plumbo & aliâ materiâ nobiliore ossa defunctorum.

De morte filiorum Principis.

Princeps fortiora solatia è complexu Reip. petat. 4. *Annal.*

Neque eadem ipsi decora, quæ modicis domibus. 3. *Annal.*

Inferius majestate ipsius est palam lamentari. 3. *Annal.*

Fœminis lugere honestum, viris meminisse. *de Morib. Germ.*

Sin novissimum spiritum bello per virtutem effuderit, certè, distingui debet memoria honesti exitus ab ignaviâ per silentium pereuntium. *Tac.* 16. *Annal.*

Ut quondam Divus *Iulius* amissâ unicâ filiâ, ut Divus *Augustus*, ereptis nepotibus, abstruserunt tristitiam. 3. *Annal.*

F U R A N D I. Vide *Impiet. Iustitia. &c.*

Novi ego istos Polypos, qui sibi, quicquid tetigerint, tenent. *Plaut.*

Furti

Furti se adstringare. Emunxi argento senes. *Idem.*

Homo trium literarum. Uncis manibus rem nummariam administrare.

Parietum perfossor. Aurum harpagatum est.

Vulcano studere. Minus jam furtificus sum, quàm ante hac.

Is me scelus auro usque attondit doctis dolis.

Illum ego hodie faciam arietem Phryxi. Emungam herculè hominem probè hodie.

Coqui milvinis & aquilinis sunt unguibus. Constrictis ungulis cœnam coquas.

Pecuniam ex Reip. visceribus eripere. Tanquam mures semper alienum panem arrodunt.

Ita me Dii ament, graphicum furem! Bonorum hamaxagogæ. Damnigeruli, forasgerones. *Plaut.*

Furtum est contrectatio rei fraudulosa, vel ipsius rei vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.

Furtum dictum est à *furvo*, hoc est, nigro, quod plerunque clam & in obscuro fiat. Et à Græco φῶρας auferendo.

Furtum manifestum, in quo fur deprehenditur, & hujus pœna est quadruplum.

Nec manifestum, cum non in facto fur deprehensus, sed tamen negari non possit. Nec manifestus est etiam, qui opem consiliumque dedit, & hujus pœna est duplum.

Plagium furti genus: unde *Plagiarii* dicuntur, qui abducunt aliena mancipia, aut liberos etiam.

Pœna ex *L. Fabia de Plagiar.* quandoque levior.

Furtum sine affectu furandi non committitur.

Pœna furti capitalis ex jure nunquam constituta fuit. Pecuniaria regularis. Capitalis quidem usurpata, cum concurrerent majora delicta *L. 15. de cond. furum.* Sed ea certa non fuit. Non enim ulla proportio est inter hominis vitam & bona furto ablata.

Raptus committitur cum puellâ, quæ violenter à domo patris abducitur, ut corrumpatur, aut corrupta uxoris loco habeatur.

Pœna,

Pœna, Si consentit mulier in raptum, fustigatio constituta est. Si invitissima rapitur & stuprum accessit, pœna capitis tenet rapientem: si non accesserit, pœna mitigatur.

Rapina annumeratur furtis, & atrocius furtum est. Quia vi fit. *Rapina* est contrectatio fraudulosa & violenta rei alienæ mobilis & corporalis.

Quod merito mirum videatur: pœna furti, quod raptum est, rapinæ triplum.

Ratio quare levius raptor punitur, hæc est: Quia *raptor* etiam secus quàm fur de violentia ex *L. Iulia de vi* potest accusari: Cujus pœna est quandoque *deportatio*, quandoque *ultimum supplicium*, quo quia raptor gravatus est, in altero non immeritò relevatur.

Quanquam meritò hic dicamus, quod non omnium, quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi queat.

Laverna. Dea furum. Hinc dicti Laverniones. fures. Etiam *Furina* dicta. Vide *Deos Deasque profanas*.

De Furtis stupendis & insignibus. *Philip. Camerar. cent.* 1. *c.* 64.

Furti & maleficii judicia vide lib. 3. Fatid. *Ed. Neuhusii pag.* 138.

In Furem.

Omnia cum furvis nox obruit atra tenebris,
Invigilas hominum, Fur scelerate, bonis.
Odisti roseos Phœbi radiantes honores,
Inque tuum usurpas sidera sacra nefas.
Ergò cuncta foras furvâ *quod nocte tulisti,*
Certum est, quod furva sis quoque nocte satus,
Furca *tibi merito pœna est. ac luce carebis,*
Odisti testem quod sine jure diem.

G.

GARRULITATIS. Vide *Lingua. Silentii. Taciturnitatis. Convitii.*

NUnquam quicquam verborum perperam sum proloquutus.

Sermo-

Sermonem ſerere. Nec caput, nec pes ſermonum apparet.

Verbùm nullum mutit. Nimium jam tinnis. Deſine linguæ fibulam laxare.

Sermonibus uti morologis. Vocem babet venalem.

Trahit nos vitium ſenile verboſitatis. In aurem alicui inſuſurrare.

Inſuſurrare ad aurem alicui familiariter. Tantilla tanta verba funditat!

Multi verborum flumen habent, mentis vix guttam.

Prætruncari jube tibi linguam garriloquam.

In pertuſum dicta gerimus dolium. Dii immortales, ut planiloqua eſt!

Ea lingulaca eſt nobis, nam nunquam tacet.

Vocis exilio aliquem punire. Mercenaria loquacitate in aliquem aliquid effundere.

Hinc nata proverbia : *Prolixius Iliade. Dodonaum as. Os infrene.*

Ἀκέφαλος μῦθος, *Sermo ſine capite.*

Ῥαχίας λαλίστερος : *Caute loquacior.*

Theocritus Chius, cum Byzantium veniret, & prodigos verborum homines audiret, Rectè, inquit, de vobis dicitur, quod in ore vobis omnis ſupellex eſt & unicum domicilium.

Primus Philoſophiæ nuncupator & creditor, nihil prius diſcipulos ſuos docuit, quàm tacere.

Zeno Philoſophus dixit aliquando juveni garrulo, quod *unum dederit Natura os ad loquendum, aures duas ad audiendum.*

Zeno dicebat è Diſcipulis ſuis aliquos eſſe φιλολόγες, variæ rerum cognitionis ſtudioſos: alios verò λογοφίλες, loquendi tantum ſtudioſos.

Democrates avaritiam quandam eſſe dicebat, omnia velle dicere & nihil audire.

Anonymus, Iuriſconſulto loquaci dixit; non *oportere multis verbis pauca dicere, ſed paucis multa.*

Vaſcula inania maximè tinniunt : ita quibus minimum ineſt mentis, hi ſunt loquaciſſimi.

Qui

Qui colloquuntur de rebus arcanis, si procul conspexerint garrulum, demisso senatu fugiunt. dicas supervenisse Mercurium, aut lupum esse in fabulâ. *Erasm.*

. Ilicò solvitur conciliabulum, nec aliter quam si nunciato hostium adventu subitò castra movenda sint. *Idem.*

In pueris, senibus, mulierculis quoniam imbecillior est animi vigor, lingua est intemperantior. *Idem.*

Pecuniam, credo, marsupio non credis, & tu inæstimabilem thesaurum circumferens, ore semper hiante obambulas? *Idem.*

Multi levius esse ducunt ægrotare, quam medicum perpeti impendio loquacem. *Idem.*

Notatus est, M. *Tullius*, Oratorum Princeps, quod jocos affectaret immodicè. unde & audivit à Catone, *Dii boni, quàm ridiculum habemus consulem!*

Quemadmodum tutior est à morbo comitiali, qui syncopes & capitis vertigines excludit pharmacis. Ita minus erit periculi à linguæ morbo, si malum huic cognatum & antistrophon, ut sic dicam, curiositatem vitent. *Erasmus in Ling.*

Garrulus pro sarcinâ in vehiculo est. eodem in lecto accubantem enecat. Garrulus nullo non tempore, nullo non loco mollestus est *Erasm.*

Ridetur Matho quidam apud Martialem, qui dum in febri declamat, pro diserto habebatur insanus. *Idem.*

Dodonæi lebetes non tinniunt nisi impulsi, & licet semel moti tinnitum in longum proferant, tamen aliquando desinunt. *Idem.*

Porticus illa, quam *Heptaphonon* vocant, post septies redditam vocem obticescit. Garrulus ultra tinnitum suum incipit. *Idem.*

Arrhabius ille tibicen pluris erat conducendus ut desineret, quàm conductus fuerat ad canendum. *Id.*

Fama domus apud Poëtas non resonat, nisi tacta rumore. Garrulus immensam fabularum vim ex sese gignit, velut araneus. *Idem.*

In

In Susurronem.

Semper in alterius linguam vocesque Susurro,
Quæ ratio est aures advigilare tuas?
Non, ô stulte, vides, proprio quæ mantica tergo est;
Quàm multa est oculis noxque chaosque tuis!
Lynceus alterius vitam moresque requiris:
Hic mirùm solers carpere multa soles:
In proprios primùm navos adverte, Susurro,
Conniveas vitiis ne quoque Talpa tuis.
Oderit invisos, hominum contagia Scurras,
Qui semel in doctas fervet amore Deas.
Nam nihil ad Musas facit irreverentia morum:
Quisque placet Musis, moribus ille placet.
Spurciloquæ non est locus hic, aut gratia linguæ;
Hic colitur Phœbus Castalidumque chorus.
Numine, Scurra, cares, & honesto Nomine: nomen
Nam turpe & putidum nil nisi stercus olet.

In Garrulum.

Omnibus in vitiis, queis nos afflavit Erynnis,
Turpius est stultâ Garrulitate nihil.
Linguam unam natura dedit: quam duplice vallo
Labrorum, ac crebris dentibus occuluit.
Aures attribuit geminas, patulasque reliquit,
Audire ut possis plurima, pauca loqui.
Fœminei est animi Virtus, Linguaque supellex,
Immodicis semper fundere verba modis.
Auribus utamur Linguâ magis: auribus ille
Plus peccat, qui non sæpe silenda silet.

Importunam garrulitatem vide descriptam *ab Horat. l.1. Serm. Sat.6.*

GAUDII. *Lætitia.* Vide *Triumphi. Victoria. Felicit.*

DEfœcato esse animo. Ita me amœnitate amœna amœnus hic oneravit dies.

Onerare se hilaritudine. Remigravit animus nunc denuo mihi. Animus remigravit in tranquillum. *Plaut.*

Næ

Næ, ego, hodie bonam vitam tibi feci? Basilico victu aliquem accipere.

Hodie hunc diem luculentè habeamus. Lætitia differor.

Nulla est ægritudo animo obvia. Gaudium mirificum agamus.

Usura falsi gaudii frui. Voluptas suaviter sensibus meis blanditur.

Affluentius voluptates undique haurire. Omni privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem.

Leniorem me dices, quàm mutum est mare, liquidiusculusque ero, quàm ventus est Favonius.

Ut in ocellis hilaritudo est! Onustum pectus porto lætitia lubentiaque.

Ripisque superat mihi atque abundat pectus lætitia meum.

Patientia gaudiorum difficilis est. Eamus eò pulchrè ut simus.

Natalitio munere nostrum hilarâsti animum. Falso gaudio aliquem ducere.

Restituam ego te in gaudia. Repente omnibus lætitiis incessit.

Perlectis tuis literis exilui gaudio. Animum subiit lætitia.

Tua gaudia in meo ære duco. Hilarâsti mihi diem literis.

Amœnitates omnium Venerum atque venustatum affero.

Hunc scio mea solidè solum gavisurum esse gaudia.

Iamne erumpere hoc mihi licet gaudium. Impendio magis animus gaudebat mihi.

Fortunæ tuæ gaudia in meo ære esse duco.

Archimedes inventa permisti auri & argenti ratione à balneo nudus cucurrit domum, clamans: Εὕρηκα Εὕρηκα.

Agesilaus, cum locupletaret amicos, solitus præ gaudio exultare.

Ioye

Ioye au cœur faict bon teinct.

Hilaria veteres diem appellaverunt 8. Calendas Aprileis, quo fit Æquinoctium vernum, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendebat, perinde ac tum primum exordium lætitiæ & hilaritudinis celebraretur.

Lubentiorem te faciam, quam Lubentia est. *Plaut.*

Lubentias appellat hilaritates, lætitias & voluptates sermonum ac jocorum.

Stulti ac mali non magis gaudent, ac prædam nacti Leones. *Seneca.*

Verum gaudium non nascitur, nisi ex virtutum conscientiâ. *Idem.*

Illud gaudium, quod Deos Deorumque æmulos sequitur, non interrumpitur, non desinit. *Idem.*

Apollo insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis & solicitudinibus aulam. Paucasque glebas pavoris expertes, quàm pinguissima Lydiæ arva metu referta. Et unum aut alterum jugum boum facilis tutelæ, quàm exercitus & arma & equitatum voracibus impensis onerosum, & usus necessarii horreolum nulli nimis appetendum, quàm thesauros omnium insidiis & cupiditatibus expositos. *Val. Max. lib. 7. cap. 1.*

Plerunque magnis gaudiis dolores obhærescunt. *Niceph.*

GLORIÆ. Vide *Nobilitatis. Honoris. Ambitionis.*

ADoreâ aliquem afficere. Benefactis tuis florentem me facis. *Plaut.*

Nulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet. *Cicero.*

Grassari ad gloriam virtutis. Laudem alicujus obterere.

Æterna Triumphi laude aliquem decorare. Laude atque honoribus amplificare aliquem.

Me non solum laudibus ornat, sed etiam onerat alienis,

Laus

Laus te allicere ad rectè faciendum potest. Me in societatem tuarum laudum venire patiare.

Spartani hominum illustrium Virtutem ad lyram cantare soliti: siquidem improborum facta nefaria.

Heraclytus viam ad gloriam maximè compendiariam esse dixit, si qui bonus esse studeret.

Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur.

Nemo est tam aversus à Musis, qui non mandari versibus æternum suorum laborum facile præconium patiatur. *Cic.*

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt: nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. *Idem.*

Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit. non qui ascendit per alterius incommodum.

Ut umbra nos vel invitos comitatur: ita gloria virtutem sequitur etiam fugientem.

Cicero: Gloria est vitæ humanæ splendor, mortis mors, virtutis præmium, certo ac constanti bonorum omnium judicio viris præstantibus redditum.

Ut juvenilis animus levium quoque rerum laude sublatus majores continuet. 3. *Annal. Tac. de Educat. Liber. Principis.*

Et si quid rectè fecerit, incorruptum facti testem habeat, fruaturque famâ sui. 2. *Annal.*

Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præmiorum amplissimum esse præmium, gloriam: hanc unam, quæ brevitatem vitæ, posteritatis memoriâ consolaretur, quæ efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus. Hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere. *Cicero in Milonianâ.*

Nunquam excelsi ingenii virum humilia delectant. *Seneca.* At vulgus gloriæ studium superbiam vocat.

De gloriæ cupiditate vide *Valer. Maxim. lib.* II. *cap.* 8.

Monita de termino Gloriæ.

Inconſulta cœpta plus impetus habere ſolent,quàm roboris. quæ poſt ipſa ſtatim principia penitus langueſcunt. Exitio enim vicina dulcedo eſt, velut *Bias* ait, morbus animi.

Ita habendus generoſus gloriæ ſpiritus, ut ſpatia ei ampla nimis non dentur; ſed ut in curriculo rationis fræno contineatur. Non e. imprudenter petere debes, quod nunquam conſequi poſſis.

Quemadmodum ei, qui arborum magnarum fructus ſectantes, dum altitudinem non metiuntur, & ad cacumina feſtinant, præproperi cum ipſis, quos comprehenderint, ramis decidentibus, gravi ſeſe ruinâ affligunt.

Cave, quæſo te, ne vera rerum nomina corrumpas: non eſt magnitudo animi; ſed ſuperbia, nec quicquam attinet, cælum conſcendere & *imponere Pelion Oſſæ.* Ad quod conatus iſti planè Titanii?

Affectabat paternos currus *Phaeton*; ſed mundum vota illa incenderunt. Inhibendæ rapidæ cupiditatum rotæ.

Exemplum dabunt ambo *Gracchi*, infelix par fratrum. Qui ſi civilem dignitatis concupiſſent modum, quicquid per ſeditionem adipiſci conabantur, quietis. Reſp. obtuliſſet.

Etiam *Iugurtha*, quem Scipio monebat, ultrò gloriam & regnum obventura, ſi permaneret in virtute; ſi properantius urgeret, præcipitem ruiturum.

Multi Ambitionem & Gloriam confundunt.

Ariſtophanicus *Cleon* alterum pedem in Pylo, alterum in foro figit: laudem ac gloriam poſt mortem non ſpectat, non expetit, nec odium quoque hominum, aut execrationem extimeſcit. Verum honorem non in judiciis eorum ſtatuit, ſed externo titulorum ſplendore, quibus ſe parem reddere nullo modo curat.

Termi-

Terminum nullum habet, ac quod avaritiæ commune, à fine rursus incipit, dum primò æquales, mox superiores, postremò suasmet ipsa spes antevertere parat.

Ambitio a. superbiâ provenit, per fas, per nefas ad honorem atque potentiam grassatur.

Ipsa honorum summa fastigia occupat, potentiæ duntaxat consequendæ causâ.

Ambitiosus mercede potius delinquere, quàm gratis rectè facere; Remp. pro aureâ messe habet quemadmodum tribunal sunt *Stratocles* & *Dromoclidas*.

Quod *Caracalla* Imperatori olim Iulia, id ipsa sibi dictat: *Si libet, licet.* Ad tyrannidem consurgit, quamque nec ad regna aut principatus pertingat. nam qui minus tyrannum eum existimabimus, qui in Rep. quàm regno amplissimo potentiâ ad libidinem & crudelitatem abutitur?

Respublica Gloriæ materies.

Respublica terrestris quidam æther est, in quo tanquam sidera defixit nos homines Naturâ. Exequamur munus nostrum. Spargamus lumen, & irradiemus.

Hæc in *Togâ*, hæc in *Sago* administratur. in Togâ mens ejus habitat; in Sago manus laborat. Vide *Meursium de Gloriâ c.* 16. *&* 17.

Mamertinus Consul: Hoc polliceor, semperque præstabo, mihi neque in suggerendis consiliis veritatem, neque in adeundis periculis animum, neque in hominum voluntatibus pro Rep. lædendis libertatem defuturam.

Cicero ex indignatione ad frementem olim civitatem hoc modo: Nihil me clamor iste commovet. sed consolatur, cum ostendit, cum indicat esse quosdam cives imperitos. Nunquam, mihi credite, Populus Romanus, hic, qui silet, Consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.

In Rep. opus Prudentiâ.

Prudentiæ tantum veteres tribuerunt, ut eam suum unicuique Deum dicere non dubitaverint. Hæc maximè

ximè in consiliis versatur. Quod pulchrè describit. *Meursius c.16*.

Consilia quandiu valuerunt, tam diu prosperum imperium omnia regna, nationes, civitatesque habuerunt. *Idem*.

Nam, teste *Aristotele, consilia dare, res inter homines omnino est divina*. Quemadmodum non injuriâ Demonico dixit Isocrates ἡγῦ μέγιστον εἶναι παρὰ μὲν θεῶν δυστυχίαν, παρὰ δ' ἡμῶν αὐτῶν δυσβουλίαν.

Sapienter olim *C. Cæsar*: Necesse est evenire Cæsari, quod necesse. Recte Senatui quoque respondebat *Tiberius*: *Experiundo didicisse, quàm arduum, quamque Fortunæ subjectum regendi onus*.

Audi à Rege vocem insignem & dignam Rege: *Gloria in integro est, additâ modestiæ famâ, quæ neque summis mortalium spernenda est, & à Diis æstimatur*.

Superbia in Rep. inprimis vitanda. Et in eâ opus est Eloquentiâ. ut docet in eodem *cap.16. de Gloriâ CL. Meursius*.

Excellentibus ingeniis citius defuerit ars, quâ civem regant, quàm quâ hostem superent.

Non sine causâ *Fulvius ille Nobilior* novem Musarum simulachra ex Ambraciensi oppido translata Herculi consecravit, æde communi dicatâ. Musarum siquidem quies ab Hercule defendi debet. Herculis virtus Musarum voce cantari.

Antigonus Rex mortuo Zenone dixit: οἷον θέατρον ἀπολώλεκα. Quis non Achilli *Nestorem*, Themistocli *Solonem*, Pausaniæ aut Lysandro *Lycurgum*; C. Mario *M. Scaurum*, Pompejo M. T. *Ciceronem* prætulerit? Ego certè pro Marte *Consum* patrem laudaverim.

An Doctrina gloriam paret.

Famam & nominis immortalitatem cum honore & laude conjunctam Musæ largiuntur. at virtus sola gloriam: cui amplius quiddam & illustrius inest, quod animo facilius complectimur, quàm linguâ exprimimus. *Meursius*.

Virtus

Virtus illa Gloriæ mater in actione consistit; Doctrina tantum per vaga cogitationum diffusa, in mente sedem fixit. *Idem.*

Doctrina, quid sit Gloria, ubi sit, quoquo modo acquiratur ostendit. Cum exempla illa majorum, incitamenta ac fomenta virtutis contra novercantis oblivionis injuriam benigna & forti manu asserit, *Idem.*

In primâ ætate gloriæ indicia se erigunt. Sic *Alexander* certâ futuræ virtutis spe Macedoniam totam, nondum manu impleverat. adhuc puer minimè puerilia quærebat. Vide *Curtium.*

Sic *Cato, Cicero, Themistocles* futuræ sapientiæ documenta dedere, in teneræ ætatis initiis.

Nobiles istæ animæ è corpore juvenili & vegeto abeunt seniles, immò senes. Quippeni? quæ quod vixerint, non numerant; sed quod præclarè egerint. paucitatem annorum operum multitudine compensantes. *Meursius.*

An *Adolescentia* Gloriæ capax. disputat *idem c.19.* De *Nobilitate natalium* & Opibus *c. 20.*

Ammianus ait: *Virtute Senior, quàm ætate.* Et talis *Piso* apud Silium: *Qui*

Ore puer, puerique habitu, sed corde sagaci
Æquabat senium.

Vide militem. gloriabitur ille vulnerum multitudine & periculo. & fluentem illum sanguinem hilaris emittet. aperiet grandius vulnus ut tantò splendidius gloriam paret.

Vile enim illi corpus, qui magnam gloriam petit, ut olim Porsennæ Regi Mut. Scævola.

Remittere quasi amittere animum est.

Præclarè Pisoni apud Tacitum *Galbâ*: cum invidiâ quamvis, egregii erimus.

Miltiadæ trophæa Themistoclem verè nobilem ac generosum fecerunt.

Ita *Theseus*, qui virtutis & gloriæ exemplum Herculem sibi proponebat.

Talis *Alexander M.* cui semper terrarum orbis angustus: qui Anaxagorâ disputante de plur. mundis in suspiria prorupit. Sic

Sic *C. Cæsar*, qui Alexandri res gestas cum in Hispaniâ apud templum Herculis delineatas videret, ingemuit mœstissimâ voce, quasi illâ ætate adhuc nihil dignum laude egisset.

Quo numero censendum *Manlium* illum Capitolinum, qui famam malebat magnam quàm bonam?

An tu illum generosi nominis famam promeruisse putas, qui Dianæ templo sceleratas faces injecit?

Spreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit. *Livius*.

Gloriam qui spreverit, veram habebit. *Idem*.

Gloriam parare & quærere arduum est: nescio, an tueri difficilius sit. *Idem*.

Mihi rectius esse videtur ingenii, quàm virium, opibus gloriam quærere. &, quoniam vita, quâ fruimur, brevis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere. *Sallust. in Catil.*

Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. *Val. Max. l.7.c.2.*

Solet amplissima gloria objecta esse semper invidiæ. *Ammian. Marcell.*

Gloriæ jactura generosis animis omni incommodo & calamitate debet esse gravior. *B. Facius Hist. l.7.*

Magnificentius est virtute acquirere parva regna, quàm ex Regum regibus nasci. *P. Æmil. l.5.*

Sola dulcedo gloriæ non senescit. *Thucyd.*

Optimi mortalium altissima cupiunt. *Tacitus, Annal. l. 5.*

Etiam sapientibus. cupido gloriæ novissima exuitur. *Idem*.

Vide plura in *Philosophiâ* Historicâ *Goulartii*. Tit. *Gloria*.

In *Theseo* gloriæ studium enituit, cui Herculis claritas ita cor inflammârat, ut non alius ferè illi esset sermo. unus ille ut animum, ita os quoque & linguam implebat.

Alexander Macedo, quum legeret, apud Homerum, Hectore adversarium sibi sorte de novem ducibus poscente, exercitum trepidum à Iove petiisse, ut

vel Ajacem, vel Diomedem, vel Agamemnonem daret, *Occiderem*, ajebat, *illum, qui me tertium nominässet.*

Lycon Philosophus necessariò Adolescentiæ inculcari ajebat cupiditatem gloriæ. videlicet, ut illo stimulo incitati alacriter ad præstantissima quæque contenderent.

Hannibal ad tot tantosque labores solâ gloriâ se prædicat exstimulari his verbis:

—— mihi magna satis, sat vera superque
Bellandi merces sit gloria, catera vobis
Vincantur.

Maximè gloriosi, sæpe habent suos nævos.

Ita *Achillem* in Hectoris cadaver sævitia nullum devenustat. *Ajacem* in Deos suos contemptus; *Alexandrum* poculorum certamen, tot heroum injusta cædes. *Iulii Cæsaris* quoque claritudo libidine, rapinis multum obscurata. *Antonius* Cleopatræ amore, Avunculi proditione, Ciceronis cæde reliquum sui nominis lumen exstinxit. *Pompejus* repudio Antistiæ, nuptiis Æmiliæ fœdam sibi maculam inussit. &c. Hæc pulchrè tractat *Meursius c.11. de Gloriâ.*

Contra illos, qui Gloriæ studium Ambitionis arguunt.

Ergo *Thrasybulus* ne occidat tyrannos; *Lycurgus*, *Solon*, *Draco*, legibus ferendis abstineat. Ne servet Thebas *Epaminondas*, nec Græciam à servitute vindicet. Nec repellet Xerxem *Themistocles*. Quiescant *Camillus*, *Fabius*, *Metellus*, *Scipio*, *Cicero*, *Cato* &c.

Humili loco nati ad Gloriæ culmen pervenêre. *c.21. Meursius.*

Oraculi vocem attende:

Summos posse viros & magna exempla daturos
Vervecum in patriâ crassoque sub aëre nasci.

Neminem pudere debet natalium. Deus enim regit fatali suâ lege Familiarium ortus & occasus.

Etiam sæpe magni viri priorem vitam per inertiam & turpitudinem egerunt. *c.22. Idem.*

An

An gloriam appetenti se ipsum laudare liceat, & quomodo. c. 25. *Idem.*

Præclarè Imp. *Iulianus*: Turpe est sapienti, cum animum habeat, laudes ex corpore quærat.

Thales admonebat, unum in vitâ eligendum esse. sc. *Gloriam.* Hanc sequamur.

Mundo solem eripere, Homini gloriam, idem est. illo sublato, quis mundum optat? hac: quis vivat? Solem tolle, & tenebræ erunt. Tolle gloriam, itidem tenebræ oborientur. *Meursius de Glor.*

Profectò! vita ad gloriam obtigit. vult Deus cognosci præstantissimum opus suum. Et tu abjicis te in tenebras? Occultas beneficia divina, eripis Deo honorem improbe fur. Ratio verè regina est sine pari. *Idem de glor. cap. 6.*

Quod si pupillum tuæ fidei commissum haberes, nonne omni curâ satageres? *Ibid.*

Non temerè *Socrates* gratias egisse diis dicitur, quod homo factus esset (Gloriæ sc. capax:)

Quem denique in unum
Descendit Deus, atque habitat, seque ipse requirit.
Denique non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor. Ovid.

Vera gloria radices agit atque etiam propagatur. ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt. *Cic.*

Plurima attexere huic loco libuit ex clarissimo MEURSIO qui divinitus GLORIÆ hanc materiam pertractavit.

GRATIAS AGENDI. *Gratia.*
Vide *Ingratitudinis.*

PRo benefactis gratiam reddere. De cœnâ tibi gratiam facio.

Pro illo munere honor est habitus.

Adeò res rediit, si quis quid reddit, magna habenda est gratia. *Terent.*

Cumulatè gratias agere. Grates gratias agere. Illustri gratia aliquem excipere.

Gratia, qua tarda est, ingrata est: gratia namque,
Cum fieri properat, gratia grata magis.
Gratia pro rebus meritò debetur inemptis.

Rusticus, invento thesauro, Telluri gratias egit. Fortuna cum non procul abesset, malè hoc tulit, quod nihil Corydon iste gratitudinis retulisset. Irarum itaque plena in hunc prorupit sermonem: Nequam Rusticus ubi perdidit suum thesaurum, meum iterum Numen omnibus votis venerabitur.

GRATITUDINIS. Vide *Ingratitudinis.*

CHilon dicere solebat, beneficii dati oblivisci decet, accepti meminisse.

Simonides, rogante quodam, ut sibi conscriberet encomium, & gratiam se relaturum. Duas respondit arcas domi habeo, unam gratiarum, alteram argenti, & cum necessitas exigit gratiarum quidem arcam aperiens, inanem ipsam reperi, alteram verò solam mihi commodam.

Romulus & Remus cum expositi ad Tiberim essent & à Lupa victum accepissent, ejus beneficii memores Lupæ simulachrum Romæ posuerunt.

Alphonsus Arragonum & Siciliæ Rex à nemine unquam gratitudine & officio vinci se passus est.

Alexander Magnus prædicare solebat, à nemine se unquam benignitate fuisse exsuperatum.

Dextram jungam, tesseram fidei & amoris, & si unquam occasio erit, præstabo me ad gratiam referendum, non modio, sed horreo toto. *Lips.*

Ut *Ulysses* ille apud Alcinoum nihil habet, quod rependat pro ingentibus meritis præter vota & grates: ita ego, quem cætera destituunt, præter munera hæc mentis, quæ vobis magnis quoque sæpe magna. *Idem cent. Epist.* 2.

De *Gratitudine* agit *Valerius Maximus lib.* 5. *cap.* 2.

HABI-

H.

HABITANDI. Vide *Ædium.* *Agrorum. Hortorum.*

H*Abitare triginta millibus.* h. e. pro habitatione triginta millia dare.

Habitator & *Hospes* tantum differunt quantum interest inter domicilium habentem & peregrinantem. Ergo habitator est, qui residendi animo, sive in suo, sive in conducto, sive in gratuito cōsistit. Hospes verò, qui temporis causâ tantisper, dum in viam redit, aut quiescendi, aut negotiandi gratiâ commoratur.

Cicero: *Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit.*

Quid sit Legatum usus & habitationis disputat ICtus. Vide *Lexicon Schardii. Legatum habitationis,* quasi proprium aliquod jus videtur. Differtque ab usu habitatio, quà species à genere. &c.

Stabile alicubi stabulum habere. Habitare laxè & magnificè.

Juvat nos istius loci salubris habitatio. Mihi Harlingæ non jugis est statio.

Nobilium Romanorum habitatio erat in collibus.

Non tantum corpori; sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic ne inter popinas quidem. *Seneca.*

Cicero inter vitæ beatitatem posuit, bene vestire, bene habitare, bene edere, bibere, &c.

Laudo tamen vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet. atque unum civem donare Sibylla.
Gratum littus amœni
Secessus: Ego vel Prochytam propono Suburra.
Juvenal. Sat. 3.

Tecum habita, ut nôris, quàm sit tibi curta supellex. Persius. Hoc est, domi tuæ metire te tuo pede.

HÆREDITATIS. Vide *Testamenti.*

HAc lege ad me rediit hereditas. Testamento alicui legare aliquid.

Testamento facere aliquem heredem. Instituere, scribere aliquem heredem.

Veniet inde ad me hereditas. Gloria virtutis omni patrimonio præstantior.

Auctionem hereditariam constituere. Ille patris hereditatem spe devoraverat.

Ab intestato hereditatem adire. Intestato mortuus est, *hoc est*, sine Testamento facto.

Scriptis & legitimis heredibus vacat hæreditas.

Exhæredandi rationes apud Wesembecium.

Bis septem ex caussis exhæres filius esto.
Si patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum.
Criminis accuset, vel paret insidias.
Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,
Testari ve vetet, se societve malis.
Si mimos sequitur, vitietve cubile paternum,
Non orthodoxus; filia si meretrix.

De ingrato Herede Horatius. Od. 14. l.2. Carm.

Absumet heres Cæcuba dignior,
Servata centum clavibus: & mero
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cænis.

HISTORIÆ. Vide *Doctrina*. &c.

TAmetsi haud quaquam par gloria scriptorem & authorem rerum; tamen inprimis arduum videtur, res gestas scribere: primùm, quod dictis facta adæquanda sunt. dein, quia plerique, quæ delicta reprehenderis. malevolentiâ & invidiâ dicta putant. *Sall.*

Cæterùm ex aliis negotiis, quæ ingenio exercentur, inprimis magno usui est memoria rerum gestarum. *Idem.*

Cum

Cum majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi. Memoriâ enim rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam æquaverit. *Idem.*

Famæ rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem. *Livius dec.* 1. *l.*7.

Conscribitur historia, ut sit thesaurus potius ad omnem posteritatem, quàm ludicrum quoddam, quo ad præsens tantum tempus aures demulceantur. *Thucyd. l.* 1.

In historiis veritatem, prudentiæ & sapientiæ initium, reconditam esse existimamus. *Dionys. Halicarn. lib.* 1.

Ambitionem scriptorum facilè adversamur. Obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. *Tac.* 3. *Hist.*

Unius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt. quæ verò pro utilitate Reip. scribuntur, æterna sunt. *Vegetius lib.*2. *cap.*3.

Græci sua tantum mirantur. Romani dum vetera extollunt, recentium sunt incuriosi. *Tac.* 2. *Annal.*

Rara temporum est felicitas, ubi sentire, quæ velis, & quæ sentias dicere licet, *Idem lib. Histor.*

Ego nihil haustum ex vano velim, quò nimis inclinant fermè scribentium animi. *Livius Dec.*3.*l.*2.

Historia temporum testis, lux veritatis, memoria & magistra vitæ, nuncia veritatis. *Cic.*

Historiæ scribendæ lex prima, veritas: cui ex vero profitendæ magnum imminet periculum. Quia *obsequium hoc tempore amicos, veritas odium pariat.*

Vester porrò labor facundior historiarum
Scriptores. petit hic plus temporis, atque olei plus.
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, & crescit multâ damnosa papyro.
Quæ tamen inde seges? terra quis fructus apertæ?
Quis dabit Historico, quantum daret acta legenti?

h. e. Actuario, sive Advocato. Iuv. Sat. 7.

HONORIS. Vide *Laudandi. Fama. Gloria.*

Circumstant te summæ authoritates. Authoritatem sibi in Rep. suscipere.

Acies authoritatis tuæ hebescit. Florere authoritate.

Primas in Rep. tenere. Summus honos ad me pervenit.

Adolescentes magno ingenio refrænandi sunt potius, quàm incitandi.

Omnia ornamenta in virtute posita lucent. Fastigio honorum conspicuus est.

Viam capessendi honoris affectare. Magni nominis mensuram implere.

Nihil potest honori nominis tui officere. Nullum in te ornando, honestando, colendo locum aut tempus prætermittam.

Tuæ dignitatis accessiones meo studio consequeris. Tu pone te latebis facilè, ne inveniat te honor.

Cum malè regnat ὄνος. tum malè cessit Honos.

Contemptio boni nominis vitium est, cum imprudentia & insania quadam conjunctum. *Plutarch. in Alcibiade.*

Fama infirmissimum adversus viros fortes telum. *Curt. l.4.*

Fama maximum in bello momentum. *Idem l.5.*

Famâ bella constat, & sæpe etiam quod creditum est, veri vicem obtinuit. *Idem l.8.*

Unum est insatiabiliter parandum prospera sui memoria. Nam contemptu famæ contemnuntur virtutes. *Tac. 4. Annal.*

Magni honores, immodicæque potestates etiam hominum animos ad fastum extollunt, atque corrumpunt. *Dion. l.36.*

Virtutis uberrimum alimentum est honos. *Valer. Max. lib.2. c.4.*

Magni fiunt animi magnis honoribus. *Livius Decad. 1. lib. 6.*

Satis clarus est apud timentem quisquis timetur. *Tacit.2. Hist.*

HOSPI-

Hospitii.

Divertere apud aliquem. Hospitium alicui præbere.

Ducere aliquem in tabernam diversoriam.

Parare alicui hospitium. Apud aliquem diversari.

Amicissimè tuus affinis me hospitatus est. Velim mihi commodes de tuo cubiculo.

Nemo adeò in amici hospitium devertere potest, qnin ubi triduum commoratus, jam non odiosus fiat. *Plaut.*

Hortorum. Florum. Vide *Agrorum.Veris. Æstatis.*

Hortorum laudes & vitæ rusticæ amœna, lege in divina *Horat. Od.2. l. Epod.*

Virg. *Aliena ex arbore germen*
Includas, udoque docens inolescere libro.
Sic sæpe alterius ramos impune videbis
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere
corna.

De Vitibus *L. Lemnius.*

Ineunte vere putanda ac coërcenda ferrô, ne plus justo sylvescat, & in omnem partem nimia fundatur. Deinde fulcienda pedamentis ac scandulis cancellatim intercurrentibus: vinculis vincienda, quo melius claviculis se erigat, quibus obvia quæque tanquam manibus complectitur.

Sub hac quoque fornice viridi, ac pampinis concamerata testudine, in longum porrigenda area, vel in Sphæristerii, vel deambulandi usum: deinde ex vivo cespite utrinque conficienda sedilia, quo in herbido ac viridante toro respirare liceat, ac lassitudinem discutere, *Idem.*

Pergulam illam topiario opere vides? Hæc Musarum mihi domus est. hæc sapientiæ meæ Gymnasium & Palæstra. Illic pectus feria arcanaque lectione

 impleo.

impleo. aut femente quadam obfero bonarum cogitationum. Hominem imò, ipfum exuere mihi videor, & in altum rapi igneis fapientiæ quadrigis. *Lipf.*

Vides veteres illos fapientes? in hortis habitaverunt. Eruditas hodie doctafque animas? hortis delectantur. *Idem.*

Beatum curarum! maneat, & urbanas illas pallentefque fugiat. & Floram, Pomonam, Segetiam amet, adjungatque noftras Deas. *Idem.*

Domus fuppeditat mihi hortorum amœnitatem.

Meus hortulus jam pridem animam egit: credo enim per hujus diei æftum ablatum illi omnem fuccum & vitam. *Lipf.*

Cariores mihi bulbi ifti Tuliparum felectarum, quos ad me mittis, quam fi globulos totidem ex auro. *Idem.*

Supra omnes Alcinoos inftructum habet hortum. Hyemis acrimonia florem omnem, ut fic dicam, florum meorum interfecit. *Idem.*

Cladem Cannenfem fum paffus, & miferam inter flores meos ftragem.

Nam nunc, ô funera, quæ hiems illa dedit, clades Cannenfis eft in meo horto.

Flores proftrati, occifi & vix tertia pars fupereft copiarum. Magno fructu fe arbor induit. *Lipfius varius locis.*

Hominem ipfum exuere mihi videor, & in altum rapi igneis fapientiæ quadrigis.

Pergulam illam topiario opere vides? Hæc Mufarum mihi domus eft; hæc fapientiæ meæ Gymnafium & Palæftra. Illic pectus feriâ arcanaque lectione impleo; aut femente quadam obfero bonarum cogitationum.

Hæc imaginatio mea in hortis, Lipfi, hi fructus: quos non permutem cum omni gazâ Perfarum aut Indorum.

Viridi illi Lyceo tot differtationes de naturâ debemus; umbriferæ Academiæ de moribus. Et ex horto-

hortorum ſpatiis diffuſi uberes illi ſapientiæ rivi, quos bibimus, & qui fœcundâ illuvie terras inundarunt. ſcilicet, attollit ſe magis erigitque ad alta ipſe animus, cum liber & ſolutus, videt ſuum cælum: quàm cum urbium aut ædium carceribus incluſus. Hîc mihi vos Poëtæ duraturum aliquod carmen pangite, &c. *Lipſ. in c.3.l.2. Conſt.*

Vide mihi illum è calice, hunc è vaginâ alium è gemmâ protuberantem Denique inſpice in uno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diverſa. Quæ illa tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat ſe molli aliquâ cogitatione, & liqueſcat. Jam ades, curioſe tu ocule, defigere paullum in nitores & pigmenta. Inſpice hanc nativam purpuram, hunc ſanguinem, hoc ebur, hanc nivem, hanc flammam, hoc aurum. Denique quis exhalans ille odor? quis penetrans ſpiritus? Et, neſcio, quæ pars ætheræ auræ infuſa ab alto. ut non vanè Poëtarum noſtra gens flores pleroſque natos finxerit è ſucco aut ſanguine immortalium deorum. O Venerum & Gratiarum ſedes! &c. *Ibidem*,

Horti ab antiquis ſingulari cura habiti: quia mortales tunc temporis magis parci & frugales. Nunc dapibus libidinoſis pretia, & præmia penè conſtituta. Hortos ſuos imprimis oleribus & herbis ſeverant: quibus cibis victum tolerabant. Hinc *hortus* Κῆπος dictus. *Hortulanus*, aut olitor Κηπουρός.

Horti etiam non ſolum oleribus; ſed & arboribus conſiti erant, voluptatis gratiâ. Hinc *Pompejani*, *Salluſtiani*, *Luculliani Horti.*

Hedera ab hærendo dicta eſt, quod vetuſtis parietibus inhæreat. Alii tamen ad edendo, quod muros exedat. Alii, quod edita petat loca.

Olim quæ *ambulationes hortenſes*, *Pergula*, *Area*, *Sepes*, Vide *Textorem in Off. de Re hortenſi*. Qui ibidem arborum & fruticum quorundam nomina explicat.

Adonidis horti. De rebus immaturis dicitur, quæ radicem nondum egerunt. Adonis enim Veneris amaſius, primo ætatis flore exſtinctus eſt.

——— *Expenditur auro*
Immitis spolium Borea. Barlæus.

Ingenua est hortorum, & mystica quædam vis illis inest. *Lips.*

Quis vires & viros in oppidis quæsivit, aut invenit? adeò vetus illud verum in omni gente & ævo est: optimum militem ex agris legi. Parti olim bello potentes, &c. *vide Agri.*

Cœlum hîc habes, Langi, non hortum. nec astrorum illi ignes profectò magis nitent, in serenâ nocte, quàm hi tui scintillantes micantesque variè flores. *Lips.*

Adonidis hortos loquuntur? nugæ, ad istos comparari, & imagines muscarum. Et simul propius accedens, & flores quosdam naribus oculisque admovens, quid primùm voveam? inquam. Oculus cum Argo fieri, an nasus cum Catullo. Ita utrumque sensum permulcet mihi & titillat hæc voluptas. *Lips.*

Ite, ite, omnes Arabum odores, qui nauteam mihi præ halitu hoc ingenuo & verè cælesti.

Campi Elysii, Elysii non sunt, præ hoc tuo rure. *Idem.*

Quàm aptè omnia in areolas suas pulvillosque disposita, ut non elegantius tessulæ aliquæ in pavimento. *Idem.*

Sacras literas lustras? videbis unà cum orbe nato natos hortos. Profanas? Ecce Adonidis, & Alcinoi, & Tantali, & Hesperidum hortos fabulæ & proverbia loquuntur.

In veris historiis reperies Cyri Regis manu plantaria instituta, & Semiramidis aëreos pensilesque flores, & Masanissæ novum & celebrem cultum. *Lips. Const. l. 11. c. 2.*

Philosophi & sapientes remoti ab insano foro & urbe, hortorum se spatiis sepibusque clauserunt.

An illis Tarquinium regem video, jam tum priscâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem, & papaverum capita resecantem? *Idem,*

Catonem

Catonem Censoreum agnosco in re hortensi deditum, & de eâ seriò scribentem.

Lucullum, post Asiaticas victorias, in iisdem otiantem. Syllam abjectâ Dictaturâ, suaviter hîc senescentem. Et Diocletianum Principem olera sua & lactucas, ad Solonam, purpuræ & omnibus sceptris præferentem. *Lips.*

Amas floridam hanc purpureamque nympham.

Tu etiam in illa sectâ, quæ exorta est hodie, malè otiosorum, malè feriatorum?

Hi sunt, quorum literæ in Thraciam, Græciam, Indiam discurrunt: idq; seminis exigui aut bulbuli causâ.

Romanum illum riserit aliquis, qui piscem suum atratus luxit? isti plantam.

Iam si quis ex his Floræ candidatis novius aliquid aut rarius sit, ut ostentat?

E quibus non nemo tristior domum discedit, quàm olim in præturæ petitione victus Sylla aut Marcellus. *Lips. in* II. *l. Const. c.* 3.

Quid dicam, nisi hilarem quandam insaniam esse? nec absimilem illi puerorum, pallentium & rixantium circa pupas suas & sigilla. *Idem.*

Non desidiæ sepulchrum hortum habeo, sed secessum. *Idem.*

Profanum genus! & quod jure arceam ab Orgiis veri arcanique horti.

Homines tibi molesti? hîc apud te eris. Occupatio exhausit? hîc replebere. ubi animo quietis illud pabulum, & ab aurâ puriore velut inspiratio novæ vitæ. *Lips. ibid.*

Ut pictores longâ intentione hebetatos oculos ad specula quædam & virores colligunt: sic nos hîc animum defessum, aut aberrantem. *Idem.*

Miles Romane Ægyptum cave. Hoc ex libris Sibyllinis desumptum. Aliqui de Pompeio interpretantur. ne sc. Ptolomæum armis in regnum restitueret. Alii aliter. Illa enim gens armis inclyta populos regeret, diligenterque ab Ægyptiis sibi caverent. h. e. à deliciis & mollitie alienigenæ gentis. Apud Memphin

in aureâ columnâ literis Ægyptiis scriptum erat: tum demum Ægyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces. Sic in sacris legimus: *Fugere ex Ægypto*, h. e. à vitiis. *Ad Tit. Volupt.*

Vive bidentis amans & culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoraeis.
Est aliquid quocunque loco, quocunque recessu
Unius sese dominum fecisse lacertae. Iuv. Sat. 3.

Quod hortuli sint domicilia lacertarum. Et Pythagoraei solis herbis vescebantur. Hic monuit suos discipulos, ut à carnibus abstinerent.

Vaccinium Romanis flos purpurei coloris. Graeci ὑακίνθον. quod probat Servius, quando explicat, *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* Nihil obstat, quod nigra dicat: nam authores purpuream violam quoque *nigram* appellant. Praesertim, si fusciores purpurae habeat colorem.

HOMINIS. Vide *Vitae. Ingenii. Animi. Miracula. Artium. Ædium.*

Diogenes quodam tempore lucernam accensam gestans obambulabat in foro clarissima luce, quaerenti similis. Rogantibus quid ageret? *Hominem*, inquit, *quaero*. Notans publicos hominum mores, vix homine dignos.

Idem in foro stans, clamabat: Adeste homines. Quanquam jam frequentes convenissent, nec ille desineret clamare: Adeste homines. Quidam indignati, en adsumus, dic aliquid. Tum Diogenes baculo illos abigens: Homines, inquit, adesse jussi non sterquilinia. *Diog. Laërt.*

Aristonymus homines vitam theatro similem esse dicebat, ubi pessimi hominis ferè semper primatum obtinent.

Aristoteles interrogatus, quidnam esset homo? *Resp.* imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunae lusus, inconstantiae imago, invidiae & calamitatis trutina: reliquum verò pituita & bilis.

Alexan-

Alexander, cum Deus ubique vocaretur, se, quod mortalis esset duabus potissimum rebus deprehendere dicebat, Somno & Coitu. Hæc præcipue hominis produnt imbecillitatem: somnus e. quid aliud est, nisi gelidæ mortis imago? Coitus idem, quid aliud, nisi species morbi comitialis? *Plutarch. in. Alex.*

Homines sumus, *hoc est*, non diu sumus.

Nobilissimum rerum homo solus in cōnditorem suum calces jacit & resistit.

Quid est homo? *Resp. Seneca:* Quodlibet quassum vas & quodlibet fragile.

Quid est homo? *Resp. Plinius:* Lucerna in vento posita.

Quid vertex capitis, nisi testa fictilis? Quid cerebrum, nisi lutum coagulatum? Quid nares, nisi meatus putredinis? Quid oculi, nisi humor diffluens? Quid venter, nisi saccus stercorum? Quid superbis igitur ô Homo? Impurum sterquilinium, imò stercus ipsum, quid superbis? *D. Bernh.*

Corpus Hominis constat, ex Anatomicorum sententia, membris 365.

Comperiuntur numero exactissimo ducenta quadraginta octo. sicut in digitos misere Hippocrates & Galenus. In capite numerantur 59. in thorace 67. Brachiis manibusque 61. adscribuntur pedibus 60.

Ingenuus est is, qui statim, ut natus est, liber est; sive ex duobus ingenuis editus est, sive ex duobus Libertinis, sive ex altero libertino, altero ingenuo. Etsi quis ex matre nascitur libera, patre servo; ingenuus nihilominus nascitur. Sufficit ei, qui in ventre est liberam matrem vel medio tempore habuisse.

Libertinus est is, qui ex justa servitute manumissus est. Libertinorum appellatione conditione hominum significatur, sicuti Ingenuorum nominė, liberti illi ipsi quidem homines sunt, sed tamen ad patronos ea appellatio refertur, ac privatum quendam respectum denotat.

Quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit. *Seneca.*

Quid

Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? an ut cibos & potiones percolarem, ut hoc corpus casurum ac fluidum periturumque nisi subinde impleatur, farcirem, & viverem ægri minister, ut mortem timerem. cui omnes nascuntur. *Seneca.*

Si homo es, id quod es, semper esse te cogita. *Curt. l. 7.*

Nostra omnis vis in animo & corpore sita est. animi imperio corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune est. *Sallust. in Catil.*

De HOMINE ejusque in utero formatione lege *Magirum c 15. l. 5.*

Humano ingenio esse. Leni ego sum animo natus, non possum adversari meis.

Imprimis in præceptore oportet mixta humanitati sit severitas.

O hominem facilem! ô hospitem non gravem! Laus liberalitatis uni maximè Cæsari debetur.

Ut hesperus inter sidera, ita inter virtutes præcipue fulget humanitas.

Mirifica tua elucescit Urbanitas. Nihil possidet humanitatis.

Imago Dei Homo totus.

Quam est præstans tua, ô Homo, dignitas! Quàm divina & felix tuendæ lucis tibi evenit conditio! quanta est tui generis excellentia! nobilitas, altitudo.

Non seminati malignorum serpentium dentes; non jactati vacuum in orbem Lapides; non fabulosum prodigiosi partus ovum, nascendi tibi fuit initium.

Explodantur hic impia *Manichæorum* deliria, facessant stulta *Anthropomorphitarum* commenta; qui humanum corpus ad divinæ formæ exemplar finxerunt. Deus Spiritus est, nullâ corporis compage inclusus, nullis locorum naturæque terminatæ spatiis definitus.

Vide

Vide Hominis descriptionem, & Animæ inprimis *in l.3. Fatid. E. Neuhusii. c.1.*

De corporis humani dignitate. *Ibidem.*

Contemplare oculis Figuram humani corporis surrectam, os sublime, vultum cælos tuentem. Bestiis pronis capitibus in terram deflexis, quàm certum hoc est nostræ dignitatis argumentum! quàm clarum divinæ originis testimonium!

Contuere universam corporis animati fabricam, membrorum compagem, vultus lineamenta; partium singularum usum &c.

Objicitis probrosam intecti inobseptique corporis nuditatem? At illa symbolum erat puritatis internæ.

Culpatis corporis molem Elephantis? velocitatem Cervis, levitatem Avibus, firmitatem leonibus, longævitatem corvis imparem esse? At quantò satius est, &c. *Ibid.*

Etiam hisce adde doctissimam orationem *Cl. C. Barlai*, de Ente Rationis, & Realis.

Mira in Homine.

Quæ tua erat M. *Crasse*, indoles, ut nunquam rideres? *Pomponi*, ut non sternutares? *Antoni*, ut non exspueres? *Socrates*, ut eundem in omni fortunâ vultum retineres? Unde tibi illa oculorum acies, *Strabo*, ut Punici belli tempore, à Siculo promontorio, quid in Africano ageretur portu, per viginti quinque milliaria, prospiceres? unde tibi, *Tiberii Cæsar*, ut caliginosâ nocte è somno experrectus, tanquam affusâ luce, omnia manifestè cerneres?

Amistus uno die, mirante Alexandro mille ducentorum stadiorum spatium currendo confecit.

Puer alius *Plinii avo*, novem natus annos, à medio die in noctem intempestam spatium quinque & septuaginta millium passuum peragravit.

Africæ quædam gentes, oculis exundante bile infectis; pueris arboribusque, in quas aciem contagiosam intendebant, mortem afferebant. Et in Scythia fœminæ, *Bythiæ* dictæ, binas in oculis pupillas habebant

bant, visuque perimebaut, si quem fortè iratæ adspexissent.

Alexander: cujus ex optima corporis tem peratione sudor fragrante quodam odore redolebat.

Pyrrhi dextro in pede pollex fuisse videtur divinæ virtutis, qui lienosis contactu medebatur.

Vespasianus Imp. salivæ illitu cæcum; pedis tactu tabidam manum pristinæ restituit sanitati. *Fatid. lib. 3. cap. 3.*

HYEMIS. Vide *Æst. Veris. Autumni. Sylva* &c.

Cum tellus niveo tecta vapore latet.
Cum brumale riget glaciali frigore cœlum.
Cum Boreas gelidam spirat ab axe nivem.
—— Cum cœlum brumali frigore torpet.
Cum terra riget brumalibus usta pruinis.
At nunc tristis Hyems squallentia protulit ora,
Terraque marmoreo est candida facta gelu.
Nix jacet, & jactam non sol pluviaque resolvunt:
Indurat Boreas perpetuamque facit.
—— Hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frænaret aquarum.
Et glacialis Hyems canos hirsuta capillos.
Tristis Hyems montes niveo velamine vestit.
—— Hyems Aquilonibus asperat undas.
Tantaque commoti vis est aquilonis, ut altas
Æquet humo turres tectaque rapta ferat.
Pellibus, & sutis arcent mala frigora braccis,
Oraque de toto corpore sola patent.
Sæpe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu.
Nudaque consistunt formam servantia testæ
Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
—— Crudo sub frigore tellus
Concrevit.
Concrescant subita currenti in flumine crustæ.
—— Cuncti concrescunt frigore rivi.
Vidimus in glacie pisces hærere ligatos.

Tempus erat vitreâ quum primum terra pruina
Spargitur.
Deque lacu fragiles effodiuntur aquæ.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.

Vide singularem Elogiam Ovid. de Tristibus l. 3. Eleg. 10.

Hyems duo significat; aut tempus, aut vim venti, per quam oritur tempestas.

Cum pelago desævit hyems. Emissamque hyemem sensit Neptunus.

Vide Titulum *Tempestatis* : in quo multa *Horatiana*.

I.

IGNAVIÆ, IGNORANTIÆ. Vide *Otii*, *Inscitia*.

ABs te socordiam omnem amove; segnitiem rejice.

Cave pigritiâ prævortier. Non tibi cunctandi nunc copia est.

Nihil loci est segnitiæ neque socordiæ. Inertiæ se corrumpendum dare.

Remissio animi desidem facit. Mulier miles. O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

Neutiquam hæc res neglectu est mihi. Ejicienda hæc mollities.

Turpe est inprimis in patria peregrinari.

Socrates solebat dicere, rerum peritiam optimum mundi bonum esse, rem pessimam imperitiam.

Cicada more suo æstatem cantando producunt; Formica verò, sedulum animalculum, in hyemem sibi prospicit de necessario vitæ victu. Quid misera Cicada? Illa formicam sollicitare, orare obnixè, ut parum de suo communicet. Recusat Formica, increpans ignaviam Cicadæ, quod illa æstatem producat in otio.

Dediti

Dediti corporis gaudiis, per luxum, atque ignaviam ætatem agunt. Cæterùm ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in naturâ mortalium est, incultu atque socordiâ torpescere sinunt. Cum præsertim tam multæ variæque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur. *Sallust.*

Nemo ignaviâ immortalis est factus. *Sallust.*

In vitium ducit culpa fuga, si caret arte.

Horat. in arte Poët.

Nobilis equus umbrâ quoque regitur, ignavus ne calcari quidem concitari potest. *Curtius.*

Solœcismum committere. in illos obtinet, qui nihil ordine agunt. Solæcismus propriè vitiosa est orationis constructio. Inordinatæ mensæ structura quoque Solœcismus dicitur. Etiam de amoribus Martialis: *Solœcismum liceat fecisse marito.*

Ne inter apia quidem sunt. Antiquitus extremus hortorum ambitus apio conferebatur, quem qui nondum præteriissent, veluti in horti adhuc vestibulo esse videbantur.

Pro amphorâ urceus. Horat. Amphora cœpit institui, currente rotâ cur urceus exit? Noli scilicet magno hiatu quid promittere. Urceus pro re minimâ sumi solet. In illos, qui suscepto oneri impares succumbunt.

Discum quàm Philosophum audire malunt. In vulgus, ineptiarum studiosum de Oratione Cic. discum, quàm Philosophum audire malunt. Erat e. publici exercitamenti genus, quo discus æneus arte simul & viribus ita ab humo torquebatur in altum ut extra certum spatium decideret. in iisdem locis, in quibus hi lusus peragebantur; disserebant & Philosophi. Sed crepitu ad discum vocante, Philosophum subitò deserebant omnes. Sic plurimi audire malunt disci strepitum, quàm vocem Philosophi.

Artemon quidam adeò fuit mollis, ut semper lecticâ circumferretur, nunquam pedibus itaret, haberetque duos utrinq; famulos pelvim æneam supra caput ferentes, ne quid supernè noxium incideret.

Propterea

Propterea factus est proverbio locus: *Artemon versatilis.*

Dithyrambis minus mentis habes, de hominibus incogitantibus.

Blandoque veneno.

Desidia Virtus paulatim evicta senescit.

Idcirco salubriter præcipit *Pacatus* panegyrista, tergendam otii esse rubiginem, & opere veternum esse discutiendum, ne virtus quietè languescat. Gaudent divina perpetuo motu & jugi agitatione se vegetat æternitas: stare sol nescit.

Nemo ignaviâ immortalis est factus. *Sallust. in Iugurthâ.*

Myndiridem ajunt fuisse ex Sybaritarum civitate: qui cum vidisset fodientem & altius rostrum allevantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere. Idem sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset.

Un Borgne est Roy au pays des aveugles:
Un demy sçavant est fort estimé entre les ignorans.

Enerves animos odisse virtus solet. *Val. Max.*

Nihil proficient præcepta quamdiu menti error offusus est. *Seneca.*

Herculis adem mulier non intrat. in illos, qui præcipitatis studiis statim ad Philosophiæ mysteria se conferunt. Sic rudes & ignari dicuntur mulierum instar, qui capessere Remp. volunt, minimè illi idonei.

Alius simul atque treis lineas circino duxerit, Euclidem sese putat. *Erasm. in Moriâ.*

Dispeream, si vel semi-sapientem inveniet, imò si vel trientem viri sapientis. *Idem.*

Neque enim mihi cornea fibra est. Persius hæc in ignorantes & Stoicos, qui carent omni sensu & affectu naturali. quod Ovid. dixit:

Et rigidum ferri semina pectus habet.

Quadrante dignum. in contemptum semibarbare Latini. Explicatur Iuvenalis hoc igitur, *Quadrante lavari*, exiguâ mercede dignum. Sic, bonâ veniâ, quadrantaria

drantaria & diobolaris meretrix dicitur. Quadrans ex æreis nummis minimum.

Verba imperitorum, ut ventre editus crepitus. *Seneca.*

In Pigrum.

En piger, ut plenos eructat pectore somnos!
Ut sua purpureu ventilat ora rosis!
Sed facit ad vanos nil Palladis area fucos:
Quos mala desidies in sua vota trahit.
Odimus ingenium molli torpore solutum,
Atque per illecebras corpora fracta suas.
Mane rubescentes Phœbi præverte quadrigas,
Qui dignum Phœbo munus opusque facis.
Turpe est, in lento producere somnia lecto,
Cùm vigili Gallus provocat ore diem.
Exemplo Formica fiat, quæ corpore quantò
Est minor, hoc tantò grandius urget opus.

IGNIS. *Flamma. Incendii.* Vide *Terra. Aq. Aëris.*

Vulcanum cornu conclusum gerit. *Plaut.*
Succensis ignibus torrere taurum.

Phaëton ictu fulminis deflagravit. Sceleratas faces tectis inferre.

Incendium redimere pecuniâ. Animadversum est fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant.

Descripsisti urbis partes ad incendia. *Cic.*

Non debuit diutius quasi sub cineribus delitescere hic ignis: quin quia honestus est exerat se, & chartarum illo adminiculo det flammam. *Lips.*

Faber, vide ne aliquid trahas à levitate tua ignis. *Idem.*

Lemnius ignis. In Lemno gravis est ignis eruptio.

Aphya in ignem. Aphya citissimè coquitur. Hinc proverbium de iis rebus, quæ subito desinunt. *Aphia, piscis est.*

Fomes, à fovendo, hoc est, nutriendo igne dicitur.

Est

Est e. assula ex arbore, dum cæditur, excussa, & ponitur pro omni materia sicca.

Et focus à flammis, & quod fovet omnia, dictus.

Prodigiosa Incendia vide in Fatidicis *Edonis Neuhusii P.* c.x1.lib.2

Vesta. De Vestalibus lege antiquitates Romanas in Breviario *Romæ illustratæ I. Lipsii.* ubi totum de illis Syntagma.

De cultu & origine Vestæ. De Templo Vestæ. De Disciplinâ Vestalium. De Vigiliis Vestalium. De Sacrificiis, Stipendiis, Insignibus, Pœnis, &c. *Ibid.*

Iam frivola transfert
Ucalegon: tabulata tibi jam tertia fumant,
Tu nescis. Juvenal. Sat. 3.

IGNOMINIÆ.

FAmosum se facere flagitiis. Ponere aliquem in crimen & infamiam.

Sin patefit in probro sum. Male audire. Detrahere alicui ornamenta ingenuitatis.

Infamiæ sordibus relinqui.

Notam nefariæ turpitudinis alicui inurere. Inurere maculas alicui æternas.

Sicut mors *Callisthenis* est, Alexandri Magni crimen æternum, quod nulla virtus, nulla felicitas bellorum redimet: Ita mors *Socratis* est Atheniensium macula ineluibilis, quam nulla doctrinarum claritudo, nullæ res gestæ abluent.

Aut Livor, aut stupor eum habet, & in vervecum patriam à nobis relegetur. *Lips.*

Strumam dibapho tegere. Dixit Cic. ad Atticum, pro eo, quod infamiam aliquâ dignitate obliteremus. Vatinii, inquit, Strumam bibapho tegere. *Dibaphon* appellat purpuram bis tinctam *Struma* est tumor corporis, veluti gibbus. Hæc deformitas solet purpura sæpe dissimulari.

IMAGI-

IMAGINATIONIS.
Vide *Opinionis. Suspicionis.*

DE *Imaginatione Melancholicorum* lege l.2. *Fatidicorum Parentis mei.* In Edit. Iansonianâ pag 457.

Ibidem de imaginatrice facultate. & *Imaginibus insolitis* ante oculos oblatis. Vide *Spectrorum* &c.

Melancholia signa vide lib.3. Fatid. pag.267.

Speculum vanæ & ineptæ Persuasionis vide in *Phil. Camerar. cent.* 1. *c.*43.

De Imaginationis vi & efficaciâ *cap.*54. *cent.* 1. *Camerarii.*

IGNOSCENDI. *Venia.* Vide
Excusandi. Reconciliandi.

OBsecro da mihi hanc veniam. Velatis manibus aliquem orare. *Plaut.*

Id te oratum advenio, ut animo æquo ignoscas mihi. *Idem.*

Secundo favore aliquem respicere. Errati veniam impetrare. Lethæo poculo offensa alicujus mergere. *Lips.*

Lenire offensas. Ignoscere verecundiæ. Volo ad inspectionem dictorum utrique parti æquus accedas.

Quam benignè gratiam fecit. Si quid fecero dementi animo, nihil ignoscet. *Plaut.*

Verum tibi hanc omittam noxiam unam. *Idem.*

Syre, ignoscas volo, quæ mea causa fecit. Hoc te obsecro, quantò tuus est animus natu gravior, ignoscentior, ut meæ stultitiæ injustitia suasit aliquid præsidii. *Terent.*

Pro nostrâ amicitiâ morarum culpam remittas. Silentio superiori venia justa præstetur. Hæc ipsa apud te culpæ confessio prodest ad veniæ facilitatem. Exploratissimum medium veniæ Imperialis implorat. *Symmach. in Epist.*

Ob epistolæ delinimentum veniæ pretium feres. Indignatio literarum tuarum melle placanda, *Idem.*

Bonâ

Bonâ hoc tuâ veniâ dixerim. Delicti veniam peto. Voluntario facinori veniam dari non oportet. Veniam necessitati dare. *Ciceroniana.*

In trutinâ ponetur eadem.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius; æquum est,
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.
Horat. serm. lib. I.

IMPEDIMENTI.

Vide *Periculi.*

TArdare alicujus animum. Alicujus animum facere dubium.

Multijugis difficultatibus impediri. Fortuita impedimenta studium meum frænarunt.

Pluviarum interventus me retardavit. Valetudo saucia obstrepit voluntati.

Hoc diverticulum interclusit mihi importunè aliquis nebulo.

Remoram alicui injicere. Obstacula ponere.

Corvus aquabit. De *iis, qui ægrè aliquid consequuntur.*

Diremit hæc nox interventu suo.

Plaut. Multa interturbârunt propositum meum. Vide, ne qua mala scæva interveniat. Rerum summa obstitit, & multa me pronum abripuere, &c.

An tempestas continet? mihi unus scrupulus restat, qui me malè habet. Paululum negotii mihi obstat. *Terent.*

Cognitio multis est obstructa difficultatibus. Delabitur in magnas difficultates. Negotiis familiaribus impediri. Veritas mihi manum injecit. Tardare animum alicujus. *Ciceroniana.*

Nisi proposito restitisset imbrium continuatio. Ne festinatio tuâ obviis solatiis frangeretur. Plerumque sors disposita conturbat. *Symmachi.*

Impellendi.

Incitandi. Vide *Admonit.*

Dictis suis aliquem facere incensum. Suo impulsu aliquem incitare.

Me impulsore hoc fecit. Si hic non insanit satis sua sponte, instiga. *Plaut.*

Feci inflammandi tui causa. Subdere alicui stimulos. Injicere alicui alacritatem & lubentiam.

Quo magis libido frustra incendatur, ut ipsius animum cupidum inopiâ accenderet. Irritare crabrones. Perpulisti me. Ubi duxere impulsum vestro. *Terentiana.*

Qui illi rei malæ fuimus illices. Illicere aliquem blandè. Quid mihi es author? Ne animum induxeris tuum. Magis nunc me amicæ dicta stimulant. *Plautina.*

Iugurtha Bocchi animum oratione incendit. *Sallust.*

Hoc unum tibi persuasum volo. Per eam sponsionem tu me hujus curæ vacuum reddidisti. *Symmachus.*

Imperii. *Imperandi. Magistratus.*

Vide *Regni Coronæ, Principis.*

Facere aliquid pro imperio. Imperio vivere uxorio.

Interdictis suis aliquem facere mansuetum.

Basilicas edictiones atque imperiosas habere. *Plaut.*

Vicaria potestate per provinciam fungi. Illius humeris bene imperium sedet. *Plin.*

Cum imperio. Gallus in sterquilinio multum potest.

Facile est imperium in bonos. Nunquam defugiam authoritatem, ist est, faciam quod imperat.

Alicujus delegata curare. Da operam, ne quid Resp. detrimenti capiat. *Cic.*

Volun-

Voluntatem ecaſtor mihi imperas: quod ſc. libens facio.

Celebre tuum apud nos imperium, hoc eſt, facile tuum imperium exequimur.

Herile imperium ediſcat, ut quod frons velit oculi ſciant. *Plaut.*

Nec regna ſocium ferre nec tædæ ſciunt. Tam frictum illum reddam, quam frictum eſt cicer. *Idem.*

In ſummo Imperatore quatuor hæ virtutes eſſe debent: Scientia rei militaris, Virtus, Authoritas, Felicitas.

Nemo benè imperium gerit, qui non ipſe prius ſub imperio fuit.

Imperium ſi in parvo contemnitur, in omni parte violatur.

Ubi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate libido atque ſuperbia invaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur. *Salluſt.*

Imperii vis omnis in conſenſu obedientium eſt.

Summum imperium invidiam habet, nec tutum unquam ab inſidiis.

Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt. *Salluſt.*

Nihil aliud eſt imperium, quam cura ſalutis alienæ.

Optima gubernandi ratio eſt continere vulgus in officio, non tam ſævitia, quàm moderata quadam ſeveritate. *Cic.*

Improbandum eſt, ut idem homo pluribus Magiſtratibus præſit, nam unum opus ab uno optimè perficitur. *Ariſt. in Politicis.*

Adhibenda eſt Reip. cauſa ſeveritas, ſine qua Civitas nulla adminiſtrari poteſt. *Cic. in off.*

Nulla quæſita ſcelere potentia diuturna eſt.

Metiri ſua regna decet vireſque tueri.

Pericles, Quotieſcunque belli dux creatus eſſet, chlamydem induens, apud ſe dicere conſuevit: Attende Pericles, quod geſtaturus es imperium.

Cyrus dicebat neminem debere ſuſcipere Principatum,

cipatum, nisi esset melior his, in quos susciperet imperium.

Scipio Africanus, quibusdam calumniantibus, quod parum strenuus bellator esset; Imperatorem, inquit, me pater, non bellatorem genuit.

Antigonus videns Filium suum violentius & immodestius se gerere, Fili, inquit, novistine nostrum regnum esse nobilem servitutem?

Ubi non est pudor, nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est.

Nec tam imperio nobis opus, quam exemplo. *Seneca.*

Invisa nemo imperia retinuit diu.
Non sic excubiæ, nec circumstantia tela,
Quam tutatur amor.

Hoc inexpugnabile munimentum est, munimento non egere.

Peragit tranquilla potestas, Quod violenta nequit: mandataque fortius urget imperiosa quies. *Claud.*

Melius beneficiis imperium custoditur, quàm armis. *Seneca.*

Ars prima regni est, posse te invidiam pati.
Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum, Seneca.

Nunquam regnum stabile, ubi in dissidiis aut odiis ii, qui reguntur. *Lips.*

Ut si guttas aliquot aceti in magnum vas aquæ mulsæ jaciam, non ipsum corrumpam, sed gratiam fortasse magis ab acore aliquo addam: sic in magnis imperiis magis sentitur bonorum bonitas, si pauci interveniant acidi aut amari. *Lips. in Admirandis.*

A nullâ re majus periculum imperiis aut sceptris, quàm ab innovatâ aut insidiosè simulata religione. *Contra Dial. Lips.*

Fulcrum

Fulcrum imperiorum est servare Religionem & Pietatem. *Idem.*

IMPETUS. *Invadendi.*

INvadere in oculos alicui. Involare in crines.

Facere irruptionem. In alienas provincias irruere.

Ergò in os ebrius mihi eructas? Subitò ingurgitare se in alienas opes.

Convertere impetum in aliquem. Impetum perditorum hominum tua virtus franget, reprimet, retundet.

Acres impetus cunctatione languescunt, aut in perfidiam mutantur. *Tacitus. 12. Annal.*

Iuvenile vitium est, regere non posse impetum. *Sen. in Oedipo.*

IMPIETATIS. *Malitiæ.* Vide *Contemnendi. Vitii. Violentiæ. Peccati.*

TAntane væcordia innata cuiquam sit? *Terent.*

Supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur. *Cic.*

Ne ullum pilum Viri boni habere videtur. Animus imbutus malis artibus. *Sallust.*

Iulianus Cæsar sacrorum omnium hostis, religionum prædo fuit.

Nefarius dicitur sceleratus, à farre, quo scelerati uti non debeant. Hinc, qui indigni sunt qui vivant, nefarrii vocantur. *Nefarium est*, Varrone & Nonio testibus, quod sacra polluit, farre pio solita celebrari.

Sua quemque fraus, & suus error maximè vexat, suum quemque scelus agitat.

Compendiaria res improbitas: quia facilius vitia, quàm virtutes addiscimus. Virtutes singulæ magno sudore parandæ.

Hominem nequam vocamus *Vlyßis remigium*, propter voluptatem.

Cheopes Ægypti Rex templa omnia obseravit, ne populus sacrificaret Diis.

Odi improbum, qui frugi sermonem profert. *Plaut.*

His nunc pretium est, qui recta prava faciunt.

Malus ubi bonum se simulat, tum est pessimus.

Δύσμορφος εἶεν μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.

Duplex Cappa, alluditur è *Græco* κακὰ ad hominem malum. Sic Plautus furem, *trium Literarum hominem* vocavit.

Irritamus quotidiè magnum illud Numen, Et quasi puniendi justæ causæ non sint, damus novas. Quando luxus, fastus, libido major, impunitior? Et Relligio passim nunc in ore, improbitas in corde. Verba pietatem sonant, facta ambitionem, avaritiam. Nec in uno alterove, sed apud plerumque, ordinem, ætatem, sexum. *Lips. Cent. Epist.* 2.

Carcer ille novus tot Lentulorum quò erumpet? *Lips. in Epist.*

MAHUMETIS *Impietas.*

ITa me Deus, indecora, futilis, nec colore, ullo veri tincta religio. ô nugas, ô deliria! Deum unum statuunt, eumque corporeum. Christum non Deum, sed magnum vatem & Prophetam, se tamen majorem & proximè à Deo missum. Præmia, qui ipsum audient, Paradisum, qui post aliquot annorum millia reserabitur. Ibi quatuor flumina, lacte, vino, melle, aquâ fluere. Ibi palatia, ædificia gemmata atque aurata esse. Carnes avium suavissimarum. Fructus omne genus, quos sparsi jacentesque sub umbrâ arborum edent. Sed, caput felicitatis, viros fæminasque majores solito, magnis genitalibus, assidua libidine & ejus usu, sine tædio aut fatigatione. Ille verò Veneris his illecebris totam legem suam implevit. Et viro permittit uxores justas 4. habere. Pellices tot, quot lubet, &c. non ausus pudicis auribus plura hujusmodi addere. *Vide cap.* 111. *Mon. & Exempl. Pol. Lips. lib.* 1.

Egregium

Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, & miranti jam sub aratro
Piscibus inventis, & fœta comparo mulæ;
Sollicitus tanquam lapides effuderit imber.
Examenque apium longâ consederit uvâ
Culmine delubri. tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Iuvenal. Sat. XIII.

Impietas grande malorum malum, cum Homo à ratione, imò à natura abit, contemptor Numinis aut nugator. quod illa asseruit, & hæc insevit.

Fredericus II. Imp. cui sæpe in ore: tres fuisse insignes impostores, qui genus humanum seduxerunt, Moysem, Christum, Mahumetem. *Ibid. Lips.*

Mitior *Alphonsi* X. Hisp. R. sed non melior vox aut sensus: qui solitus providentiam identidem culpare & dicere: Si principio mundi ipse *D*eo affuisset, multa melius ordinatiusque condenda fuisse, &c.

Scortator Venerem habet pro Dea; luxui gulæque serviens Cemum habet pro Deo; ebriosus Bacchum colit pro Deo. Non mactat illis pecudem, sed se ipsum illis pecudem facit ac sacrificat. *Eras. in Linguâ.*

Quæ scelere pacta est, scelere rumpetur fides.
Sen. in Med.

Qui à claris parentibus degenerârint, docet *Val. Max. cap. v. lib. 3.*
Impiè dicta & facta *Idem* lib. 9. cap. XI.

Grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis & populorum Dona.
Minor extat Sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?
Iuvenal. Sat. 13.

Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Ejectum semel attritâ de fronte ruborem?

Quisquam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum;
Aut maris Ægæi rupem, scopulosque frequentes
Exulibus magnis. Pœnâ gaudebis amarâ
Nominis invisi. Tandemque fatebere lætus
Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse deorum. *Iuvenal. Sat.* XIII.
Mobilis & varia est ferme natura malorum
Cum scelus admittunt: superest constantia. quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus. tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia. Ibidem.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Ibidem.

In Atheistam.

TUrpe negare Deum nimis est, Incredule: debes
Qui vitam atque anima singula sensa Deo.
Inspice cunctarum solers penetralia rerum:
Qualibet agnosces parte locoque Deum.
Si cœli rutilos orbes emensus & astra;
Hic Domini cernis grande potentis opus.
Si mare velivolum rostratis classibus intras;
Navigat hic unà portio magna Dei.
Si terram purosque Ignes metiris ad unguem;
Offeret hic magnâ se quoque parte Deus.
Disce Deum, dum Fata sinunt, ô impie: Disce
Dædala quod mundi machina plena Deo.

Fabarum arrosor. Ille dictus, qui in creandis Magistratibus suffragia vendebat. In genere de illis, qui præmia & pecunias accipiunt propter delata suffragia. Veteres ante calculorum usum, suffragia nigris & albis fabis ferebant. Unde natum est: *Abstinendum à fabis.* h. e. Magistratum & honoribus per usum fabarum nobis delatis.

IMPOSSIBILITATIS.

Vide *Frustra*.

Simul sorbere & flare difficile. Aquilam testudo vincit.

Citius Elephantem sub alâ celes. Prius locusta bovem pariet.

Ab asino lanam. Ex arenâ funiculum nectis. Lusciniæ deest cantio.

Vulcanium vinculum. De rebus, quæ evitari non possunt.

Aquila in nubibus. De iis, quæ ægrè consequi possumus. Non enim capi solet aquila in nubibus.

Nam prius incipient turres vitare Columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.
Iungentur jam Gryphes equis, ævoque sequenti,
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Antè leves ergo pascentur in æthere Cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces;
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tygrim.
Nam caput è nostra citius cervice recedet,
Et patiar fossis lumen abire genis.
Nominis ante mei venient oblivia nobis.
Vere prius volucres, taceant æstate Cicadæ,
Terra precor vultus obruat antè meos.
Solis ad Eöas currus agetur aquas.
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
Spiritus hic vacuas prius extenuendus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo.
Cana prius gelido desint absynthia Ponto,
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo.
In caput alta suum labentur ab æquore retrò
Flumina, conversis solque recurret equis.
Terra feret stellas, cælum findetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas:
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.

Vere prius flores, æstu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribusque nives.

Horat. lib. Epodῶν. Od. XVI.

Simul imis saxa renârint
Vadis levata, ne redire sit nefas:
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra junxerit libidine.
Mirus amor, juvet ut tygres subsidere certis,
Adulteretur & Columba milvio.
Credula nec fulvos timeant armenta Leones:
Ametque salsa lævis hircus æquora.

Priusque cælum sidet inferius mari,
Tellure porrectâ super:
Quàm non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

Horat. lib. Epod.

Ignibus junget aquas
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta syrtis. ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem
Et ora damis blanda præbebunt lupis,
Quam, &c. Sen. in Hippolyto.

IMPRECANDI. Vide *Calumnia.*

VTinam, malè qui mihi volunt, sic redeant.

Abi in malum cruciatum ab ædibus. Mali sunt homines, qui bonis dicunt malè.

Obcluisti allium germana illuvies. Dii te eradicent, & pessimis exemplis interficiant.

Abi hinc in malam rem scelus, cum suspicione isthac. *Idem.*

Quæ quidem res illi malè vortat. Ingeram maledicta multa. Quin tu abis in malam pestem & cruciatum.

Hic hodie apud me nunquam delinges salem. *Plaut.*

IMPE-

IMPERATORIS. Vide *Principis. Regni. Imperii.*

NOn decet Imperatorem properè quicquam agere. *Dion in M. Ant.*

Malum Imperatorem habere eſt, ſub quo nemini licet quicquam facere: Sed, multò pejus eſt, quàm omnia licent omnibus. *Dion in Nerva.*

In bono Imperatore inter cæteras artes hæc requiritur, ut ſeverè imperare ſciat, & molliter contumacibus credere. *Dionyſ. Halic. lib.5.*

Regenti imperium, omnia nimia, velut prærupti ſcopuli, ſunt devitanda. *Ammian. Marcell.*

Sint imperio digni, quos ad regendi neceſſitatem vis fatalis adduxerit. *Ael. Lampr. in Heliogab.*

Imperatorem eſſe fortuna eſt. *Idem.*

Obſequio mitigantur Imperia. ubi verò reverentia exceſſit animis, & ſumma imis confundimus, ibi opus eſt, ut vim repellamus. *Curt. lib.8.*

Nihil quicquam eſt, quod Imperatorem melius commendet gentibus, quam clementia.

Magna Imperia ignaviâ non continentur. Id in ſummâ fortuna æquius, quod validius. Suâ retinere, privatæ domus: de alienis certare, regia locus eſt. *Tacitus. 15. Annal.*

Periculoſum eſt prægrave imperium, & difficile eſt continere, quod capere non poſſis. *Curtius.*

Non multorum ſuppliciis, ſed fidâ & diligenti Cuſtodiâ imperium eſt tenendum. *Xiphilin.*

Nullum eſt imperium tutum, niſi benevolentiâ munitum. *Æmil. Prob. in Dione. Vide Imperii.*

INFERNI. Vide *Damnandi. Diaboli*, Quid, & ubi Inferi. Vide *Macrobium lib. I. cap. XI.*

Sunt loca pœnarum, ſunt alta ergaſtula mortis;
Sulphureique lacus, regnum implacabile Ditis.
Phœbi radiis incognita regna. Mantuanus.
Tartareus regni pallentis hiatus. Silius.

Perque domos Ditis vacuas & inania regna. Virg.
Et tristes sine sole domos, loca turbida adires. Idem.
In loca ab Elysiis diversa fugabere campis,
Quasque tenet sedes noxia turba, coles. Ovid.
Dira Furiarum loca, Et inferorum carcer & fonti plaga Decreta turba. Seneca.
Sunt regna profunda Mortis & in medio Belialia tartara mundo. Mantuan.

Vide egregiam Infernæ caliginis descriptionem apud Mantuanum. *Tom.3. lib.1.*

Cujus luculenta inprimis paraphrasis habetur. *lib.6. Æneid.*

Cocytus. Latinè dictus *luctus* Fl. Inferorum, à Styge profluens. κωκύειν e. gemere ac lamentari significat. *Cocytia* sacra erant, quæ fiebant in honorem Proserpinæ, quam Pluto rapuit.

Erebus, Fl. Inferorum. Virgil. Magnos Erebi tranavimus amnes. Imas Erebi descendit ad umbras. Proserp. Regina Erebi.

Tartarus à ταράσσω, vel τάω conturbo. quia illic omnia verè turbantur. *Phlegeton,* Fl. infern. à φλέγω, ardeo.

Eumenides. Furiæ. sic dictæ κατ' ἀντίφρασιν, quod minimè sint benevolæ. εὐμενὴς benevolum significat. Aliqui tres enumerant, Acherontis & noctis filias, uno partu editas. Apud Inferos vocantur *Canes*; apud mortales *Furiæ*, ab effectu.

Tisiphone. Furia, ultrix homicidarum. τίσις ultio, & φόνος cædes.

Orcus à veterib. Inferorum Deus habitus, qui aliàs Dis Pater aut Pluto. *Varro* putat terram dictam Orcum, quod in eâ omnia oriantur & aboriantur. Homerus indicat Orcum Thessaliæ Fl. à Stygiâ palude qui profluit. *Festus* Orcum ab urgendo dictum putat, quod ad mortem homines urgeat. Alii ἀπὸ τοῦ ὅρκου h. e. à juramento, quia nullum juramentum firmimus, quod per Styga fiebat. *Cum Orco rationem habere* h. e. summum periculum adire. *Orcinus*, quod ad Orcum pertinet. Sic *Orcinus libertus,* qui legitimam

ex testamento libertatem accepit, qui nunquam patronum vivum habuit. Quare cum hic libertus nullius viventis sit, Ditis sive Orc. libertus nominatur.

Avernus, quasi ἄορνος h. e. avibus carens. quod propter fœdissimum, quem exhalat odorem, supervolantes aves exstinguantur.

Novies Styx interfusa coercet. Virg. IV. Georg. Styx, fons est ad Nonacrin Arcadiæ, è saxis profluens, exitiosus omnibus animalibus, tamque frigidus, ut potus statim enecet, ferrumque ac æs erodat. Styx Græcis mœstitiam sonat ἀπὸ τοῦ στυγεροῦ, quod querulum, tristem vel odiosum sonat. Hinc Stygia palus tantâ in veneratione fuit, ut nefas; non ea observare, quæ per Stygiam paludem jurâssent. Quare si quis Deorum violâssent juramentum hoc, centum annos à nectare abstinebat, & Numinis majestate privabatur.

Cerberus à Mythologicis sumitur pro terrâ, dictumque volunt, quasi κρεοβόρον h. e. carnem vorans. quod terræ sit proprium humana corpora consumere.

Ex Actu V. Hyppolyti apud Senecam, quæ tragœdia plena execrationibus, &c.

In me monstra cærulei maris
Emitte, quicquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quicquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit, &c.
Et te per undas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar, &c.
Pallidi fauces Averni, Vosque Tænarii specus
Unda miseris grata Lethes, Vosque torpentes lacus.
Impium capite, atque mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste sæva ponti monstra, nunc vastum mare
Ultimo quodcunq; Proteus æquorum abscondit sinu. &c.
Sidera & manes, & undas scelere complevi meo, &c.
Donator atræ lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus. ereptos mihi
Restitue manes. Impios frustra invoco

Mortem

Mortem relictam.
His his repositum degravet fessas manus
Saxum senis perennis Æolii labor:
Me ludat amnis ora vicina abluens.
Vultur relicto transvolet Tityo ferus.
Meumque pœna semper accrescat jecur.
Et tu mei requiesce Perithoi pater:
Hac incitatis membra turbinibus ferat
Nunquam resistens orbe revoluto rota.
Dehisce tellus. Recipe me dirum Chaos,
Recipe, &c.

De Campis Elysiis lege Natalem Comitem lib. 3. cap. 19.

De *Styge* Ibid. cap. 2.

Inferni descriptionem vide in *VVoueri* libello de umbrâ cap. VII. ubi fusè agit de hoc.

INDIGNANDI. Vide *Ira*.

ATra bili percita est. Iræ interveniunt inter nos. Iram nondum decoxit.

Vix video præ irâ, adeò hodie delirum me fecit. Accendere aliquem ira.

Non ego nunc mediocri iratus iracundia. Tunc in fermento tota est, ita turget domi. *Plaut.*

Non placet mihi cæna, quæ bilem movet. Tota mihi turget uxor domi.

Iracundia obsistit oculis. Iram in promptu gerit.

Plumbeas iras gerere. Ira citò à me abscedit.

Missam iram facere. Reprimam iram. Cor meum turget tristibus iris.

Erumpere in stomachum. Epistola plena stomachi.

Bilem mihi commoves. Stomachum mihi facis. Animo vehementer exasperato esse.

Occupatur animus ad iracundiam. Ardent oculi, fune opus est.

Ridere in stomacho. Excandescere ira.

Iræ senectus non est alia, nisi mors. *Seneca.*

Riram-

Rhamnusia. Indignationis Dea, quam Gr. νέμεσιν vocant quæ ab iis pœnas repetebat, qui præsentibus bonis indignos se præbebant. Rhamnusia dicta, quod ejus simulachrum pulcherrimum in Rhamnunte, qui vicus Atticæ regionis, coleretur.

Tandem ex Cleopatra noverca, Olympiadi super inducta, discordia orta est. Causam habuit Attalus avunculus Cleopatræ, qui cum in nuptiis Macedones exhortaretur, deos orarent, ut ad regni successionem, legitimus ex Philippo & Cleopatra crearetur hæres, excandescens Alexander: *O improbum caput*, inquit, *nos verò tibi noti videmur?* Simulque in eum conjecit poculum & *Curt. lib.* 1.

Qualem intra putas esse animum, cujus extra imago tam fœda est? *Seneca.*

Iracunda fervidi mistura facit. est enim actuosus, & pertinax ignis. Frigidi mistura timidos facit. Pigrum est enim contrectumque frigus. *Idem.*

Ira est motus pectoris effervescente circa cor sanguine. *Idem.*

INGENII. *Indolis. Natura.* Vide *Morum. Hominis.*

Quot homines, tot sententiæ. Suus cuique mos. Ab ingenio est improbus.

Ingenii præsidiis munire. Ætas nostra ingeniorum laude efflorescit.

Plumbeo esse ingenio & gracili. Plane divinum atque entheum habere ingenium.

Abundantia quadam ingenii præstabat. Animo quieto naturæ desideria satiare.

Floruit acumine ingenii, admirabile lepore dicendi.

Naturam si sequemur ducem nunquam aberrabimus.

Naturâ regulâ oportet desideria nostra metiamur.

Homo oculatissimus, valde acutus, & multum providens. Ingenii sui maciem publicare.

Eloquii

Eloquii nostri vena tenuata est. Est quidem præceptori nostro divini fontis ingenium, & ad omnium Virtutum cursum prompta natura.

Labor deterit tuum ingenium. Plurimum meo ingenio derogâsti. Sic sum, ut vides.

Mores deteriores increbrescunt indies. Est probis moribus.

Exerceo omnes mores ad venustatem jugiter.

Tres mihi homines cedo contra aurichalco emptos cum istis moribus. *Plaut.*

Scitis uti foro. In nobis resident pristini mores. *Vegeta ingenia quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt.*

Vtroque vorsum rectum est ingenium meum.

Ubi intenderis ingenium, valet. Si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. *Sallust.*

De modo explorandorum ingeniorum egregium habet tractatum *Emundus Richerius*. Cap.4. Sect.6.

Diogenes Cynicus discipulo cuidam pernam dedit deferendam, ac sequi jussit. At ille Disciplinæ impatiens, abjectâ pernâ, abiit. Post aliquod tempus illi occurrens Diogenes. *Tuam*, inquit, *& meam amicitiam perna dissolvit.*

Brachmanes & Indi infantes editos post duos menses in medium productos, cujus indolis & formæ essent, publico consilio explorabant, ubi si cujus indoles approbata fuisset, bonis disciplinis instituebatur, sin minus, morte afficiebatur.

Themistocles dixit, asperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis illis rectam disciplinam adhibeat.

Ingenia melius rectâ se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Optima ingenia duci, non cogi volunt.

Ingenia liberalia humanitate & gloriæ stimulis accenduntur, plagis & verberibus corrumpuntur & indurescunt. E. Neuh.

Lege Fatidica Parentis mei, *Cap.*18, *lib.*2.

Aristo-

Aristoteles inter omnes Platonis Discipulos summè docilis fuit. Itaque Plato de Xenocrate & Aristotele dicere solebat: *Cui equo quem asinum adjungo?* Aristotelem fræno, Xenocratem calcaribus egere dicebat.

Menander Comicus, supra ætatem in literis excellens, cum apud suos invidiâ laboraret, produxit in theatrum suem prægnantem, ejusque exsectum uterum in euripum projecit. Ibi cum porcelli ductu naturæ agerentur: Athenienses, inquit, Viri, si in teneris annis scientiam meam miremini, istos natare quis docuit?

Philosophus quidem duos habebat discipulos, alterum laboriosum, sed hebetis ingenii: alterum ingeniosum; sed ignavum: ambo, dicebat, pereatis, quoniam tu cum vis, non potes: tu verò cum possis, non vis.

Socrates pueros candidos & felici ingenio natos appellare solebat θεῶν παῖδας.

De Ingeniorum diversitate Vide *Theatrum Ingenii Humani, Cap.*I.

Magna ingenia quando plus, quàm in uno eminuerunt opere? Virgilium illa felicitas ingenii in oratione solutâ reliquit. Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit. Orationes Sallustii in honorem Historiarum leguntur. *Seneca.*

Multi illorum malint agello paterno, quàm ingenio cedere. *Erasm. in Moriâ.*

Quo quisque est indoctior, hoc sibi placet insolentius. Inveniunt similes labra lactucas. *Ibidem.*

Britanni præter alia, formam, Musicam & lautas mensas propriè sibi vendicant. *Scoti* nobilitate & regiæ affinitatis titulo, neque non Dialecticis argutiis sibi blandiuntur. *Parisienses* Theologiæ scientiæ laudes sibi peculiariter asserunt. *Galli* morum civilitatem sibi sumunt. *Itali* bonas literas & eloquentiam sibi adscribunt. *Romani* primas tenent, & veterem illam Romam adhuc jucundissimè sibi somniant. *Veneti* nobilitatis titulo sunt felices. *Græci* tanquam discipli-

disciplinarum autores. *Turcæ*, totaque barbarorum illa colluvies religionis etiam sibi laudem vendicant. *Iudæi*, dum suum Messiam constanter exspectant, ac Mosen suum hodieque mordicus tenent. *Hispani* bellicam gloriam nulli concedunt. *Germani* corporum proceritate & Magiæ cognitione sibi placent. *Eras. in Moriâ.*

De his vide inprimis elegantissimos hactenus apud *Barclajum* in Icone & *Neuhusium* in Theatro Ingenii Humani.

Odi puerulos præcoci ingenio. Igitur Plinius refert, quod *Cato Censorius* ex Oraculo prodiderit, juventam senilem præmaturæ mortis esse signum. Sic *Seneca* dixit de ingenio Alphii Flavii, *quod tam maturè magnum ingenium non esset vitale.* Quales pueros Sophocles vocat ἀνδρόπαιδας. Huc respexit Aristoteles, quando ait: *Quisquis sapit, non unquam oportet plus satis docendo pueros, mox Philosophos reddere.*

Scitum illud Valerianum: Vegeta ingenia, quò plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. *Lips.*

Plato dixit: Heroica & felicissima ingenia Reip. summo bono, vel summo malo esse.

Pullos equorum sic instituimus, ut qui suapte naturâ ferociores sunt, hoc domiti sint aptiores obsequiis nostris. Ex nocentissimis bestiis invenimus remedia. quid obstat, quo minus idem faciamus in cicurandâ linguâ? *Erasmus.*

De *indole* lege *Val. Max. lib.* 3. *cap.* 1.

INGRATITUDINIS. Vide *Gratitudinis. Beneficii.*

INgrato homine terra nihil tenet vilius.

Acerbum est pro benefactis mali messem metere.

Bene merenti malè refertur gratia. Improbus est homo, qui beneficium scit sumere & reddere nescit.

Officia mea tu officiis non compensas. Officia in te requiro.

Nullum

Nullum hominum genus acerbiore insector odio, quàm qui gratiam benè meritis non referunt.

Quisquis de accipiendo cogitat, oblitus est accepti. *Seneca.*

Est animi ingenui cui multum debeas, eidem plurimum velle debere. *Seneca.*

Ciconiæ numerantur inter aves pias, quæ parentes senio confectos remigio alarum lassescentes educare ac succollare dicuntur. *Lips.*

Senesque nodum solvere Gratiæ. Horat.

Gratiæ pinguntur nudæ, quod sine fuco esse debent; ideò connexæ, quia insolubiles Gratias esse decet. Quod verò una aversa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta à nobis Gratia, duplex solet reverti.

Gratiæ dicuntur esse *hilares*, quia tales solent esse, qui dant vel accipiunt beneficia. *Iuvenes*, quia beneficiorum memoria non debet senescere. *Virgines*, quia incorruptæ sunt, sinceræ, & omnibus sanctæ: in quibus nihil alligati esse decet, *solutis itaque tunicis* utuntur. *Perlucidis*, quia beneficia conspici volunt.

Diogenes, quærenti, quid apud homines celerius senesceret, Beneficium inquit.

Alexander M. immemor primæ nutricationis & lactis, quod ab Hellanice nutrice infans biberat, ejus filium Clitum interfecit.

Cicero jussu M. Antonii Triumviri interfectus est à Popilio Lenate, quem capitis reum defenderat.

Darius consilium cepit de Patre Artaxerxe, à quo Rex creatus fuerat, interficiendo.

Diogenes solitus est statuas & marmora amplecti. Rogatus, quare? *Resp.* ne doleam tunc nihil mihi suppeditari, quando ab hominibus ingratis quid peto. Voluit hominem inhumanum nihilo à trunco & lapide differre.

Athenienses in Socratem summè ingrati fuerunt, qui pro tot beneficiis venena illi præparârunt.

Demosthenes inter fugiendum fertur subinde respiciens

spiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixisse: O Pallas urbium domina, cur trib. infaustissimis bestiis delectaris, Noctua, Dracone & Populo? Noctua cum sit avium inauspicatissima, tamen Palladi sacra: quemadmodum Draconem habet pro gestamine: Populus bellua est multorum capitum, pessimam gratiam bene meritis solita referre.

Ingratitudinis exempla habet in *Val. Max.* v. *cap.* 3. Urbis nostræ parentem senatus in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus in Curiâ laceravit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Rom. imperio Spiritum ingeneraverat. Rude nimirum illud sæculum, conditoris suæ cruore fœdè maculatum, ne summa quidem posteritatis dissimulare pietas potest. *Val. Max. Ibid.*

INIMICITIÆ. *Odii.* Vide *Amicitia, Invidia, &c.*

Odio enecare aliquem. Mordere aliquem clanculum.

Odium in aliquem struere. Concitare in aliquem invidiam.

Incurrere in alicujus odium. Gerere simultatem cum aliquo.

Odium exercere privatum adversus aliquem.

Præstat apertum bellum, quàm opertum odium.

Conflare alicui invidiam magnam. Aucupio verborum literarum tendiculas in invidiam vocant.

Nihil est homini tam timendum, quàm invidia. Apud illos me in vindictam vocasti.

Vt illius odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam.

Odiosa non sunt extendenda; sed restringenda. *ICtus.*

Simultas, dicta est à contrario, quia minimè sunt simul, inter quos odium est, potest & à simulatione dicta exstimari.

Ἀθάνα-

Ἀθάνατον ἔχθραν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν.

Pax erit hac nobis , donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.

Odium agreste, i.e durum, infestum : quia rustici plerunque sunt μισάνθρωποι & acerbius oderunt.

Empedoclis simultas, quæ sedari non potest.

Odium novercale ; Vatinianum.
Miscent aconita Novercæ.

INNOCENTIÆ. Vide *Virtutum, &c.*

MAgnum est præsidium in periculis innocentia. *Seneca.*

Verba mea non arguentur,cum factorum innocens sim. 4. *Annal. Tac.*

Pronum mihi agere memoratu digna , eaque in aperto , incorruptâ fide , nec amore cujusquam aut odio. Deterius interpretantibus licet fortè alius habeat. 1. *Histor. Tac.*

INIURIÆ. Vide *Calumniæ. Convitiorum,&c.*

QUo jure, quaque injuria præcipitem in pistrinum te dabo. *Terent.*

Onerare aliquem injuriis. Bonorum extortor, Regum contortor. *Idem.*

Quis nostris foribus tam protervè facit injuriam?

Lacerare aliquem injuriâ. Injuriam alicui ponere.

Ulciscendæ injuriæ facilior ratio est, quam beneficii remunerandi.

Injuriæ faciendæ potestatem alicui adimere. Vir sapiens non accipit injuriam , licet inferatur. *Seneca.*

Fortes & magnanimi sunt habendi , non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam.

Deco-

Decoquere injuriam. Amoliri injuriam.

Multis aliquem injuriis circumlatrare. Mordere injuria.

Mihi quidem ædepol insignitè facta est magna injuria.

Omnem acceptæ injuriæ memoriam ex animo deleo.

Proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. *Sallust.*

Nec enim cum paullum offendimur, debemus cum Achille volutari in luto; cum Augusto capita parietibus illidere; cum Lycambe ad restim confugere.

Qui rupto fœdere injuriam inferunt, Numinis sunt contemptores. *Plutarch. in ..gesil.*

Veterem ferendo injuriam, invitas novam.

Qui non defendit, nec obsistit injuriæ, si potest, tam est in vitio, quam si parentes aut amicos aut patriam deserat. *Cicero in Off.*

Aristo interrogatus, quid citò senesceret, quid item tardè? respondit: Gratia & Injuria.

Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt. *Seneca.*

Injuria nihil aliud est, quàm delictum, quo aliquid fit, dicitur, scribitur in alterius contumeliam. Generaliter injuria dicitur, omne quod non jure fit. Specialiter aliàs *contumelia*, quæ à contemnendo dicta est. Alias culpa, iniquitas & injustitia: quam Græci *'αδικίαν* vocant.

Injuria fit, quando alicui factum convitium; de aliquo famosus libellus scribitur. Si quis cæsus aut verberatus fuerit.

Rectius, aut *Re*; aut *Verbis*; aut *Scriptis* infertur injuria: de quo vide *Instit. lib.4. Tit.4. de injur.*

De famosis libellis SCtum factum est, quod intestabiles sint, *qui fecerint tales.*

Deponentes Magistratum apud Rom. prius ad populum concionem habebant quâ fidem suam in gesto munere prædicarent. Primus omnium id facere prohibitus Cicero à Metello Tribuno. Verba Cic. in epistola

epistola ad fratrem ejus Q. Metellum Celerem. lib. V. *Ille, quod te audisse, credo, pridie. Kal. Ianuarias, quâ injuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis affectus est, eâ me consulem affecit, cum Remp. conservassem; atque abeuntem magistratu, concionis habendæ potestate: Cujus injuria mihi tamen summo honori fuit.*

Cicero in paradoxis : Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias; consilia, quibus Resp. invicta stat, si hujus æterni beneficii immortalem memoriam delevisses, multò etiam magis, si illam mentem, unde hæc consilia manant, mihi eripuisses, tum ego accepisse me injuriam confiterer. Nunc reditum mihi gloriosum tua dedit injuria, non exitum calamitosum, &c.

INSCRIPTIONIS. *Tituli.*
Vide *Dedicandi.*

Liber hic inscriptus est Virgilius. In eo libro, qui inscribitur *Memnon.*

Præfigere libello titulum illustrem. Nomen suum libris ad memoriam inscribere.

Libri plerumque inscribuntur de nobiliore materia.

Plus libri sæpe habent in fronte, quam in recessu: Multorum libros *sepulchra dealbata* meritò dixeris & *asinos aureos.*

Oratorem meum sic enim inscripsi. Insignire librum titulo splendido.

Condecorare libri faciem apparatu magnifico. In inscriptione Librorum multa promittere.

Qui scriptionem hanc illustrant & insigniunt, ut cælum stellæ.

Splendorem tui nominis huic scriptioni mutuemur. *Lips.*

INSIDIARUM. Vide *Doli. Stratagem. Belli.*

Cui jam infortunii intentata balista est probe! Locare alicui insidias.

Crude-

Crudeles insidias in aliquem facere. Ego hic in insidiis ero.

Non rete accipitri tenditur, neque milvio.

Ferro & insidiis vita mea appetita est.

Contra me insidias posuerunt. Tangere homines vult bolo.

Aliquam corde machinor astutiam. In transennam aliquem inducere.

Pulchrè fallit vulpem. Inescare homines.

Philippus, veluti è speculâ quadam, Libertati omnium insidiatus, Græcorum civitates, quæ dominandi libidine singulæ imperare cogitaverant, omnes in suam redegit potestatem. Inferioribus enim contra superiores suadens certamina. *Curt. lib.*1.

Omnium ad ultimum efficitur dominus ac princeps. & victos pariter atque victores servitutem subire coëgit. *Ibid.*

Cum *Philippum* duo Thraciæ Reges, fratres, de terminis regni ambigentes, disceptationum suarum judicem eligerent. Ille ad judicium velut ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu venit, & utrumque regno, de quo disceptabant, spoliabat. Omnes sanè principes docens, concordiam maximum ad conservanda imperia atque principatus stabiliendos, adminiculum esse. *Curtius lib.*1.

Corycæus auscultavit. Corycæus mons est, Pamphiliæ præcelsus ac portuosus, atque ob id pyratarum insidiis opportunus: quos ab eo monte *Corycæos* appellabant. Hi novam insidiarum rationem excogitarant: qui dispersi per portus Coryci montis, miscebant se negotiatoribus, subauscultantes quid rerum portarent, quo quò destinâssent navigare. *Erasm. in Adag.*

INTERFICIENDI. *Occidendi. Homicidii.* Vide *Verberandi, Lædendi. Carceris. Veneni.*

ANimam tibi mox exstinguam. Vi vitam evitare. Ex numero vivorum exturbari. Lapidibus coopertus est in foro.

Parricidio

Parricidio se inquinare. Expellere aliquem vita.

Ex viventium contubernio aliquem eripere.

Collum alicui contrahere. Gladium hosti in pectus defixit. Mucrone jugulum alicui resolvere.

Mortem sibi consciscere. Ego illum hominem vita sua evolvam.

Collo rem solvam, jam omnibus quasi bajulus.

Quid magis in rem est, quàm corpore vitam secludam. Interimere sibi vitam.

Me modo ad mortem dabo. Ego te faciam ut hic formicæ frustillatim differant. *Plaut.*

Si fors decollassit, gladium faciam culcitram. *Plaut.*

Gladio pectus mihi perfodiam. Ni illum exanimalem faxo, mirabor. *Idem*.

Illorum ego animam exsorbebo. Vitæ aliquem facere exheredem, exsortem. *Plaut.*

Omnes obtruncabo duobus solis ictibus. *Plaut.*

Securim capiam ancipitem atque tunc senem exossabo, deinde dedolabo assulatim viscera.

Quem ego hominem, si quidem vivo, vita devolvam sua.

Dimittere alicui gladium in jugulum. Venus eradicet caput, atque ætatem tuam.

Quid interest cæsim moriar an punctim. Gladius à clade hostibus inferenda dicitur.

Capulus, quod sit caput gladii. Hasta, quasi asta. Tam certis ictibus cervicem elisit, ut collaberetur in partes.

Ibo ad medicum atque ibi me toxico morti dabo.

Venenum, quasi toxicum, quoniam taxos arbor veneni præsentissimi.

Non opus est vasto vulnere dividere præcordia. Scalpello aperitur ad illam libertatem via, & puncto securitas constat. *Seneca.*

Interdum optimum misericordiæ genus est occidere. *Idem.*

Q Quid

Quid facies? multæ illis manus ſunt, tibi una cervix. *Idem.*

Tenui ferro commiſſura cervicis abrumpitur. *Idem.*

Non ſunt vulnere impreſſo ſcrutanda præcordia. *Idem.*

Sive fauces, nodus eliſit, ſive ſpiramentum aqua præcluſit; ſive hauſtus ignis curſum animæ remeantis interſcidit, quicquid eſt properat. Et quod tam citò fit, timetis diu? *Idem.*

Quocunque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum? illuc ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem, brevem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum? effugia ſervituris ſunt. *Idem.*

Lucemque peroſi projecere animas.
Lateri capulo tenus abdidit enſem.

Velare gulam. Eſt laqueo ſe induere. Pomponius: *Reſtis vilis eſt, velet gulam.*

Homicidium, quod lex Cornelia de Sicariis, ſi ſit doloſum, ſeu dolo commiſſum, gladio punitur; nec ſolum tum, ſi homicidium ſit ſequutum, verum etjam, ſi quis cum telo, hoc eſt, cujuſcunque generis armis alterius occidendi cauſa ambulaverit. Benignius tamen in hac lege eſt, Affectum non ſemper ut effectum puniri. *Homicidæ ſimplices* gladio puniuntur, facto ſequuto. Non ſequuto, relegatione aut ſimili pæna. *Inſidiantes* extra inſidias Latrocinii relegatione quoque. *Graſſatores* verò cum Latrocinio rotâ puniuntur.

Rota item, qui Dominos ſuos dominaſque occidunt. Et qui tempore peſtis lethaliter decumbentes occidunt, ut eos exſpolient: gladio, qui eos ſaltem conficiunt.

Veneficium, etiam Lege Cornelia de Sicariis vindicatur, ſi mors ſequuta.

Sed

Sed hodie consilia & præparamenta non æquè puniuntur ac cædes ipsa.

Venenatores seu incantatores, qui prata venenant, damno sequuto, flammis exuruntur. Qui pacta & rem cum Satana habent, cremantur itidem. Qui magicam artem exercent; & ex Crystallo vel similibus hariolantur, gladio feriuntur.

Parricidium, Lex Pompeja de Parricidiis persequitur. Hæc lex cavet, ut is, qui parentum aut liberorum fata præparaverit, virgis sanguineis cæsus, insutus culeo, cum Cane, Gallo gallinaceo, Viperâ & Simiâ in proximum amnem conjiciatur: *ut sic omnium elementorum usu vivus carere incipiat, qui vita datori vitam eripuit, ut ei superstiti cælum, terra verò mortuo auferatur*. De reliquis affinitatum gradibus, *vide Tit. ult. Instit. de Publ. judiciis.*

Pausanias, nobilis ex Macedonibus nemini suspectus adolescens occupatum angustiis Philippum, in transitu obtruncavit, diemque lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris fecit. *Curt. lib. 1.*

Potes hac ab orno
Pendulum Zonâ benè te sequutâ
Lædere collum. Horat.

In Homicidam.

Sanguinis humani pretium tibi vile videtur.
Cum non sit juris gutta pusilla tui?
Obtruncas, Homicida, Deum: Qui, Numinis instar,
Mortalem finxit de meliore luto.
Cælo tende manus. Hominem demittere ad Orcum.
Odimus hoc tantum cuncta elementa nefas.

In Parricidam.

Dignus morte perit, Patrios qui inquirit in annos,
Præcipitat Matris fata necesque suæ.
Sævior est Scopulis, Busiride sævior ipso,
Hircanâque magis Tigride virus alit.
Dii! Patris & Patriæ cædem mactate nefandam.
Tanti ne superet fama vel umbra mali.

JURAMENTI.

Dii me infelicitent. Velim mihi æternum fidem abesse.

Conceptis verbis jusjurandum dabo. Lingua abjuravit.

Se obligare militiæ juramento. Iurejurando teneri. Fides alligata voluntario Sacramento.

Dejerare persanctè. Per dulcem capilli mei nodulum adjuro.

Vel injurato tibi credo. Inter se fidem & jusjurandum dant.

Dii me eradicent. Terra mihi dehiscat. Vivus peream. Absorbeat me adaperta tellus.

Victima sim Acheronti. Nunquam sol mihi elluceat. Hos oculos effoderim.

Nunquam Fortuna mihi rideat. Perpetuo disperеam.

Summum Iovem Deosque do testes. Fas, fides audite.

Caput meum hoc tango & testor, nullum mihi caput charius fuisse tuo. *Lips.*

Apud Ethnicos infamiæ notabantur, qui per deos prophanos aut Iovem lapidem jurassent: apud Christianos per Dei nomen pejerare propemodum ludus est. *Eras. in Ling.*

Rhadamanti jusjurandum. tale juramentum pro verissimo habebatur, etsi nullum Deum authorem haberet. Sic Socrates per canem & anserem jurare consuevit, ne quem deorum citaret. vel quod Deum esse non crediderit, vel quod putaret nimis temerarium esse profanare illorum majestatem. Tale jusjurandum ad Rhadamantum referebatur, qui sic justitiâ præcelluit, ut vitâ defunctus, iis judex credatur, qui jam ad inferos descendêre.

In Perjurum.

Numina testari fas est, si postulet usus,
Conceptis verbis sive probanda fides.

Non

Non aliter Divum patitur perjuria Virtus:
Quos contestari non sine jure licet.
Per caput, & Stygias quisquis juraverit undas,
Æternum Stygio carpier igne decet.

Iovem lapidem jurare dicuntur, qui religiose dejerant, dictum à ritu fœderis feriendi, quo Pater patratus lapidem tenebat, quo porcum feriebat. Hinc *Virg.*

Cæsa jungebant fœdera Porca.

Tales adultero sciscitanti: An abjuraturus esset adulterium. Non, inquit, est perjurium adulterio pejus.

Solon tantam morum probitatem inesse voluit hominibus, ut non necesse sit hominem juramento ligare.

Pericles amico roganti, ut falsum diceret testimonium cui adjunctum erat jusjurandum. Hoc est perjurium respondit. Se quidem amicum esse, sed usque ad aram.

Iusjusrandum Venereum non est pœna dignum.

Dejerare est valde jurare. *Pejerare* est falsum juramentum dare.

Poëtæ canunt, statuit Iupiter, si quis fefellisset numen Stygis, pejerâssetque per Stygias undas, ut uno anno & novem diebus ab ambrosia & nectare prohiberetur.

Numa maximum jusjurandum Romanis statuit Fidem.

Veteres interdum metu pejerandi Deorum nomina omittebant.

Prisci *Romani* Genium principis dejerabant, malebantque per Deos omnes, quàm unum genium principis pejerare. Si quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis & perjuraverit, fustibus eum castigandum.

Milites per genium Imp. & majestatem jurant, se nunquam deserturos militiam nec mortem recusaturos pro Rep. Romana.

Aphrodisium jusjurandum. quod Comici Venereum dicunt, sc. nullius momenti. *Tibull.*

Nec jurare time, Veneris perjuria venti
Irrita per terras & freta summa ferunt.
Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet esse potest. Ovid.

Apud *Macedones* nisi militari sacramento miles adstrictus foret, hostem gladio percutere aut militare, minimè fas erat. Igitur in ipsum animadvertêre, qui non adscriptus militiæ sacramento hostem occideret. *Alex. ab Alex.*

Romanis mos neminem suorum permittere adversus hostem pugnare, nisi prius sacramento addiceretur.

De ritu *indicendorum bellorum*, vide Livium. Mittebant Patrem Patratum & Flamines res suas primùm repetitum: ut omnibus constaret, de belli æquitate.

Non injuria laudata est illa Sacerdos Athenis, à quâ cum populus flagitâret, ut Alcibiadem excraretur, respondit, sese in hoc sacerdotium suscepisse, ut omnibus precaretur bona. *Eras. in linguâ.*

Veteres lapidem silicem tenebant juraturi per Iovem, hæc verba dicentes: si sciens fallo, ita me Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem. Hinc *Iovem lapidem jurare*, hoc est, Iovem testem adhibere.

Mos fuit *Romanorum*, ut pueri per Herculem dejerantes, id sub dio facerent, non sub tecto; quia ferunt Herculem non umbratilem vitam domi egisse; sed foris & sub dio semper egisse. Vel ideo ne pueri insuescant dejerare. *Eras. in Ling.*

Darius Rex. Persarum constitutus, quum populo jurejurando affirmasset, se nullum ex septem Principibus, qui juraverant adversus magos, veneno, ferro aut inediâ oppressurum. Ut religione solutus videretur, locum parietibus cinxit cineribus plenum. Superque suspensum imposuit lignum. Cui Principes ipsos benignè cibo & potione exceptos insidere jussit,

ut

ut somno sopiti deciderent, in insidiosos illos cineres. *Ravisius.*

Digni sæculorum omnium suffragio, quibus perjurio convictis, more *Indorum*, manuum pedumque digiti in memoriam immamissimi sceleris amputentur.

Qui aut apud *Sardinios* infestissimis illic fluminibus immergântur, ut oculorum necessario usu destituti, summa in calamitate vitam suam perpetuò traducant. Aut juxta

Tyanam post tanti criminis admissam turpitudinem vomicis pustulisque liventibus ad opprobrium usque deformentur. &c. Vide Historicorum fontes, & huc alios rivulos inde deriva.

Quale juramentum à Magistratu præstari solitum, nos docet egregiè *Schonborn. lib. 2. cap.* XXI.

Per solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cyrrhei spicula vatis,
Per calamum venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum Pater Ægæi Neptune tridentem,
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cæli.
Juvenal. Sat. XIII.

JURIS. *Iudicii. Clientis. Iudicis. Legum.* Vide *Advocati. Iustitiæ. Legum. Criminis. Pœnæ.*

EGo meum jus persequar. Omnia pro meo jure agam.

Nihil ego de meo jure remittam. Summum jus, summa sæpe injuria.

Virginem vitiâsti, quam te jus non fuerat tangere.

Experiri summo jure. Iudicii severitatem frangit affectio.

Voluntate præpropera judicare. Litem trutinare pensiore judicio.

De jure suo cadere. Causa ea nos jure non impli-

cat. Facere judicatum, id est, exequi latam sententiam.

Sub legem & judiciorum potestatem cadit. Vt corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis, ac sanguine & membris uti non potest.

Legum laqueis aliquem constringere. Abrogare legem, derogare aliquid de lege.

Legum custodiam nullam habemus.

Barbarica lege certum est jus meum omne persequi. *Plaut.* Vide *Electa nostra Plautina.*

Si judicas, cognosce: si regnas, jube.

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,

Æquum licet statuerit, haud æquus est.

Sen. in Med.

Iudex, qui controversiam cognoscit & dijudicat: Cujus officium est ne aliter judicet, quam legibus & constitutionibus ac moribus proditum est.

Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum

Quærere, quæsito tempore, tutus erit.

Lipsius, ut imputata vitis late spargit, & infructuosa est: Sic jus profectò illud vetus, & labruscas jam pro uvis gignit.

Diogenes cuidam ad ostentationem ingenii multa de rebus cælestibus differenti. Quam nuper, inquit, de cælo venisti?

Naturalia jura sunt immutabilia. *Civile* est mutabile. Hinc jus Lacedæmoniensium, Atheniensium, &c. Quod enim quisque populus jus sibi facit, Civile dicitur.

Ius Gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.

Ius naturale, quod natura omnia animantia docuit. Quæ bruta faciunt sua natura, illa homines faciunt recta ratione duce. Brutis non inest quidem jus, sed imputatur.

Ius scriptum est aut *non scriptum*. Iuris scripti species sex sunt. *Lex. Plebiscitum. Senatus Cons. Principum placita. Prætorum Edicta. Responsa prudentum.*

Cicero

Cicero leges, quas populus constituerat, vocant Consulares: quas plebs, Tribunitias.

Consul ab eo dicitur, quod Reip. consulat. Et cum populus legem volebat constituere, Consul rogabat populum, velletne juberetne quid fieri. Sicuti *Consul* populum; sic *Tribunus* plebem rogabat.

Fuit plebi suus Magistratus: cui auxilii latio adversus Consules esset.

Populus universos cives significat, connumeratis simul patritiis & senatoribus. *Plebis* appellatione cæteri cives, exceptis patriciis & senatoribus.

Aucto sic populo ut convocari in unum non possent, Reip. cura ad senatum est deducta. Postea Lege regia omnis potestas à populo in principem est collata.

Pop. Romanus omnes Reip. formas expertus. *Monarchiam* à principio urbis; *Democratiam* expulsis regibus; *Aristocratiam* sub Senatu; tandem necesse esse vidit, ut Reip. rursus per unum consuleretur, atque ita *Principem* constituit, eique jus dedit, ut quod constituisset, ratum esset. Sed principis placitum vigorem habet, si justum fuerit.

Vide *Institutiones juris Tit.* 2.

Postliminium est pristini status, in quo quis ante Captivitatem fuit, recuperatio integra.

Officium judicis est facere ea, quæ judici ut judici facienda incumbunt. *Cujacius* inquit, quod judex sit vir bonus disceptandæ rei causa datus. Iudiciis officium aut nobile, aut mercenarium. *Nobile judicis officium*, quod judex proprio motu exercet, non jussu propositæ actionis, ob publicam solum utilitatem: quemadmodum facit in criminalibus inquirendo & puniendo facinorosos. *Mercenarium*, quod deservit actionibus & se alligat ad leges & præscriptiones.

Quæritur, An judex secundum acta & probata, an secundum Conscientiam judicabit? *Resp.* Acta & probata, si pugnent cum conscientia, falsa sunt. Iudex autem non mendacium; sed veritatem & con-

scientiam sequi debet. *L. 6. paragr. Veritas*, de officio præsidis.

Iuris utriusque Doctor quis? Rerum divinarum & humanarum peritus. per res divinas & humanas non intelligimus *Encyclopædiam*, hoc est, orbem doctrinæ, sive consensum & concentum, ut inquit Cicero, omnium Doctrinarum. *Ius publicum & privatum* intelligitur: quorum illud in divinis rebus, id est, Sacris, Sacerdotibus & Magistratibus: hoc, in humanis, quæ ad singulorum utilitatem pertinent, l. 1. §. *hujus studii. ff. de justit. & jur.* consistit. Vtriusque juris prisci prudentes periti erant. Sic Titus Manlius Torquatus à Val. Max juris civilis & Sacrorum pontificalium peritissimus appellatur.

Antisthenes negabat sapientem vivere juxta leges; sed secundum normam virtutis.

Demosthenes Civitatis animam leges dicebat.

Agesilaus dicere solitus, ubi multi Medici, ibi multi morbi: ita ubi præmultæ leges, ibi plurimum vitiorum.

Heraclytus dicere solebat, cives non minus pro mœnibus, quàm pro legibus pugnare debere.

Imp. Iustinianus. Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam Legibus armatam esse debere: ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè gubernari posset, &c.

Architas dicebat judicem & aram idem esse, pariter enim ad utrumque confugiunt, qui injuria affecti.

Non omne, quod licet, honestum est. Non quod legibus inhonesta sint permissa, sed quod quædam non expresso jure sint prohibita: vetita tamen Lege honestatis.

Cleobulus benè compositam Remp. putabat, ubi Magistratus magis infamiam, quàm leges metuunt.

JUDICIA

JUDICIA PUBLICA. *De quibus agitur in Institut. Iuris Libro IV. Tit. ultimo.*

HÆc judicia non dantur ad persequutionem rei familiaris, sed ad pœnam.

Publica dicta, quod cuivis ex populo executio eorum plerumque detur.

Publicorum judiciorum quædam capitalia, quædam non *Capitalia*, quæ ultimo supplicio aliquem afficiunt. Vel aquæ & ignis interdictione; vel metallo. Cætera si quam infamiam irrogant, cum damno pecuniario, publica quidem sunt; sed non capitalia.

Lex Iulia de

CRIMINE LÆSÆ MAIESTATIS.

HOc summum est crimen, & tribus modis committitur. 1. *In Principem* in quem Pop. Romanus summum dignitatem contulit. h. e. in Imp. Rom. 2. Quod committitur *in Principem inferiorem*, puta, ab eo, qui saluti sui Principis insidiatur. 3. Quod ab eo patratur, *qui adversus Remp.* hostile quid molitur. Et hic dicitur *Perduellis*.

Quinimò promiscuè penè omnes illi rei læsæ majestatis sunt, qui quoque modo statum Reip. labefactare conantur. Cuiusmodi sunt *proditores*, unde & proditio affine crimen læsæ Majestatis judicatur. Sic & illi, qui *falsam monetam cudunt*. sic qui *effringat carceres*.

Hujusmodi criminis rei Capitali pœnâ plectuntur: Damnatâ defuncti rei memoria etiam post mortem, & publicatis omnibus bonis, ut reus ne liberos suos successores habeat. Verum Doctissimi ICti testantur hanc pœnam in primo capite criminis læsæ Majestatis locum habere. quanquam de rigore dictæ Legis quisquis etiam conqueratur. In duobus reliquis Capitibus, ibi volunt usurpari pœnam gladii. aut si nimis atrociter sit delictum, dissectionem aut distractionem membrorum, cum publicatione bonorum. Sed tamen

men ut relinquatur liberis legitima. Vide plura apud ICtos & inprimis Cl. D. B. SCHOTANUM *Thesi 5. disp. ultimâ*.

PERDUELLIS inde dictus, quod pertinaciter teneat bellum. Veteres Perduellem vocabant, quem nos Hostem.

Aliud est *Majestatis*, aliud *Perduellionis* crimen. hoc sub illo, tanquam species sub genere: ut crimen sit imminutæ majestatis & gravissimum & atrocissimum. Vide copiosè de hoc Lexicon SCHARDII hoc vocabulo.

Lex Iulia de ADULTERIS.

HÆc non solum temeratores alienarum nuptiarum punit gladio, sed & eos, qui cum masculo nefandam libidinem exercere audent. Eadem lege stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honestè viventem stupraverit.

Si *stupratores honesti* sint, lex pœnam irrogat, publicationem dimidiæ partis bonorum. Si humiles, corporis coërcitionem cum relegatione. Vide tit. *Adulterii* & ICtos.

Per legem Iuliam damnantur quoq; *damnati coitus*. *Crimen incestus* ad damnatos quoque coitus referendum. h. e. Scortatio inter sanguine & affinitate junctas personas, quæ jungere matrimonia prohibentur, &c.

STUPRUM propriè est illicita virginis defloratio. Sive, Stuprum est illegitimus coitus cum virgine aut viduâ honestè vivente.

Privatis personis licita adulterii vindicatio.

Pater ut Adulterium cum Filia in domo suâ vel generi in ipsa turpitudine deprehenderit, licitè eum occidere potest, quod & marito est permissum. Si ante ter testibus adhibitis maritæ denunciaverit, ne cum hoc aut illo conversaretur, &c.

LEX CORNELIA.

HÆc *Sicarios* ferro prosequitur. vel eos, qui occidendi hominis causa cum telo ambularunt. Eadem lege *Venefici* capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis quàm susurris magicis homines occiderint. Vel, qui mala medicamenta publicè vendirint. *Venenatores*, *Incantatores*, qui prata venenant, flammis exuruntur. Sic & illi qui pacta & rem cum Satanâ habent. Qui *magicam artem exercent*, & ex cristallo bariolantur, gladio feriuntur.

Homicidium fit in nondum nato per abortionem. Cujus pœna, quando abactio facta post formatum & animatum fœtum, capitis supplicium. Ibidem de Medicis & Chirurgis, qui malitiosè ægros deserunt.

LEX POMPEIA.

HAc cavetur, ne quis parentes, aut filios, aut qui horum nomine continentur, occidat. Non gladio; non ignibus in illum animadvertendum. Sed insutus culeo cum cane, cum gallo gallinaceo & vipera & simia in mare, vel in proximum amnem conjiciendus. *Vt omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & cum cælum superstiti & terra mortuo auferatur.*

Vide eodem Titulo de *Raptu*, de *Peculatu*, de *Ambitu*, de *Repetundis*, de *Residuu*, eorumque pœnis.

De Iurisdictione criminali lege Politicam *Schonborneri cap.xx. lib.3.*

De jure Patronatus lege *Eundem lib.3. cap.1.*

Vt corpus animâ carens cadit: sic civitas nullis administrata legibus evertitur.

Ciceronis. Vt ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectat: sic à legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod Reip. conducat.

Erasmi. Vt efficacissima remedia nata sunt ex morbis pessimis: ita bonæ leges ex malis prognatæ sunt moribus.

Aristoteles,

Aristoteles. In Legibus civitatis salus sita.

Phocion aliquando ab Antipatro petiit in re injusta subsidium. *Resp.* Phocion, quod *impossibile*, ut *Antipater Phocione amico & adulatore uteretur simul.*

Bias dicere solebat; se malle inter inimicos judicare. Nam ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum fore.

—— *Malè verum examinat omnis Corruptus Iudex.*

Atticus testis, dici posset de homine mendace & infido.

Rhadamanthaeum judicium, de incorrupto judicio.

Minervæ suffragium, hoc est, exactum. Contrarium, Sus judicavit.

Iulius Cæsar destinabat (ait Suetonius) jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa Legum copia optima quæque & necessaria in paucissimos conferre libros.

Τὰ δίκαια κρῖνε. Μὴ κρῖνε πρὸς χάριν.

De JUDICIO Extremo memorabilia *Philippus Camerarius agit Cent.* 1. *cap.* 41.

Philippus Macedo crebrò jus dixit. Cum inviâ mulier de re suâ appellasset, festinans sibi vacare, negavit. Tum illa audacter: *noli igitur regnare.* admisit, & mulierculam audivit.

Demetrius Poliorcetes Maced. R. per proterviam illusit supplicibus. nam cum libellos in viâ benignè accepisset, quasi tecturus, excusso chlamydis sinu omnes in subjectam aquam abjecit. Non impunè. Macedones, qui talem Philippum suum non viderant, mox spreto illo ad Pyrrhum transierunt. & justitiæ desertorem deseruerunt. *Lips.*

Augustus Cæsar, qui jus dixit assiduè, cum infirmior, & à corpore minus valeret, lecticâ pro tribunali positâ, & in eâ recubans, vel etiam domi jus dicebat. Quid ad hanc diligentiam addi potest, præter Euge & bellè? *Idem.*

Vide præterea *in Mon. & Exempl. Pol. cap.* x. *lib.* 2. An expediat ipsum Principem jus dicere. *Ibidem* disserit,

ſerit, An Curiæ & ordines judicum perpetuæ eſſe debeant.

Judiciorum & Suffragiorum notæ.

Calculus albus in abſolutione, in Damnatione *niger*: ut Ovid. teſtatur.

Mos erat antiquis niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpâ.

Pollex preſſus favoris ſignum. *Pollex verſus* denegantium. Iuvenal. 3. Satyr. & *verſo pollice*.

Cretâ notarunt veteres, quæ ſequenda forent. quæ fugienda, carbone.

Pedibus ire in ſententiam. ſic ferri judicia ſolita. quum à loco diſcedentes Senatores ad illorum ſedes pedibus ibant, quorum volebant ſententiam ſectari, &c. Vide *Offic. Text. cap. 12. lib. 3.*

INVIDIÆ.

VErum eſt, Invidia Siculos non inveniſſe Tyrannos, Majus tormentum.

Qui aliis invidet, fatetur ſe illis inferiorem eſſe.

Lentâque miſerrima tabe Liquitur, ut glacies incerto ſaucia ſole.

Invidus alterius marceſcit rebus opimis.
Cujus in ore ſedet macies, in corpore pallor
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Riſus abeſt, niſi quem viſi facere dolores.

O dirum exitium mortalibus, ô nihil unquam Creſcere, nec magnas patiens exſurgere Laudes Invidia.

Semper in civitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent. *Salluſt.*

Inſita eſt mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre, 2. *Hiſtor.*

Repetis, quibus invidia in occulto, adulatio in aperto eſt, 4. *Hiſtor.*

Qui

Qui secretis criminationibus te infament, & quo incautior decipiare, palam laudent. 1. Histor.

Utinam invidi oculos haberent in omnibus civitatibus, ut de omnium felicitatibus torquerentur: nam quanta felicium sunt gaudia, tanti invidorum sunt gemitus.

Nunquam melius torquebis invidos, quàm Virtuti & gloriæ serviendo. *Seneca.*

Felicitas semper subjecta est invidiæ; sola ergo miseria invidiâ caret.

Præclare facit, qui invidiam propter res honestas perfert. Odia enim non sunt perpetua: sed præsentem splendorem gloria æterna sequitur. *Thucydid. lib.2.*

Nunquam eminentia invidiâ carent.

Homines invidi nihil aliud sunt, quàm ipsorum tormenta, *Curtius.*

Est proprium invidiæ eos circumvenire ante, quos non possis Virtute superare.

Invidia *animi ærugo* vocatur. Martialis: *Vt tu si viridi tinctos ærugine versus*, id est, favore & maledica invidia.

Invidia est dolor ex aliena felicitate.

A rebus publicis invidia nunquam abesse potest. *Plutarch. in Pelopidâ.*

Eos, quos in suâ potestate tenet, invidia sapere non finit. *Dionys. Halicarnas.*

Cara invidia est, nec quicquam aliud scit, quàm detrectare virtutes, corrumpere honores ac præmia earum. *Livius. Decad. 4. lib.8.*

Invidia viventes exercet; sed mortuis benevolentia sine obtrectatione præstatur. *Idem eod. lib.*

Μηδενὶ φθόνει. Invidiam virtute domes.

Torsit aliquando *Alexandri* M. legatos: quod Rex Diogeni tantum honorem detulisset. cum verò venienti Alexandro ne quidem surrexisset Diogenes, dixit Alex. Diogenes esse vellem si Alexander non essem.

Iulius Cæsar lacrymasse dicitur, cum inaudivisset de

Alexandri

Alexandri M. victoriis, doluitque, quod Alexander tantis in adolescentia sua victoriis superbiret, ipso ætate jam provecta nihil præclari egisset.

Amasus à Frederico Neapolitano interrogatus, quid aciem oculorum maxime firmaret; Dixit *Invidiam*. Quod illa res alienas semper faciat majores.

Sunt, qui dicunt *Aristotelem* præceptori Platoni adeò invidisse, ut bonam ejus operum partem flammis & incendio dederit.

Invidia est ægritudo ex alterius rebus secundis. Distat ab odio, quoniam odimus malos; invidemus fortunatis. Odisse nos palam profitemur, invidiam dissimulamus. Odium ex alieno vitio; Invidia ex aliena virtute.

Assidua est eminentis fortunæ comes invidia, altissimisque adhæret. *Vellejus Paterc. lib.* 1.

Præsentia invidiâ, præterita veneratione prosequimur.

Nunquam erit felix, quem torquebit felicior. *Seneca.*

Omnes, qui excellere aliquâ in re conantur, statim afflavit & adussit malevolentiæ ista aura. *Lips.*

Livor & obtrectatio passim bonorum operum impedimenta aut venena. *Idem.*

Qui alteri invidet, hoc ipso inferiorem se ostendit, quâ apud humiles duntaxat animos habitat, & in altos dirigitur livida illa Dea. *Lips.*

Periander dicebat; Nemini esse invidendum. Et quemadmodum rubigo propria est frumenti ægritudo; sic amicitiæ morbum esse invidiam.

Aristoteles ostendere volens quid esset invidia, Antagonistam fortunatorum dixit.

Æmulatio bona est, & bonos potissimum decet; Invidia turpis est.

Themistocles adhuc adolescens nihildum se præclari fecisse dixit. Nondum enim invideri sibi.

Furius Cresinus à servitute liberatus, cum è parvo agello majores fructus perciperet, quàm vicini ex agris

gris amplissimis: in maxima fuit invidia, quasi fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem dictus illi dies à Spurio Albino. Cum in suffragium oporteret ire tribus, valde metuit damnationem. Instrumentum rusticum omne in forum attulit, adduxitque filiam robustam, benè curatam & vestitam, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderosos & boves saturos & dixit: *Veneficia mea, Quirites, hac sunt, nec possum vobis ostendere labores manuum mearum,* multasque meas vigilias & sudores.

Alexander Perdiccam oderat, eo quod esset bellicosus: Lysimachum, quod esset militandi peritus: Seleucum, quod esset magni animi; Attalum, quod Imperatoria dignitate polleret: Ptolæmum, quod ei prospere omnia ucceederent.

Ubi nulla umbra, ibi nullum lumen: ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia.

Licet invenire regionem, ubi nullum venenum, quemadmodum in Creta. At non licet invenire Remp. in qua non invidia & contentiones.

Quemadmodum iter facientes per solem necessario comitatur umbra: sic quoque incedentibus per gloriam comes est invidia.

Ut Scarabai alieno stercore: sic invidi aliorum adversa fortuna nutriuntur.

Ut navim interdum improvisus vortex absorbet: ita homines nigra illa Dea, Invidia, præsertim eos, quibus indoles major & ingenium supra annos. *Lips.*

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet. Ovid.
Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quenquam jam ferre potest Cæsarve priorem
Pompejusve parem.
Nil opus in vidia est, procul absit gloria vulgi,
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Invidiam in Poëmatibus meis sic descripsi;

Stulte

Stulte quid alterius marcescis rebus opimis?
Quid tot tormentis ilia rumpis iners?
Es Phalaris tute ipse tui, sævusque tyrannus.
Traqibitas manes & miser ipse tuos.
Hoc tanto gaudet dives magis, Invide, quantò
Tu magis alterius prosperitate doles.

In Zoilum.

Cur, Pimplea, tuos Vates sic Zoilus odit,
Pieridum famam ferre patique nequit?
Et semper certamen habet cum laude Bonorum,
Nulla venenato ut pagina felle vacet?
Hac ratio est: fama praconia ridet inanis,
Scintillamque boni non rude pectus habet.
Cumque suo genio sterilem sortitus arenam,
Ingenium alterius rodere dente parat.
I male Gurgulio & lingua distringe mucronem.
Nil facit in Vatum tempora livor edax.
De *Invidiâ* vide Text. Offi. cap, 26. lib.5.

Vide IRÆ. *Indignandi. Amentia. Non irasci.* vide *Patientia.*

VIdistine tu illi oculos virere? ut viridis exoritur color ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant. *Plaut.*

Perii, minatur mihi oculos exurere. Apollo mihi imperat ex oraculo, ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. *Idem.*

Ardent oculi, fune opus est. *Idem.*

Tantane animis cælestibus iræ. Seneca.

Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia. *Seneca.*

Ira est appetitus vindictæ.

Aristoteles Alexandrum per Epistolam sic admonuit: Furor & ira non adversus æquales exercentur, sed in meliores præstantioresque.

Catonem quis in balneo imprudens percussit. postea Cato; *non memini me percussum*, nihil iratus est.

Phocion

Phocion injuriam Vxori illatam tulit non graviter. Cujus criminis rei postridie ad Phocionem venerunt, delicti orantes veniam. Ille, mea, inquit, uxor nihil à te affecta est, sed fortassis alia quæpiam.

Pisistrati Vxorem aliqui conviciis incesserant: qui cum veniam illam orarent, dixit: in posterum modestiores estote.

Θυμὸς ἐν κακοῖς ὁ συμφορος.

Ira in malis est inutilis.

Furor iraque mentem præcipitant.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram.

Sæpe simultates ira morata facit. Ovid.

Plato sapienter auditores admonebat, ut iratos se in speculo contemplarentur. Nam cum faciem suam per omnia phrenetico similem viderent, eo dedecore territi, imposterum ab ira sibi facile temperaturos.

Idem sentiebat homines iracundioris ingenii ad disciplinas quidem esse idoneos, ad gerendam Remp. non item.

Diogeni de non irascendo accuratè differenti, adolescens quidam protervus, veluti periculum faciens, an re præstaret ea quæ docebat, inspuit illi in faciem. Tulit hoc leviter ac sapienter: *Non quidem*, inquit, *irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat.*

Audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria. Flagrant & micant oculi, multus toto ore rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus. Fæda visu & horrenda facies. *Seneca.*

Nulla pestis humano generi pluris stetit, quàm ira, *Idem.*

Aristo-

Aristoteles definiit iram esse Cupiditatem doloris reponendi.

Ira alium in cubiculo suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; *Seneca.*

Vtinam! hominibus ea lex esset, ut ira cum telo frangeretur. nec sæpius liceret nocere quàm semel, nec alienis viribus exercere odia. *Idem.*

In Iracundum olim sic lusimus:

Quid toties animo cæcis flagramus in iras,
Pro pudor! & bilis viscera nostra coquit?
Pax hominem, non ira decet. Pax una triumphis
Ausonidum potior. pax quoque digna Deo.
Mitius ingenium, quod rixas odit & iras,
Proxima cum superis regna chorosque tenet.
Tartareis quondam monstris Lis iraque nata est:
Quæ geminas fovit lacte, Chimara fuit.

De Irâ & odio lege Offic. Text. *lib.* 5. *cap.* 25. Et *Val. Max.* cap. 3. lib. 9.

Ira si ceperit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus. *Seneca.*

Nullus affectus vindicandi cupidior, quam ira.

Nihil minus quàm irasci punientem decet. Nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem.

Nulla ad insaniam celerior via est.

Liquit decor omnis iratos: & sive amictus illius compositus sit ad legem, attrahet vestem, omnemque curam sui effundet. Si capillorum natura vel arte jacentium non informis est habitus, cum animo inhorrescunt, tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit. Tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intra putas esse animum, cujus extra imago tam fœda est? *Seneca.*

Cætera vitia impellunt animos, ira præcipitat. *Idem.*

Alia vitia à ratione; hæc à sanitate desciscit. *Idem.*

Aristoteles defensor iræ, vetat illam nobis exsecari.

Calcar

Calcar ait esse virtutis: hac erepta, inermem animum & ad conatus magnos pigrum inertemque fieri. *Idem.*

Ira patri luctum, marito divortium attulit, magistratui odium, candidato repulsam. *Seneca.*

Vt exulcerata & ægra corpora ad ictus levissimos gemunt, ita ira muliebre maximè & puerile vitium est. *Seneca.*

Vetus dictum est, à lasso rixam quæri. Æque autem ab esuriente, & à sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res urit. *Seneca.*

Ira, quæ tegitur, nocet.
Professa produnt odia vindictæ locum.
Fortuna fortes, ignavos premit
Nunquam potest non esse virtuti locus.
Qui nil potest sperare, desperet nihil.
Fortuna opes auferre, non animum potest. Sen. in Med.
Quæ Scylla, quæ Charybdis Ioniummare
Siculumque sorbens, quæque anhelantem premens
Titana? tantis Ætna fervebit minis? Ibidem.
Hic faciet dies
Quod nullus unquam taceat invadam Deos,
Et cuncta quatiam. Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si video obruta.
Nemo potentes aggredi tutus potest. Ibidem.
Regi frænis nequit
Et ira & ardens hostis & victoria
Commissa nocti. Sen. in Oedipo.
Merito quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet. Horat.

IOCORUM. Vide *Argut. Nugarum. Stultitia.*

APologi de Satyris: ex his aliquis coactus hyemis rigore contulit se in casam hominis rustici. Receptus est ad focum. animadvertit hospitem inflare in manus. Rogavit cur id faceret, ut calefaciam manus,

nus, *inquit*. Iterum vidit hospitem in polentam inflare satis fervidam. Satyrus admirans, rogavit, cur hoc faceret; ut refrigerem, *inquit*, polentam satis calidam. Tum Satyrus: quid audio, unum hominem ex uno ore calidum & frigidum efflare? cum tali animante mihi non est animus habere domesticam consuetudinem. Surrexit, ac rediit in suam solitudinem. *Eras. in Linguâ.*

Plutarchus de Bisone narrat, qui ob cerebri debilitatem servis suis præcepit, ut nisi rogati loquerentur. Evenit, ut Clodium honoris gratiâ vocaret ad convivium, & curarat apparatum tali magnate dignum: Sed, solus Clodius exspectabatur. Interim subinde servum emittebat, num veniret Clodius. Imminente jam nocte, nec spes esset venturum Clodium, tandem ad servum conversus Piso: Nonne, *inquit*, vocasti Clodium? Invitavi, *inquit*, cur igitur non venit? quia excusavit. Quamobrem istuc non dicebas? quoniam, *inquit*, non percontabaris hoc. *Ibidem.*

Epaminondas Thebanorum ductor cum audisset quendam è Ducibus in castris morbo periisse, dicebat se mirari, quod in exercitu ei vacâsset ægrotare. *Ibidem.*

Heliogabalus Cæsar solitus suis libertis ac servis mandare quædam in speciem ridicula, videlicet ut convocarent ad balneum omnes herniosos, aut ad convivium 8. calvos, 8. luscos, 8. podagrosos, 8. surdos. 8. insigniter nigros 8. insigniter longos. 8. notabiliter obesos. 8. nasutos. mandabatque iisdem, proposito præmio, ut ad se deferrent millena pondo aranearum. Et collecta dicuntur decem millia pondo aranearum. Cur? ut magnitudinem Romæ ostenderet, *Eras. in Ling.*

Hercules cum esuriret, & offenderet Lindium quendam jugo boum errantem, rogavit, ut alterum boum sibi daret placando stomacho. Non enim esuriebat vir fortis cepas, aut legumen, aut ora, sed solidos boves. Cum rursus excusaret, omnes facultates suas familiamque totam niti jugo boum, jure commotus

Hercules

Hercules utrumque eripuit, mactavit & comedit. Rusticus convitiabatur in Herculem. quibus ille adeo commotus est, ut negaret sibi unquam accidisse convivium jucundius. *Ibidem.*

Italo perfusus aceto in illos, qui aculeatis satibus impeti solent. Horat. *At Græcus postquam est Italo perfusus aceto.* Florus: Græcum ingenium Italicis artibus miscuit.

Heliogabalus in colle Quirinali Senatum muliebrem instituit, quem *Senatulum* appellavit ubi per Symiamiram Augustam prodita sunt Senatus consulta ridicula, de legibus matronalibus, quibus quo vestitu fas esset incedere. Quæ ad cujus osculum venirent. quæ equo saginario, quæ asino veherentur. quæ sellâ veheretur. quæ aurum aut gemmas in calceamentis haberent. *Eras. in Ling.*

Alcibiades canem insolitæ magnitudinis 70 minis emptum, amputatâ cauda dimisit in civitatem. Omnibus innotuit canem esse Alcibiadi, Sermo de illo uno, de cæteris convitiis calumniisque silentium. Risit Alcibiades. Plane, inquit, cessit, ut volebam. *Ibid.*

Vide in hanc quoque materiam *Macrob. Cap. 2. l. 2.* ubi agit de jocis in *Tullii Cic. Augusti. Iulia.* Et de Histrionum sententiis ac dictis.

Justitiæ. Vide *Legum. Prob. Piet. Probit. Virtutis. Clementia.*

Livius: Multitudo coalescere, in unius populi corpus, nulla re, quàm legibus potest. Solve; dissipamur, & ut feræ solitariæ vagamur.

Homerus, qui omnia scivit, de justitiâ illud: ἥ τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει ἠδὲ καθίζει, quæ cætus hominum cogit solvitque vicissim.

Quis nescit scelera & flagitia per eam removeri. Agri, viæ, maria frequentantur, & securitas ubique & tranquillitas regnant.

Boethius; Annum bonum non tam de magnis fru-

ctibus,

ctibus, quàm de justè regnantibus existimandum.

Olim in *Angliâ*, & de illâ dicebatur: Totum regnum puellam onustam auro posse pervadere. Iustitia!

Andronicus Comnenus Imp. Bizantii scripsit ad præsides & magistratus his verbis: Aut injurias aut vitam relinquite. Nam vos injustè agere, & vivere, neç Deo gratum, nec mihi ejus ministro ferendum est.

Ibidem apud Lips. in Mon. pot. I. de *Totila*, *Alphonso*, &c.

C. Marius septimum ille consul, Tribunum adigit manipularis, cum stuprum alicui in castris pararet. Ibidem de Otthone III. Aristide, &c.

Mali Doctores, qui principem à legibus eximunt. qui cum Caligulâ censent, *omnia ipsi, & in omnes licere.* Sive cum Sallustiano Memmio: *impunè quodlibet facere*, id est, regem esse.

Theodosium imitetur, de quo Panegyristes: idem es, qui fuisti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat. *Ius summum, facultate & copiâ commodandi, non securitate peccandi experiris.*

Antigonus Maced. R. cui cum blandius aliquis suggereret, omnia Regibus honesta justaque esse: Resp. *sunt, Hercules, sed Barbarorum duntaxat Regibus.* at nobis ea honesta, quæ honesta sunt, & justa, quæ justa.

Idem scripsit civitatibus: si quid fortè juberet, quod adversaretur legibus, ne admitterent: ac pro eo haberent, atque si inscio se scriptum esset.

Zaleucus insigni facto justitiam asseruit. legem tulerat Locrensibus, ut adulter oculis privaretur. Filius reus. Populus consensu pœnam remisit. Patre abnuente. *Lex*, inquit, *sancta & pœna etiam in nobis est.* Sed viam reperi, quâ, illâ salvâ humanitati indulgeamus. ipse & ego unum sumus. mihi ergo unus oculus, alter illi eruatur. quod factum.

Charondas Thuriorum Legislat. legem tulerat, ne

quis cum telo in concionem veniret. Accidit, ut ipse indictâ subito concione armatus ad eum accederet. Cumque æmuli occlamâssent: solvere eum legem, ac palam cum telo esse, ipse errore cognito, me hercule, ita est, inquit. *Idem ego sanciam.* statim stricto ferro incubuit. à fine aliquis laudet, à facto non.

Philippus Macedo, quàm obnoxium se Iustitiæ præbuit, & aures suas verberari vel convitio passus est, quod ægrius, quàm gladio, principes ferant. Dicebat apud eum causam Machetas. Philippus parum attente visus audire, & re non benè cognitâ, damnasse. Machetas non tulit, & *Appello*, inquit. Philippus miratus & iratus, *Tu à Rege? & ad quem? Ad te ipsum*, inquit. *Sed vigilantem & attentum.* Sive, ut alii volunt, ad *Philippum Sobrium*.

Vide Lipsii exempla & Mon. Pol. cap. 9. & 10.

Cum *Themistocles* aliquos audiret Magistratum ambire, *si mihi duas*, inquit, *vias ostenderis, quarum una ad infernum, altera ad tribunal duceret, multò libentius ingrederer eam, quæ rectà ad infernum tenderet.*

Agesilaus interrogatus, justitiane an fortitudo præstantior esset, graviter respondit: *Ne fortitudine quidem opus fuerit, si justitiam omnes amplectantur.*

Nulla, *Iustinianus* ait, sine justitiâ fortitudo laudabilis est.

Adulterum secuta per Symplegadas Sen. in Med. duo montes sunt Cyaneæ.

IUSTITIAM sic nos, in Iuvenil.

Una salus, Spes una hominum, si sacra gubernas,
Iustitia, auspiciis templa forumque tuis.
Si cuncta ex merito, justoque examine pendens
Et sua sint laudi præmia, pœna malis.
At cum non merces maneat condigna merentes
Stat res in casum publica prona suum.
Nec tutum satis est communi vivere jure,
Iamque locus nullâ fraude doloque vacat.
Hoc agite, ô Proceres, quibus est commissa potestas,
Ut bene sit mundo, reddite cuique suum.

Principes

Principes quidem instar Deorum sunt: Sed neque à diis nisi justo supplicum preces audiuntur, neque quisquam in urbis templa perfugit, ut eo subsidio ad flagitia utatur. 3. *Annal.*

Nec quemquam impunitatis cupido, magnis conatibus adversa, retinuerit. 15. *Annal.*

Tempus quoque est Iustitiæ sancta penetralia adire. ubi studium verecundiæ est, & cupiditas rationi cedit. nihilque utile, quod parum honestum videri possit, ducitur. *Val. Max.*

De Iustitia consule quoque *Philosophiam Historicam Goulartii*, hoc Titulo.

Iustitiæ exempla vide apud *Val. Max. Lib. 6. cap.* v.

De privatis judiciis insignibus *Val. Max. lib.* VIII. *cap.2.*

IUVENTÆ. Vide *Ætatis. Senecta.*

Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Utilium tardus provisor, prodigus æris
Sublimis cupidusque & amata relinquere pernix.
Conversis studiis, &c. Horat. in Arte Poet.

De *Adolescentia. Senio*, cæterisque ætatum specieb. lege *Ed. Neuheusium*, qui graphice hæc depinxit. *lib.* I. *cap.6.*

LABORIS. Vide *Frustra. Curiæ. Diligentiæ. Artium. Disciplina. Doctrina. Litt. Discipl.*

OPeram male posui. In aqua scripsi. In coelum jaculatus sum.

Aravi littus. Oresti pallium texui. Penelopes telam texui.

Cancrum rectè incedere docui. Lapidem verberavi.

Cum Larvis luctatus sum. Æthiopem lavi. Mare exussi.

Sisyphi saxum volvi. Delphinum cauda ligavi, natare docui.

Cum Diis pugnavi. Iam hoc opus est exasciatum, hoc est, ruditer elaboratum.

Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem oportet. Sedulitas, quæ non compensatur, onerosa est.

Symplegades malorum me obruunt.

Labores magnos exantlare. *Anclare*, quod & Antlare verbo Græco significat haurire; exanclare, Græci dicunt ἀντλάω, pro haurire. Hinc antlia accipitur pro vase accommodo ad hauriendum. Hinc *Phreantles* cognominatus est Cleanthes, eo quod puteos hauriret.

At illi, qui scripta sua torquent, qui de singulis verbis in consilium veniunt, necesse est, quæ toties animo suo admoverint, novissimè affigant. *Sen.*

Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur. Vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt, ubi socordiæ tete atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores, irati infestique sunt. *Sallust.*

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent.
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Horat. in arte Poët.

Non quisquam fruitur veris odoribus
Hyblaos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos,
Amat spina rosas, mella legunt apes.
Si non intendas animum studiis, & rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Ὡς ἡδὺ τοῖς σοφοῖσι μεμνῆσθαι πόνων.

Μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη. Laborare mortalibus necesse.

Democritus dicebat, omnes labores otio jucundiores esse, quando illa consequuntur homines, quorum gratia laborant, aut consecuturos se sciunt.

Hera-

Heraclides scripseaat libellum, cui titulum dederat πόνου ἐγκώμιον. Ptolemaeus accepto Codice, delevit π. Reliquum igitur ὄνου ἐγκώμιον. Allusit ad hoc, scilicet si labor laudandus, meritò etiam asinus.

Apelles nunquam diem solebat prætermittere. Unde abducens se à laboribus dicebat: Hodie nullam lineam duxi.

Socratis Quemadmodum nec mulier sine viro: sic nec bona spes absque labore quicquam parit.

Ut rosa, Flos unus omnium longè gratissimus, de spinis nascitur: sic è tristibus & asperis laboris fructus capitur jucundissimus.

Tanto melior surge, & respira: & clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera. Generosos animos labor nutrit. *Seneca.*

Exurge modo & te quoque dignum,
Finge Deo. Virg.

Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis. Curvatas trabes calor explicat. In id finguntur, quod usus noster exigit. *Seneca.*

Seneca: Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium studiis vindico; non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigiliâ fatigatos cadentesque in opere detineo.

Qui mente laboravit, prudentiam inde feret.
Nul pain sans peine.

Labor quid possit, lege *Gymnasium Eloq. Parentis mei*, cap.

De studio & industria agit *Valer. Maxim. lib.* 8. *cap.* 7.

Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quædam & languor. *Seneca.*

Nunc utile multu
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.

Mensibus Decembribus *celebrabantur Saturnalia.* Juvenal. Sat. 7.

LACRYMANDI.

Vide *Ægritudinis.*

Hinc largus lacrymarum imber truditur foras.

Lacrymas alicui excutere. Pumiceos oculos habeo, non queo lacrymam exorare, ut exspuant unam modò.

Ut mihi excivisti lacrymas. Terendo oculos vix unam lacrymam exprimere potui.

Lacrymis os totum sibi implere. Lacrymæ se subito profuderunt. Lacrymâ nihil citius arescit.

Homini ilicò lacrymæ cadunt. Traxi ex imo ventre suspirium.

Animo malè est, recipiam anhelitum. Lamentis & lacrymis se dedere. Vim lacrymarum profudi.

Perennes meæ lacrymæ sunt. Ni oculos lacrymæ defendant, jam ardeat, credo, caput. *Terent.*

Misero si flere non licet, magis flendum est. *Seneca.*

Nullaque flendi major est causa, quàm flere non posse. *Idem.*

Omnis adversa fortuna in querelis habet levamentum. *Idem.*

Hoc tantum inter miserias capio solatium, quod miserior esse non possim. *Idem.*

Annum fœminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis à rogo, vix à cadavere revulsis, cui lacrymæ in totum mensem duraverint. *Seneca.*

Megarensium lacrymæ: quæ non ex dolore aut animo proveniunt. Alii ferunt plurimum alii apud Megarenses nasci. Odore enim alii lacrymæ exprimuntur.

Nulla res citius in odium venit, quam dolor. Inveteratus verò deridetur. *Seneca.*

Democritum potius, quàm *Heraclitum* imitemur. Hic enim quoties, in publicum processerat, flebat; ille

le ridebat. Huic omnia, quæ agimus, miseriæ : ineptiæ videbantur.

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.
Est quædam flere voluptas :
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.
Vos quibus est virtus muliebrem tollite luctum.
Amare mortuum, producit lacrymas
Mæstis loca questibus implet.
Longis singultibus ilia pulsat.
Largoque humectat flumine vultum.
Ingentem gemitum dat pectore ab imo.
It lacrymans guttisque humectat grandibus ora,
Magnumque sub imo corde premit gemitum.

Lacrymæ coacti doloris intra præcordia & intolerabilis silentii eruptio. *Seneca.*

Fletus humanarum necessitatum verecunda execratio est. *Idem.*

Lacrymis in subitis malis sæpè non locum esse docet egregiè *Camerar. cent. 1. c.29.*

Lacrymis oculi rorantur obortis,
Lacrymaque per ora voluta.
Lamentis gemituque & fœmineo ululatu
Tecta fremunt.
Quis duri miles Vlyßis Temperet à lacrymis?

M. Marcellus Syracusis captis, florentissimæ urbis commiseratione flevit.

Alexander, cum *Darium à Besso* confectum in vili curru animam agere videret, volutis per ora lacrymis, maximi Regis acerbissimæ fortunæ ingemuit. *Curtius.*

Agesilaus cæsis à se[illegible]estico bello Græcis; *Marcellus* captis Syracusis; [illegible]*canus* excisâ Carthagine; *Lucullus* incenso Amaso; *Cæsar* conspecto Pompeii capite; *Titus* eversis Hierosolymis pulchrum lacrymarum imbrem dejecit.

Rigidi *Catonis* obstinationem cæsa Romanorum cadavera, cadentibus ubertim lacrymis, mitigârunt.

Quod tepidi erumpent, oculis turgentibus, imbres.
Liquitur in lacrymas. dolor implacabilis urget.
Mantuan.
Perfruitur lacrymis & amat pro conjuge luctum.
In gemitus lacrymasque dolorem effundit.
Lucanus.
Tepido manabant lumina fletu.
Iure tibi lacrymas libamus.
Spargebat tepido flebilis imbre genas.
Uberisque oculis lacrymarum flumina misit.
Ovid.
Anxia in assiduos absumunt lumina fletus.
Catull.
Et trepido lacrymans lavat ora sinumque liquore.
Iuvat exhalare dolorem Fletibus.
Mantuanus.

Elegia latinè sonat carmen lacrymabile. ab ἐλεέω misereor: quod illo carmine inprimis flebilia describantur.

Lacryma, à lacerando, lacrymæ, quasi lacerrimæ. à Græco δάκρυον, quasi Dacrymas. δ. in λ. *Lacryma arborum*, humor naturalis. Sic vitium Lacrymæ, quæ instar gummi fluunt.

Lacrymæ quod ex diversis caussis oriantur, docet *Camerar. cent.* 3. *c.* 98.

Vexare oculos humore coacto.
Ploratum lacrymis amissa pecunia veris.
Juvenal. Sat. 15.

L Æ D E N D I. *Vulnerandi.*
Vide *Interficiendi. Verberandi.*

Asini me mordicibus scindunt, boves incursant cornibus. *Plaut.*

Auriculam mihi mordicus abstulit. Cave faxit. vulnus tibi, tam cui sunt dentes ferrei.

Vide modo, ut meæ Catapultæ tuum ne transfigat latus. *Plaut.*

Exani-

Exanimari gravi vulnere. Obligare alicui vulnus. Vulnus alligare, consuere, consolidare.

Mucrone petere latus. In fragili corpore odiosa est omnis offensio.

Non dicitur alterum lædere, qui illatam injuriam propulsat.

Neque solum alterum lædamus, sed ne nos ipsos. Quia nemo membrorum suorum est dominus. Hinc nemo ad carcerem se potest obligare, sive de amputatione membri convenire.

LEGATI. Vide *Consiliarii*.

LEgatus est persona publica sacratiore nomine ad Principem vel Remp. missa sine imperio rei dicendæ agendæque causâ.

De *Speciebus Legationum* vide cap. 27. *Schonborni lib*. 3.

De illorum præmiis & privilegiis. *Idem* c. 24.

Quomodo puniendi qui legatos violant? *Idem*.

De Legatorum virtute & Doctrinâ. & quomodo in legatione se gerere debeant, qualesque esse debeant. *Idem c*. 30. *l*. 3. &c.

Qui interimunt Legatos jus omnium hominum confundunt. *Herod*. *l*. 6.

Legatorum nomen apud omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit. *Cæsar l*. 3.

Sacrum etiam inter exteras gentes Legatorum jus. *Tac. Hist*. *l*. 3.

Vide plura apud *Bodinum* & in *Historicâ Philosophia Goulartii Titulo Legati*.

LASSITUDINIS. Vide *Festinandi*. *Eundi*. &c.

ABige abs te lassitudinem. Tua causa rupi rumices jam dudum sputo sanguinem. *Plaut*.

Qui me rupi causa tua currendo. Genua cursorem deficiunt. Perii: seditionem facit lien, occupat præcordia.

Lassitudo medullam mihi perbibit. Numquam ædepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.

LAUDANDI. Vide *Honoris. Vituper.*

NUmquam ita magnificè quicquam dicam, id Virtus quin superet tua.

Vereor in os te laudare amplius. Tuæ existimationis ero buccinator.

Est jucunda profectò laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.

Vitæ alicujus honestamenta persequi. Tibi non tenuis ad laudem reseratur via.

Laudum tuarum magna est seges. In tuas laudes longa patet area. Laus tua est diffusa per totum terrarum orbem.

Magna tuæ familiæ laudis est antiquitas. Pompeji laudes illustri loco sunt sitæ.

Æternis florebit laudibus Mauritius Nassovius. Nomen ejus ad illustrem hominum memoriam inclaruit.

Vir hoc sæculo major & dignus fabulantium miraculis Vatum.

Quis tum non laudavit hominem tam numerosa arte multiscium? tot jugi scientia magnificum, tot utensilium peritia Dædalum? *Apul.*

Quod jam orbe senescente repertus sis qui omnibus famæ magnitudine umbram feceris.

Magni homines scribentium pennis ab invidiæ nubibus ad æternitatis sudum feruntur. *Lips.*

Memoria mea ingenti virtute diversis moribus fuère viri duo M. *Cato* & *C. Cæsar*. Quibus genus, eloquentia prope æqualia fuère. magnitudo animi par, item gloria. Sed alia alii. *Sallust.*

Cæsar beneficiis ac munificentiâ magnus habebatur. integritate vitæ *Cato*. Ille mansuetudine & misericordiâ clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat.

diderat. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. *Idem.*

At pulchrum est digitis monstrari, & dicier: Hic est. Ovid.

Plane melioris commatis & monetæ Viri. Ego illum commendare audeo, & ingenii Doctrinæque titulo, & edecumatæ, ut sic dicam, honestatis. At tu etiam solem me facis & tibi proponis, ad quem aquila subvoles. De te agnosco. Ferris pulcherrimi amoris alâ ad lucem illam puram Doctrinæ & sapientiæ. At de me quid dicam? esse ut ipsam hanc Autumni auram, fuscâ mente & nubilâ, atque utinam melior ille ignis perrumpat. *Lips.*

Laudari quippe à laudato viro rara est messis ingenii.

Munîsti temetipsum Alexipharmaco doctrinæ Christianæ, eloquentiæque medicamento, quibus nihil potest esse potentius. Et cum aliorum animi in macie, corpora in sagina sint: tua mens adipibus doctrinarum saginata pinguescit: qualis pinguitudo quanto uberior, tanto salubrior. *Lips.*

Socrates, Thus Diis, inquiebat, laus verò bonis viris tribuenda est.

Hector à Patre laudatus ob singulares animi virtutes: lætus sum, inquit, laudari me abs te pater, laudato viro. A malis enim viris laudari, non laus, sed dedecus esse putatur.

Quæ te tam læta tulerunt sæcula?
Qui tanti talem genuêre parentes? Virg.

Aut Scipio Romæ, aut Romæ libertas deesse debebat. *Seneca.*

LIBERANDI. *Libertatis. Manumissionis.* Vide *Servorum. Manum.*

FEstucâ factus est liber. Liberum caput tibi faciam. *Plaut.*

Qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris. *Idem.*

Agrum de vectigalibus exemit. Servire miseram servitutem.

Expedivi ex servitute Filium.

Extrahere aliquem ex ærumnis. Suarum in pugna virium victoria me emit.

Dare alicui se mancipio. Qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberâsti.

Nunquam ad Prætorem æquè cursim curram, ut emittat manu.

Omnes profectò liberi libentius sumus, quàm servimus. *Plaut.*

Libertas res est inæstimabilis.

Libertas est naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur.

Servitutem *Cicero* vocat malorum omnium pessimum.

Diogenes Cynicus interrogatus, quid esset inter homines optimum? Recte respondit: Libertas.

Lacedæmonii Spartis dixerunt, tam ingens bonum esse libertatis, ut nemo sanæ mentis libertatem cum regno Persarum commutaret.

Libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittit.

Manumissio idem est, quod potestatis datio: quæ tribus imprimis modis fiebat apud Romanos: *Vindictâ. Censu. Testamento.*

Habet hoc semper nova Libertas, ut ad licentiam facile deflectat. *Lips.*

Vos, Quirites, imperio nati, æquo animo servitutem toleratis? *Sallust.*

De LIBERIS & Ingenuis consule Rosinum.

De libere dictis & factis, lege *Valer. Maxim. cap* 2. *lib.* 6.

Omnes sapientes liberos esse & omnes stultos servos. *Paradox. Cic. lege.*

Ille videat, quomodo Imperator esse possit, cum eum ne liberum quidem esse ratio & veritas ipsa convincat. *Ciceronis clausula de Paradoxis.*

Dictum est igitur à sapientissimis Viris, nisi sapientem,

tem, liberum esse neminem. Quid enim est libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi profectò, qui recta sequitur, qui gaudet officio. Cui vivendi via considerata atque provisa est, qui ne legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit. *Cic. in Paradoxis.*

LEGUM. Vide *Advocat. Iustitia. Magistratus. Iuris.*

DE externis institutis videatur *Valerius Max. cap. 6. lib 2.*

Legibus ubi agi non potest, imperio utendum. 3. *Annal.*

Corruptissimâ Rep. plurimæ leges, quarum plures à majoribus repertæ oblivione, vel contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere. 4. *Annal.*

Ultimum in servitute est, adimere per inquisitiones & loquendi audiendi commercium. *Agric. Tac.*

Insigne Senatus Consultum Rom. ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, quo Senatui libertas ad pœnitendum esset. 3. *Annal.*

Plato verissime: quod ubi plurimæ leges, ibi & lites, itemque mores improbi.

Manes tui pro me quiescunt; sed rosæ aut Lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis sevisti *Lips.*

Quæ tam clara causa est, quæ non aliquâ lege, lege? imo interpretatione obscuretur? quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est. Causidicina, & peritè captare, aut capere laudem habet. *Idem.*

Imo, ubi copia, plus intricati erit: & semper argutia aut calumnia in sinu aut recessu hujus illiusque legis latebit, & se defendet.

Pulcherrima *Strabonis* nota est, & vel aureis literis signanda: Zaleucum illum Thuriis olim paucas & simplices leges dedisse; sed secutos. *Idem.*

Oraculum est, oraculum. non multæ leges bonos mores,

mores, bonum ejus faciunt; sed paucæ fideliter servatæ. *Idem.*

Una aliquâ lis Metonis annum tenet. Fit involucris legum; fit sordibus advocantium. & comperendinationes istæ ad quæstum & lucellum eunt. Per Symplegadas navigatur Colchos, ad aureum vellus. Quid jam in ipsis litigantibus: pervicacia est & sæpe impostura aut improbitas. *Idem.*

Non enim bona conscientia, sed victoria Litigantis est præmium. *Celsus.*

De Legibus Regiis & 12. Tabb. Lege *Rosinum lib.* 8.

Et Politicam *Schönborn. l.* 3. *c.* 1. 2. &c.

Carolus IX. in Galliâ sistendæ prurigini, vectigal judiciarium excogitavit, ut, quicunque litem ordiretur, deponeret & dependeret in fiscum regium duos aureos recipiendos, si jure litigasse judicatus esset. si aliter, amittendos. *Lips.*

Vetustissimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine corrupti, sine scelere eoque sine pœnâ aut coërcitionibus agebant, & ubi nil contra morem peterent, nihil per metum vetabantur. *Tac.* 3. *Annal.*

Retinenda sunt sapienter reperta & semper placita. 3. *Annal.*

Corruptissimâ Rep. plurimæ leges. 3. *Annal.*

Quibus sæpe non minus, quàm flagitiis laboratur.

Interdum vera, aut in deterius credita, judice ab uno facilius discernuntur, odium & invidia apud multos valet. 3. *Annal.*

Illud in *Tiberio* laudabile, quod multa adversus ambitum & potentiam preces constituerit. 1. *Annalium.*

Cuicunque defensio tribuenda, & nonnisi cognita causâ, jus & injuria discernitur. 2. *Annal.*

Nihil reum prohibeat, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut si qua sit iniquitas accusatoris, coargui possit. 3. *Annalium.*

Ne

Ne damnatus antequam reus, inauditus atque indefensus, tanquam innocens pereat, 1. *Hist.*

Det imo, qui causam ejus oret. nam proprius metus, validam quoque eloquentiam debilitat. 3. *Annal.*

Nam sunt molles in calamitate mortalium animi. 4. *Annal.*

Idque ipsum apud infensos incitamentum est, tanquam nimius pavor conscientiam arguat. 3. *Hist.*

Ita *Publio Celeri* nec animus in periculis, nec oratio suppeditavit. 4. *Hist.*

Dandum etiam tempus quo crimina diluat: nam plerique innocentes recenti invidiæ impares. 3. *Annal.*

Modo ne quis subdolâ morâ scelerum probationes subvertat. 3. *Annal.*

Inique *Tiberius* fecit, qui Silanum voce, vultu, & quod ipse creberrime interrogaret, premebat.

Princeps verba in se jacta ne ad cognitionem vocet. 2. *Annal.*

Facta arguantur; dicta impune sint. 1. *Annal.*

Ipse *Divus Augustus*, ipse *Divus Iulius*, & tulêre ista, & reliquêre. haud facile dixerim, moderatione magis an sapientiâ. namque spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur. 4. *Annal.*

Convivalium fabularum simplicitas in crimen ne ducantur. 6. *Annal.*

De Legislatoribus Lacedæmoniorum, Ægyptiorumque, lege Offic. *Ravis. Text. c.4.5. lib.3.* De Legibus. *Ibid.*

Romanorum varia Leges.

Ad trecentos ferme annos Pop. Romanus sine legibus vixit. Bella & novitas imperii in causâ post finitimos jam superatos Decemviri legum ferendarum causâ Athenas profecti. Tandem consilio divino Leges 12. Tabb. in foro proposuerunt. Aëre incisas, excerptas ex Solonis legibus ligneis axibus contentas.

tas. Postea vetustate hæ leges antiquatæ, & aliæ in locum venere. sensu nihil mutato, verba alia.

Acilia lex, quam Acilius de repetundis pecuniis tulit. *Æmilia* lex, qua non modo cœnarum sumptus, sed & ciborum præfinivit. *Annaria* lex, quæ annorum modum præscribebat, quo magistratus capiebatur.

Apuleja lege capitis reus erat, qui publicam majestatem dominuisset. *Aquilia* dolum malum coërcebat.

Clodia lege cautum erat, ne quis per eos dies de cælo servaret, quibus cum populo agi licet.

Cassiâ statutum erat, ut populus per tabellam suffragia ferret. & quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu non esset.

Cornelia lex, quæ & testamentaria dicta, lata est in eos, qui testamenta, aut tabulas alias scripsissent, aut signassent.

Falcidia lex erat, ne plus legare liceret, quàm lege Clodiâ.

Fannia lex ludis Romanis, item Plebeis & Saturnalibus singulos dies centenos æris insumi concessit. decemq; aliis diebus tricenos. cæteris omnibus denos.

Hortensia præcipiebat, ut eo jure, quod plebs statuisset, patritii & omnes Quirites tenerentur.

Flavia de Plagiariis, in eos, qui dolo servum, aut pecus à domino, aut Filium à patre subtraxissent.

Frumentaria à Sempronio Graccho lata, quâ frumentum è publico distrib.

Iulia contra adulteros, & illos, qui sacra furati &c.

Iunia obtinebat adversum eos, qui militiæ stipendia diminuissent.

Latoria, contra eos, qui bona pupillorum deriperent. *Lectoria* cum adolescentes in contractibus circumventi.

Licinia, quam tulit dives Crassus, ut Cal. Nonis & Nundinis cuique liceret triginta tantum asses in cibis consumere. reliquis diebus ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria;. & salsamentorum libra.

Papia,

Papia, Plotia, Portia, Valeria, Voconia &c. vide Ravis. *Text. lib.* 3. *cap.* 8.

Poppæa erat de Maritandis Ordinibus. Vide *Tac.* 3. *Annal.*

Adi etiam Progymnasmata *Pontani* lib. 3. partis Poster. in Progymnasmata 20.

Vide plurima de his apud *Rosinum l.* 7.

LIBERALITATIS. Vide *Beneficiorum. Avaritia.*

ALexander *M.* cuidam Perillo L. Talenta numerari jussit, ad dotem pauperculæ filiæ, quum illa decem, non amplius talenta postularet.

Africanus Scipio non prius è foro solebat discedere, quàm unum aliquem sibi benevolum & amicum fecisset.

Hujus quamvis potestate victa fuisset, Carthago, moriens tamen argenti libras 33. auri duas reliquit.

De *Augusto, Vespasiano, Iuliano,* lege officinam. *Text. cap.* 41. *lib.* 5.

Ibidem de *Caligulâ, Trajano, Domitiano.*

Mecænas, Eques Ethrusio de sanguine regum, omnes eruditos sui sæculi amavit plurimum, multisque juvit muneribus. *Vide Off. Text.*

Et Philosophiam Historicam *Goulartii* hoc titulo.

De liberalitate Principum in doctos Viros. *cent.* 2. *cap.* 4. *Camerar.*

De Liberalitate lege *Val. Max. l.* 4. *c.* 8.

De Liberalitate Principis.

Sit Princeps erogandæ per honesta pecuniæ cupidus. 1. *Annal.*

Honestam innocentium paupertatem levet. 2. *Annali.*

Nobilitatem pecunia juvans. id ipsis, id majoribus ipsorum tribuat, ne clarissimæ familiæ exstinguantur, pudendam ad inopiam dilapsæ. 2. *Annalium.*

Sequa-

Sequatur *Augustum*, qui M. Hortalum Hortensii Oratoris nepotem, in paupertate manifestâ, liberalitate decies sestertiûm auxit. 2. *Annal.*

Contra *Nero*, nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit. 14. *Annal.*

Perdere multi sciunt, donare nesciunt. 1. *Histor.*

Liberalitas, ni adsit modus, in exitium vertitur. 3. *Hist.*

Nam si ærarium ambitione exhauseris, per scelera supplendum erit. 2. *Annal.*

Hinc à *Nerone*, conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ, sociique populi, inque eam prædam etiam Dii cessêre. 15. *Annal.*

Ne largiatur fructus, quibus Resp. sustinetur, ne diminutio sequatur imperii. 13. *Annal.*

LIBRORUM. *Chartarum. Bibliotheca.* Vide *Litterarum. Doctrina.* &c.

HAdrianus Iun. in Nomencl. cap. 1. ab initio.

Epistola assertoria. Tabulæ novæ. Codicilli. Adversaria. Pugillares. Palimpsestus, tabella deletilis, membrana deletitia. Codex rationarius.

Opistographium, quicquid utrinque graphio exaratum est.

Libri Elephantini. ex ebore facti magnificis impensis: quibus Senatus consulta inscripta erant. Non ab Elephantis, quod ridiculum.

Dealbata Tabella, Album. in quo Prætores habebant descripta edicta. *Pittacium*, exigua tabella est. Budæus sumit pro brevi commentariolo rerum summam continente. *Pandecta.*

Diarium. Iuvenali *Ephemeris.* *Charta Augusta*, propter tenuitatem epistolis dicata. Sic *Claudiana*, *Regia.* Charta *Emporetica*, vel *Reutica.* *Charta* virgo Martiali, ex qua nullum exemplar transcriptum.

Segestria, involucra quævis mercium. *Charta Pergamena*, ad Pergamum Asiæ urbem inventa. *Philura*, Scheda, vel membrana papyri. *Vmbilicus*, lamella, quæ

quæ propter attritum involucris extrinsecus adhibetur. Pagina, à pangendo.

Pluteus, armarium, sive repositorium librorum. Persius vult esse subjectam scriptoribus tabulam.

Epigraphe, index, inscriptio. *Autographum*, exemplar manu autoris scriptum. *Apographum*, exemplum exscriptum. *Syngraphum*, Tabulæ: cautiones nominum factorum. *Diploma* Principum literæ. *Litera honoraria.*

Litera fugiens, exolescens. *Litera caduca.*

Carmen Amœbaum: per vices respondens. Carmen *Fescenninum*, quod fascinum redoleret; vel pro quovis turpi scripto. à Fescennina urbe translatum.

Satyra, invectivum in mores. *Palinodia. Dira. Versus intercalaris*: ut apud Virg. *Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.* quod sæpe repetitur. *Versus injugis, ἀσύνδετος*, sine nexu conjunctionum. *Acroama*, festiva & lepida narratio. *Apologia*, oratio purgatoria. *Ænigma*, ab αἰνίττω obscurè loquor. *Charta dentata*, aculeata. &c.

Bibliotheca. Vide plurima de his in *Româ* illustratâ. sive Breviario Antiquitatum *I. Lipsii*. ubi *Syntagma de Bibliothecis* in Ægypto, Græciâ. in Asiâ. Romæ. Et *de Bibliothecis privatorum*. Circa finem.

Diploma, libellus quo beneficia à Principibus impetrari solebant. *Aliàs Bulla* dicuntur à Romano Pontifice datæ à verbo διπλῶσαι, quod est duplicari.

Nilus Papyriferus. Ægypti Fl. à Nileo R. vel à novo inferendo luto, quod suâ inundatione totam Ægyptum reddat feracem. Servius itaque dictum vult νέον ἰλὺν à novo limo, quem trahit. Septem ostia habet. Quare Virgil. *Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.* Multi à Δ. litteræ similitudine Deltam vocârunt Ægyptum Ovid. Metamorph. 15. *Papyrifici septemflua flumina Nili. Papyrus* est arbuscula nascens in Ægypto, ex hac arbore præparabantur chartæ acu divisæ in pertenues & latissimas phylluras.

De *Libris Sibyllinis* vide *Kosinum* libro 3. cap. 24.

LAURI.

LAURI. Vide *Arborum*.

Caussinus.

P*Alma* Oratoribus destinatæ. Palmæ olim chartarum vicem præstiterunt. Ex quo Oratoribus deberi credebantur, qui literaturæ Principes. Sive, quod palma victoriæ semper insigne exstitit. ideoque dominam ac victricem Eloquentiam decere. Sive, quod palmæ 365. virtutes numerentur. Et propterea Eloquentiæ convenire: cujus vis infinita &c.

Laurus est arbor perpetuâ virens comâ putatur ideo Apollini dicata, quia ille juvenis & imberbis semper fingitur. A Gr. δάφνη, quare Poëtæ *Daphnen* puellam ab Apolline adamatam ferunt. quumque vim ejus effugere non potuerat, Deorum miseratione in laurum fuit mutata.

Delphica laurus, quod victores Delphis eâ coronarentur. *Laurus Apollinea*, quod Apollini sit dicata. *Fatidica Laurus*, quod Apollini Fatidico sacra, vel quod ex ejus strepitu, quando est concremata futura colligebant.

Laureati lictores, qui laureatos Fasces & laureas coronas ferunt.

Romanis laurus sacra, quod exemplum *Liviæ Drusillæ* constat. Huic Aquila supernè lauri folium, & gallinam in gremium conjecit. Hinc postea Imperatores lauro redimiti. cum hæc laurus ex surculo in varias & immensas arbores succreverit, & multam ea gallina sobolem dederit.

LICENTIÆ. *Indulgentiæ*.

L*Icentia* est propria vitæ affectio in possessione, & usu rerum minimè parca.

Indulgentia est mollis & delicata permissio. Est e. indulgere obsequi & aliquid delicatè concedere.

Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit.

Licentia una janua est & aditus ad omne scelus.

Indulgentia homines ad vitia proniores facit.

Habet

Habet hoc ſemper nova libertas, ut ad licentiam facilè deflectat.

Simia catulos ferè complexu necat: ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu & indulgentia corrumpunt illos.

Veſtes quæ rarò induuntur, ferè à tineis eroduntur: & pueri qui nimis indulgenter habentur, fermè à morbis & internis animi vitiis corrumpuntur. *Lipſ.*

Cui peccare licet, peccat minus: ipſa poteſtas.
Semina nequitiæ languidiora facit. Ovid.

M. *Cato* Magiſtratum lapidandum judicavit, qui coërcere poſſet, tamen non faceret.

LINGUÆ. Vide *Tacendi. Mendacii. Garrulitatis. Silentii.*

Linguam præſcindere, & elinguendam dare uſque ab radicibus. Elinguem aliquem facere.

Linguam oculi præciderunt. dicitur de amantibus quando præ nimio amore vix loqui valent.

Noli mihi obſonare ſermone. Linguæ fibulā laxare.

Huic homini lingua excidit. Referendam ego habeo linguam natam gratiæ.

Si mihi pergit, quæ vult dicere, ea quæ non vult, audiet.

Nec ſermonis fallebar tamen.

Zeno adoleſcenti loquaciori: an res tuæ in linguam defluxere?

Theophraſtus illi, qui in convivio tacebat, dixit: Si quidem imperitus es, prudenter facis; ſi autem peritus, imprudenter.

Lingua dicitur à lingendo cibo, ut Varro ſentit.

Os animi eſt veſtibulum & orationis janua & cogitationum comitium, *Apul.*

Pittacus dixit linguam adinſtar cuſpidis eſſe factam, ſed eſſe acutiorem: cum illa ſe in cor hominis penetret, lancea verò externam cuticulam vulneret. *Eraſ.*

Sapiens judicabatur *Anacharſis*, quod viſus dormiens os dextra comprimere. Quo teſtatus linguam duriſſimo fræno indigere.

Ecce

Ecce Eulalium hunc noſtrum. Εὐλαλία Linguæ benevolentia. Contrarium *Pſeudolalia.*

Lydi hanc legem condiderunt, ut ſi quis linguam ſuam mendaciis aſſuefeciſſet, in peregrinas oras relegaretur, aut ſemeſtre ſpatium carceri includeretur, ne cum ullo homine colloquium inſtitueret. Sæpè tres annos in piſtrinum conjecti.

Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγε.

Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis eſt, quam magnum ignem incendit. *Lipſ. Eraſm.*

Μὴ σπεῦδε λαλῶν.
Ἄκουε πολλά, λάλει δ' ὀλίγα.
Ἀνδρὸς χαρακτὴρ λόγῳ γνωρίζεται.

Pythagoras gladii plagam, quàm linguæ leviorem eſſe dicebat: ille enim corpus, hæc animum vulnerat.

Theocritus Chius, cum veniret Byzantium & verborum prodigos homines inveniret. Rectè, inquit, de vobis dicitur, quod *in ore vobis omnis ſupellex eſt*, & unicum domicilium.

Xenocrates, quam maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex iis quærente: cur ſolus linguam ſuam cohiberet? *Quia dixiſſe, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.*

Πολυλογία πολλὰ σφάλματα ἔχει, τὸ σιγᾶν ἀσφαλές.

Naturâ hoc lingulacis inſitum, ut non modo loquantur multa; ſed mala. *Lipſ.*

Infantes, qui celerius loquuntur, tardius ingredi incipiunt: ita, qui ad dicendum promptior eſt, ad rem gerendam minus eſt paratus. *Eraſm.*

Lingua quo vadis? erectura civitatem vel everſura. *Zenob.*

Antiquiora diphtherâ loqueris. In eos, qui rancida quædam & deliramenta & nimis antiqua narrant. *Diphthera* pellis eſt Amalthææ capræ, in qua dicitur Jupiter res humanas deſcribere.

Baccare

Baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
Virgil. in Bucol.

Sunt incantamenta, quibus sopitur anguis. nullum est incantamenti genus, quo linguam obtrectatoris cohibeas. *Erasm. in Ling.*

O Basiliscum innocentem, si cum his conferatur. *Ibidem.*

Noxiæ bestiæ non temerè quemquam lædunt, nisi provocatæ. noxia lingua ultro profert virus suum, nec ullos gravius lædit, quàm benè merentes. *Eras. in Ling.*

Dracones in solâ nocent Africâ. Et Persicum pomum in Italiam translatum toxicum habere desiit. mala linguâ nullo non loco, tempore paratum habet venenum. *Ibid.*

Membrum à Basilisco percussum inconstanter amputamus, & hominis maledici convictum non fugimus? *Ibid.*

Nullum calamitatis genus gravius exitiorum diluvium invehit, quàm bellum. atqui nullum esset bellum, si non malæ linguæ. *Ibid.*

Quid unquam gestum tragicè à tyrannis? compezies à malâ linguâ initium. *Ibid.*

Amore nauclerum peritum à clavo, periclitantur omnes, qui navi vehuntur. Submove rationem à linguâ, periclitatur tota domus, aut civitas. *Erasmus.*

Si quando serpentis sibilus percussit aures, quàm velox fugâ! & securus audis sibila virulentæ linguæ? *Idem.*

Catonis exercitus fugit per Libycas arenas, inveniens remedia adversus indigenas bestias, quandoquidem vitare non licuit. Et nos inter tot venena securi dormimus? *Idem.*

Nam res mortifera est inimicus pumice lavis.
Qui modò secretum commiserat: ardet & odit,
Tanquam prodiderim quicquid scio.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur.

Et

Et canis, & postes, & marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollite lumen
E medio, clament omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet. &c.
Iuvenal. Sat. 9.
Lingua mali pars pessima servi. Ibid.

Salomon dixit: Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus.

Qui ferro necat hominem, uni tantum eripit vitam; verum his omnibus videtur sceleratius alienæ famæ constupratio. *Eras. in Ling.*

Si quis vestrum venenum deferat præsentaneum, quod vel ipso contactu subitam mortem adferret, &c. quantâ cum curâ seponeret eam pixidem?

Rursus, si quis pharmacum circumferret adversus omnia morborum genera præsens habens remedium, quo vel juventus revocari posset, an non is anxiè solicitus esset, ne qua pars rei tam pretiosæ periret? Qui fit igitur, ut mortalibus nullius rei minor cura sit quàm linguæ? cum in hac circumferamus utrumque & salutare venenum & saluberrimum pharmacum. *Eras. de Ling.*

Solus homo unico linguæ plectro omnium voces imitatur, tantâ similitudine, ut si tantum audias imitatorem, credas vagire puerum; grunnire porcum, hinnire equum; uxorem cum marito rixari; Coccygem certare cum Lusciniâ.

Mithridates R. 22. linguas tenuit, & unicuique ius reddidit sine interprete.

Omnium vim ac potentiam unicum linguæ plectrum complectitur. Hæc ad bellum tuba est, ad voluptatem Cythara, eadem cum vult lugubre canit. *Eras. de Ling.*

M. Cato probri loco objicit M. Cælio, quod insatiabilis garriendi libido illum tenerent, vitium appellans, non morbum. *Idem.*

Eidem

Eidem Cælio. *M. Cato* exprobrat parem facilitatem vel loquendi vel tacendi. Frusto, inquiens, panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur. *Idem.*

Qualem fructum adfert ager naturâ quidem bonus, sed neglectus, talem adfert lingua suæ permissa libidini. *Idem.*

Ut eloquentiâ nunquam abest à sapientia, ita loquacitatis vitium semper cum stultitiâ est conjunctum. *Ibid.*

De Mida Auribus.

Frequenter audistis, eas cum Rex purpureis tiaris tegeret, tonsorem tamen famulum fallere non potuit. Is cum arcanum non auderet prodere ob metum domini, nec facere posset ob naturæ vitium, secessit in agrum desertum,& in effossam terram deposuit voces: *Auriculas asini Mida R. habet.* In eo loco post natum est arundinetum. Itaque arundines vocem ex imâ terrâ haustam sparserunt in vulgus, sic ut nihil esset notius, quam illud: *Auriculas asini Mida R. habet.*

Quot hodie videmus huic tonsori similes: quibus si quid arcani credideris, sic parturiunt quasi rumpendi, nisi rursum in aliquem effutiant. *Eras. ibid.*

Lacedæmonii Ctesiphontem, virum alioquin disertum apud se vivere passi non sunt, qui se prædicaret de re quavis vel totum diem posse dicere.

Meritò laudatur illud *Cleomenis*, apud quem cum Samiorum Orator oratione aliquâ verbosiore conatus esset persuadere, ut adversus Polycratem bellum susciperet hunc in modum resp. *Quæ principio dixisti, non memini, eoque nec media intellexi. Cæterùm postrema mihi non placent.*

De *Lingua virtutibus & vitiis* lege quoque *Tyrocinium Eloquentiæ R. Neuhusii* Oratione 52. 53.

LITERARUM. *Epist. Legendi.* Vide *Librorum. Doctrinæ. Præcep. Sch.*

QUærunt literæ hæ sibi liberos, alia aliam scandit. *Plaut.*

Accepi tuam epistolam vacillantibus literis. Malo tuas aures iterando obtundere, quam fraudare reticendo.

Cur ego diutius sermonis pauper obgannio? Pagina erat Atticis salibus & thymo odora. *Symmach.*

Exsculpere ab aliquo aliquid literarum. Compensare longum silentium gemina scriptione.

Vecturam literis invenire. Magna mihi est scribendi impatientia. Tuæ literæ Tulliano auro sunt segmentatæ.

Mandare aliquid textis papyri. Literas infundere sericis voluminibus.

Literario muneri sedulam dare operam. Deferre alicui cultum salutationis.

Absentiam alicujus literaria voluptate solari.

Sermo tuus sanitatis tuæ apportet fidem. Mihi sermonis tui facta est gratia.

Salutationis honore aliquem dignari. Resarcire silentium longis literis.

Epistolis longas absentiæ moras redimere. Videris Campaniæ amœnitatibus circumsessus, ita silentio indulges. *Lips.*

Exortem mei sermonis esse te non patior. Pabula quædam & nutrimenta mutuæ affectionis alicui subministrare.

Nimis longa inter nos est colloquii intercapedo. Salutatricem paginam alicui reddere. Sermonis tui, ut in potu fontium, ideò major est, quia sapor dulcior.

Suavitate paginæ tuæ mulceor. Raras à te literas accipio; sed certe caras, stillantes mero melle & amore. *Lips.*

Animadvertes calamum alas habuisse: Sæpius per chartaceum hoc æquor te adibo. *Lips.*

Literas

Literas has ad te mitto quasi vadem amicitiæ coëuntis. *Idem.*

Lepidissima tua epistola salivam mihi sæpius movet. Imbuisti me liquore literarum tuarum suaviter.

Qui è longinquis illis oris auram ad me mittis tui affectus, eamque in Literis etiam nunc calentem & spirantem. *Lips.*

Deesse huic Epistolæ Atticam sanitatem benè consulas volo.

Ut Colossi magnitudo vel in brevi sigillo se ostendit: sic Ingenium & Doctrina etiam in tenui & extemporaneo scripto. *Lips.*

Bonæ artes honore nutriuntur, atque hoc specimen est florentis Reip. ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur. *Idem.*

Hæc, *inquit*, Epicurus, ego non multis sed tibi scribo: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.

Quod *Anacharsis* olim de Atheniensibus dixit, Nummis eos uti duntaxat ad numerandum; sic quasi scientiâ ad sciendum.

Quod deficientibus adspersa frigida, hoc mihi tuæ literæ. relevant recreantque labentem me, & virium adspirant novam auram. *Idem.*

Sesquipedalia verba: Non intellige longa & extensa; sed verba tumida & inflata.

Projicit ampullas & sesquipedalia verba. Horat.

Isocr. Præstat parum eminere in magnis, quam multum excellere in parvis.

Chartarum species & varia nomina lege apud *Turnebum cap.2. lib.7.* & *Hadrianum Iunium* in Nomenclatore.

Euripides Alcestidi poëtæ tragico objicienti quod triduo tria carmina composuisset, se verò centum; respondit: Sed hoc interest, tua triduo tantummodo, mea verò in omne tempus sufficient. *Val. Max.*

Carneades Cyrenaus scripturus adversus Zenonis Stoici libros, caput helleboro prius purgavit, ne quid ex

corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilium uſque animi redundaret, & conſtantiam vigoremque animi labefactaret.

Socrates roganti cur nihil ſcriptum ederet, reſpondit, quia video chartam multo pretioſiorem, quam ea quæ ſcribenda forent.

Arceſilaus Pitanæus Homerum omnibus præferebat, eumque Amaſium ſuum vocabat, noctu ſemper & ſummo mane aliquid in eo legens.

Ariſtippus cuidam jactanti ſe, quod eſſet πολυμαθὴς, quaſi nihil non didiciſſet: Quemadmodum, inquit, non hi, qui plurimum edunt excernuntque, melius valent his, qui ſumunt, quantum opus eſt: Ita non, qui plurima, ſed qui utilia legerunt, eruditi ſunt habendi.

Crimen Falſi ab eo committitur, qui teſtamentum vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit, ſignaverit, recitaverit, ſigno adulterino ſciens uſus fuerit, alienumve ſculpſerit, alterius Chirographum imitatus fuerit, falſum nomen aſſeverarit, familiam mentitus ſit, falſam monetam cuderit, falſum partum ſuppoſuerit, &c.

Pœna Falſi in liberis perſonis Deportatio eſt & omnium bonorum publicatio. Verum hodie plerumque puniuntur extra ordinem falſarii, & interdum augetur, interdum minuitur pœna pro qualitate admiſſi & conditione perſonarum.

Alexander præter modum delectatus eſt Homero, adeò ut illum ad verbum edidicerit, ac dormiens etjam cervicali ſuppoſitum haberet.

Idem. Cum ad Alexandrum Magnum ſcrinium delatum eſſet, in quo ferè omnes Darii R. opes ſervatæ erant, & quæreretur, in quem uſum ſervandum eſſet, Alexander ait: *Huic optimè ſervandus Homerus dabitur.*

Theocritus ad Ludimagiſtrum quendam malè pronunciantem accedens, rogavit, Quî fit, quod Geometriam non doceas? Is cum reſpondiſſet, Quoniam ignoro. quid tum? dixit; nam legere quoque neſcis.

Virgilius Ennii opera diligenter & sæpius evolvens, ac rogatus quid ageret, Aurum, inquit, lego ex stercore.

Alphonsus cum inter peregrinandum forte ad eum locum, unde Sulmo poterat despici, pervenisset, an ea Ovidii patria esset interrogavit? Quumque intellexisset, natale Nasonis solum esse, urbem salutavit, gratiasque genio loci egit.

Aimer & sçavoir n'ont mesme manoir.

Sane, si quid in oratione nostrâ probandum, totum à naturâ est, vix à curâ. Rationem meam scribendi scire vis? Fundo, non scribo. nec id nisi in calore. haud aliter, quàm Poëtæ. verba facile succedunt, & pene præcedunt meam mentem. Istos rideo, qui etiam Epistolas, si diis placet, lentè velut ad numerum componunt. verba examinant, circumspiciunt, trajiciunt. Et miselli, cum omnia fecerint, umbras putes, non homines loqui. Ita tenuis tota scriptio, sine sanguine, colore, carne. *Cent.* 11. *Epist. Lips.*

De notis, sive literis Hieroglyphicis, vide cap. 47. *in Off. Text. lib.*4.

Stulta est clementia, cum tot ubique.
Vatibus occurras peritura parcere charta.
Iuvenal. Sat. 1.

LOCORUM. Vide *Urbis. Agri. Hortorum. Montis. Flum.*

AT quin Italica illa suspecta est, & ne quis Paris Helenam rapiat aut teneat. Ecce ergo Penelopen, domi maneo, & frigidum illum lectum foveo ac servo. *Lips.*

Locorum Communium instituendorum ratio vide in Epist. 61. *Cent.* 3. *Miscell. Lips.*

Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terrâ domibus negatâ.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstivâ recreatur aurâ:
Quod latus mundi nebula malusque
Iupiter urget. Horat.

Locus ad vitæ beatitatem nihil facit. super quo legatur. *Horat. Epist. lib.* I. *Sat.* XI.

Locorum ominosa nomina Vide in 2. Fatid. lib. pag. 578.

Dexter locus honestior. *Vide Lips. in Epist.*93. *Cent. Sing. ad Ital.*

Hic locus de Loco si exemplis ostendi deberet, excurrerent in immensum paginæ. quod onus subterfugere prælo vetamur. & meritò, &c.

LUNÆ. Vide SOLIS, *Sid. Astr. Cæli.*

Stella gubernatrix tenebrarum & mobilis undæ. Mantuan.

Per noctem obsequiosa soror ; velut æmula fratris.
Quæ plena animis & lumine largo
Solis ab igne tumens, altumque per aëra vecta. Petrarcha.

Carpit iter fratremque audet se tollere contra. Vidas.

Diva nocturnas quæ agitare bigas
Suevit, gyro breviore flecti. Seneca.

Nempe illi subjecta polo, qui septimus auras
Ambit, & æternis mortalia separat astris. Claudianus.

Luna revertentes cum primum colligit ignes. Virg.

Et nova crescendo reparabat cornua Luna. Ovid.

Per amica silentia Lunæ. Toto quater orbe recrevit, Luna.

Dumque quater plenis explevit cornibus orbem, &c.

LUNA, omnium Planetarum infimus, est Planeta humidus & frigidus, proprio quidem; sed tamen majori ex parte Solis lumine lucens.

Luna minor est terrâ, sententia Copernici, quadragies ter minus octavâ parte. Sole verò minor septies millies minus sexagesimâ secundâ. Vide *Magiri lib.*2. *cap.*VI.

Ibidem de Planetis & Sole, &c.

De *Lunæ efficaciâ* lege lib. 3. Fatidicorum. p.214.

Luna à lucendo, quod noctu sola luceat. Dicitur

Luna

Luna solis discipula, quod obsequatur cursibus supernis. *Macrob. Luna dispensationibus septenariis luminis sui vices sempiternâ lege variando disponit.* Primis septem diebus dimidiata semiorbem ostendit. secundis totum orbem complet, fitque *plenilunium* (quod Græci πανσέληνον vocant. Tertiis rursus διχότομος efficitur. Quartis fit totius lunæ cum sole (quod interlunium vocant, & silentem lunam, & intermenstruam) coitio. Hinc Plenilunium, quod est quum luna quinta decima & rotunda est, solique è diametro opponitur. *Luna vigesima*, pro vigesimo die post novam lunam. *Quartâ Lunâ nati*, qui parum feliciter nati. propterea quod Hercules hac luna natus, qui omnium voluptatum expers. Et de illis, quibus semper omnia adversa.

LUDORUM. Vide *Spectaculorum. Theatri. Alea. Feriarum.*

Vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum, pudicitia aut modestia, aut quidquam probi moris reservatur. 14. *Annal.*

Istud ergo genus hominum, in civitate vetabitur semper, nec retinebitur. *I. Hist. Tac.*

De *Ludis* legatur *lib. 5. Rosini* de Antiquitatibus Romanis.

Majores quoque non abhorruêre spectaculorum oblectamentis. *Tac.* 14. *Annal.*

Quibus Romani plus adversus subjectos, quàm armis valuerunt. 4. *Histor.*

Nam populum per tot annos molliter habitum quis audeat ad duriora vertere. Hæc tamen cautè, ut lætitiæ magis, quàm lasciviæ dentur. 1. *Annal.*

Ideoque Histriones, de quorum immodestia olim Cæsar in senatu rettulit, urbe pellantur. 4. *Annal.*

Ne paulatim Patrii mores funditus evertantur per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi, & corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque

ſtudiis externis juventus, gymnaſia & otia & turpes amores, exercendo, Principe & ſenatu auctoribus. 14. *Annal.*

Noſtrates Belgæ aleatoris fortunam maris æſtui comparant ultro citroque irrequieto motu reciprocanti.

Quo quiſque magis quod ſe indignum eſt, committit: eò magis neglecti deſertique officii culpandus eſt.

Omittenda igitur inertiſſimorum hominum exercitamenta, qui quum non habeant honeſtas ex doctrinâ oblectationes: Circulos & ſemicirculos ſectari ſolere, *ait Cicero*, h. e. ea conventicula venari, quibus vel ridiculis fabulis, vel inhoneſtis luſibus tempus tranſigunt.

Plato, quum quendam aleâ ludentem increpâſſet, atque is indignaretur ob rem tantillam ſe reprehendi: *Atqui*, inquit, *ille non exigua res eſt conſuetudo.*

Sic ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa ac mutari neſcia.
Sic nonnulli, quum juſta chiragra
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos mercede diurnâ
Conductum paſcunt. Horat. Serm. 2.

Sciſcitati ſunt à me ſacrificuli quidam, quî fieret, ut ſaliente aleâ admodum oculati eſſent, nec opus haberent conſpicillis vitreis, quum in abſolvendo penſo diurno aut ſacris ſtatiſque precibus demurmurandis ita iis caligarent oculi, ut vix literas unciales legerent, &c. *L. Lemnius.*

De *Certaminibus Olympiacis* de Pythiis, Nemeis, Iſthmiis, cap. 105. 106. 107. *Rav. Text. Libro.* 4.

Ægyptii olim Civibus ſuis aleæ luſu interdixerant.

Damnoſus cecidit canis, hoc eſt, infeliciter cecidit alea.

Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudet.
Cadat alea Fati
Alterutrum menſura caput.

Alea emptio dicitur à Iuris consultis, cum incertus eventus & quasi spes emitur.

Πᾶς ἂν ἀνεῤῥίφθω κύβος.

Omnis jacta sit alea.

Extra omnem aleam esse dicimus, quod caret periculo.

Aleator quantò in arte est melior, tantò est nequior.

In Aleatorem.

Improba ne falsas deceperit alea dextras,
Fortuna Census alea nulla dabit.
Non semper Veneris jactus tua vota secundat;
Quando erit, ut tristi laserit ore Canis.
Alea Virtuti nulla est, casusque sinister:
Hac solido semper nititur una Deo.
Consiliis quondam solers Prudentia crevit;
Consilio tribuas tu quoque multa Sophum.

Ludo & joco illis quidem uti licere, *ait Cicero*, sed ut somno & quietibus cæteris, quum gravibus seriisque rebus sumus defuncti. Et ut genus jocandi non profusum, non immodestum sed ingenuum & facetum esse decet: Ita ipsa ludendi licentia non debet ab honestis actionibus esse aliena.

Indum celeberrimum sagittarium, qui diceretur per annulum sagittam transmittere, suæ artis specimen dare jussit *Alexander* M. & recusantem iratus interfici jussit. Is cum ad supplicium duceretur, lictoribus cœpit dicere multum temporis esse, quod arcum in manu non habuisset, & ne aberraret, pertimuisse. Quibus auditis Alexander eum dimisit.

Actia, ludi fuerunt quinquennales instituti apud Actium Epyri promontorium, Augusto post Antonium & Cleopatram, superatos, in honorem Apollinis Actiaci.

Consule Val. Max. lib. 2. cap. IV. de Spectaculis.

Et *Natalem Comitem*. lib. V. cap. I.

Pythia vocabantur ludi Apollinares, instituti in honorem

norem Apollinis post interfectum Pythona serpentem.

Olympia ludos in honorem Iovis constituit Hercules apud Elidem & Pisam Græciæ oppida, ubi Gymnicum certamen fiebat quinto quoque anno.

Marathonea ob taurum à Theseo interfectum, ubi phiala argentea dabatur præmium.

Ad certamina *Gymnica* non admittebantur fœminæ; unde Statius:

Exclusaque exspectant præmia Matres.

In ludis istis certabatur quinque generibus, disco, hasta, saltu, jaculatione, luctatione. Qui in omnibus vincebat vocabatur *Pentathlus.*

Dionysia fiebant in honorem Bacchi, ubi maxima bibendi licentia admittebatur. His intererant populus & Athletæ passim coronati.

Nemea fiebant in honorem Archemori Lycurgi Regis Thracum filii, quem ab Hypsiphile nutrice in herba relictum serpens interfecerat.

Ludi Circenses, qui fiebant in circo, ubi loca erant, & subsellia Equitibus Patribusque designata.

Venationes erant spectacula, à quibus positæ in Theatro feræ, ut tygres, Elephanti, & Leones gladiatoribus congrediebantur, usque ad mortem alterius partis.

Ludi sæculares in honorem Apollinis & Dianæ. Fiebant centesimo quoque anno, præcone per compita clamante: *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est.* Hos instituit Valerius Publicola propter Reges.

Taurii Ludi. Hi fiebant in honorem deorum inferorum. *Plebeii*, instituti exactis regib. pro libertate plebis.

Gladiatorii, ad exercendam armis juventutem.

Campus Martius, Planities quædam fuit in agro Romano, inter Tiberim & antiquam urbem sita; hodie urbis pars. Ita dictus, quod Tarquinio in exilium acto (cujus hic erat) Marti fuerit consecratus.

Amphidromia, dies erat familiæ festus, quo natum puerum

puerum circum forum ferebant; Propinquique & amici familiares dona dabant. Quas ferias Terentium in Palliatâ fabulâ intellexisse credit Turnebus.

Encania, feriæ sunt, quæ novo operi facto dicandoque consecrata sunt.

De Diversis præterea Ludorum generibus lege off. *Text. lib* 4. *cap*.49.

Ibid. cap.50. de spectaculis, & de Expensis in spectacula.

Ludi Megalenses, dicta Megalesia. Hic erat dies magnæ Matri Deorum sacer. Ludi quoque sic dicti. Livius: M. Iunius Brutus ædem magnæ Matri Deûm in palatio dedicavit. Et ludos ob eam dedicationem factos *Megalensia* appellavit.

De GLADIATORIBUS copiosè, dixit *I. Lipsius*. sed compendiosè de his tractat Roma illustrata *Lib*. 1. *&* 2.

De *Ludorum origine*, De Scenâ, umbrâ, vide *Ioh. VVouerum* in eruditissimo libello de umbra c.XXV.

LUXURIÆ. Vide *Coquendi*. *Ablig*. *Volupt*.

CAligula in conviviis persæpè pretiosissimas gemmas aceto liquefactas sorbiilavit, & ex auro panes hospitibus apposuit.

Sylla in apparandis conviviis adeo superfluus fuit, ut post finita fercula magnam reliquiarum vim in flumen transfundi jusserit.

Vita Macerata dicitur de iis, quibus omnia ex facili suppetunt.

Vinum caret clavo. in Ebriosos, quia omnia effutiunt.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus;
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla,
Interius fucata genas, & amissa dolosis
Illecebris.

 Nec

Nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hostis,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.

Multis serviet, qui corpori serviet. qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia. *Seneca.*

Inter pixides & redolentis animæ medicamina constitit mitrata concio. *Idem.*

Ad delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæduntur que gentium sylvæ. *Idem.*

Ex omni rupe conchylium, quo vestis cruentetur. Infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veste perspicua sit. *Idem.*

Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. *Quare nunc, cur subito moriamur? mortibus vivimus.* Idem.

Alunt in summis culminibus mentita nemora & navigabilium piscinarũ freta. arata quendam populis jura, singulorum nunc ergastulorum sunt. Latiusque nunc villici quàm reges imperant. *Idem.*

Capillos in fœminæ habitum composuit, oculos puellari lenocinio circumdedit, coloravit genas. *Idem.*

Specula totis paria corporibus auro argentoque cælaatsunt, deniq; gemmis adornata. Et pluris unum ex his fæminæ constitit, quàm antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum filiabus. *Seneca.*

An tu existimas, ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset æs grave, non fecisset illis Senatus dotem, si habuissent. *Idem.*

Quippe secundæ res sapientum animos fatigant. *Sallust.*

Ibi primum insuevit exercitus Rom. amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publicè rapere. delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecêre. *Idem.*

Divina humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. *Idem.*

Sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat. *Idem.*

Legatur hîc *Macrobius* de luxuriâ Hortensii, Fabii Gurgitis, Metelli Pontificis. De porco Trojano.

Ibidem de Saltandi cantandique studio vetustiorum Rom.

Ibidem de Legib. contra luxuriam *Cap.* XIII.

Quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per sapores ætatesque disponere, invenimus, quomodo stiparemus nivem, ut ea æstatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentiâ consecuti sumus? nempe, ut gratuitam mercemur aquam? *Seneca.*

At Dii boni! quam facilè est exstinguere sitim sanam. Sed, quid sentire possunt emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus? *Idem.*

Sed ardentes boletos, & raptim condimento suo mersatos demittunt penè fumantes, quos deinde restinguant nivatis potionibus. *Idem.*

Sempronia literis Græcis & Latinis docta; psallere, saltare elegantius, quàm necesse est probæ. multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt, sed ei cariora semper omnia, quàm decus atque pudicitia fuit. *Salluſt.*

Lubidine sic accensa, ut sæpius peteret viros, quàm peteretur. Luxuriâ atque inopiâ præceps abierat. *de eâdem, Ibidem.*

Blandum malum luxuria: quam accusare aliquantò facilius est, quàm vitare. *Val. Max.*

Apud *Eundem* vide Exempla singularia *lib.* IX. *cap.* I.

Nunquam animo pretiis obstantibus: interius si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Iuvenal. Sat. XI.

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens;
Hunc illa magna dira fortuna comes
Subit libido. non placent sueta dapes.
Non tecta sani moris, aut vilis cibus.

Cu-

Cur in penates rarius tenues subit
Hæc dilicatas eligens pestis domos?
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus
Mediumque sanos vulgus affectus tenet?
Et se coërcent modica? contra divites,
Regnoque fulti, plura, quam fas est, petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest. Sen. in Hippolito.

Caro leporina Virginibus commendabatur per jocum. quod formam, cujus valde studiosæ, in septem dies elegantiorem conciliaret. Lamprid. in Alex. Severo: *Multi septem diebus pulchros dicunt esse eos, qui leporem comederint.* Et Martial.

Quum leporem mittis, semper mihi Gallia mandas,
Septem formosus, Marce, diebus, eris.

Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? Homo sc. qui sua abligurivit. Iuvenal. Sat. XI.

Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile, sic veniunt ad miscellanea ludii. Ibidem.
Cedere namque foro jam non tibi deterius, quàm
Esquilias à ferventi migrare suburrâ.
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno. Iuvenal. Sat. XI.

Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Unguenta atque rosa, latos nisi sustinet orbeis
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus. Ibidem.

Luxui deditos insectatur, *Horat. Serm. lib.* 2. *Sat.* 1.

M.

MACIEI. *Contabescendi.* Vide *Miseriæ. Ægritudinis. Morborum.*

Ossa atque pellis totus est: ita is pellucet, quasi laterna Punica. *Plaut.*

Ossa atque pellis sum miser à macritudine. *Idem.*

Quæ

Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem. *Idem.*
Quæ miseriæ te tam miserè macerant. Miseria & cura me contabefecit.
Guttatim contabescis, quasi in aquam indideris salem. *Plaut.*
Deficiens vix trahit ossa cutis.
Horrida vultum deformat facies.
Macies obduxerat artus.
Terribilis Stygio facies pallore gravatur.
Vix habeo tenuem qua tegat ossa cutem.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Per medium annulum traharis oportet.
Aut nigri manus ossea Mauri.
Et cui per mediam nolis occurrere noctem
Clivosi veheris dum per monumenta Latina. Iuvenal. Sal. V.

MACULÆ. *Polluendi.*

VIden' illi corpus maculari maculis luridis? *Plaut.*
Stupro polluit sanctissimas religiones. Labes huic dignitati adspersa videtur.
Nomini suo æternas turpitudinis maculas inurere.
Æterna tibi inusta est infamiæ nota. Aspersisti te maculis infamiæ sempiternis.
Ignominiæ labem subiisti. Nomen tuum ignominiæ maculis obscurâsti.
Vehementer studes meam famam detrimento afficere. Cupis æternæ me infamiæ tradere.

MAGISTRATUS. Vide *Imperii. Princip. Legum. Iustit. &c.*

MAgistratu se abdicare. Mihi magistratum P. Rom. mandavit.
Brutus Collegæ suo imperium abrogavit.
Magistratum inire. Sedebamus in puppi clavumque tenebamus.
Renunciare, designare, creare, eligere consulem.
Adoptare aliquem in Senatum.
Te Consulem novus annus excepit. Capessere Remp. Per multos annos cum imperio fuit.

Tanquam

Tanquam aliquo Fatô Magiſtratum gerunt. Catones & Attilios vomis & ſtiva ad Conſulares miſit ſecures.

Migrare in Tribus Romuleas. Delicato faſtidio renuere Magiſtratum.

Recipi in ſocietatem Senatus. Annalem trabeam meruit.

De *Ordinibus in Populo Romano* lege Romam illuſtratam I. LipsI. Ibidem de Senatoribus, Equitibus & Plebe.

De Tribunis.

TRibunus ſoli magiſtratum purpurati non ſunt. *Tribunorum* janua die noctéque patet. *Tribunus* non licebat unum diem ab urbe abeſſe. *Tribuni* non intrant ſenatum, ſed poſitis ſubſelliis ante valvas curiæ decreta patrum attentiſſima curâ examinant.

Conſulem à Trib. duci in carcerem poſſe conſtat, apud. Liv.

Tempus comitiorum declarare in poteſtate Tribuni eſt.

Senatus conſulta non prius valida ſunt, quàm interveniente *Tribuni* conſenſu, quæ ſubſcriptâ T. literâ à Tribuno viſa & approbata oſtenduntur. *Vide Text. offic. lib. 3. cap. 9.*

Ibidem de CENSORUM jure & poteſtate. Et ſuffragiorum notis.

Zeno dixit, decorandas eſſe urbes non pretioſis ornamentis; ſed inhabitantium virtutibus.

Cellam Curulem nactus eſt & Latum Clavum.

Sedes in publica hac navi, non inter remiges aut navales ſocios; ſed ad ipſum clavum. *Lipſ.*

Utinam & nunc aliquot ingenia ad clavum? facile ſedarent hi fluctus, niſi ſit, mergimur, amici mergimur. *Idem.*

Sine Magiſtratu non magis in portum ventura eſt civitas, quàm gubernatore deſtitutum navigium. *Ibidem.*

Pythagoricum fuit ænigma de abstinentia fabarum, abstinendum esse à Rep. ut abstine à fabis, ne tractes publica. Fabis e. priscorum suffragia dabantur.

Antisthenes rogatus, quomodò ad Remp. esset accedendum? *Resp.* ut ad ignem, neque nimis propè, ne uraris: neque longius, ne frigeas.

Socrates dicere solebat absurdum esse, cum artes manuarias nemo exerceat, qui eas non didicerit, ad publicos magistratus admitti eos, qui rerum omninò rudes.

Caninium Revillum mirifica vigilantià fuisse dixit Cicero, eo quod toto suo consulatu somnum non vidit, nemo pransus est, nihil eo consule mali factum est. Nimirum uno die consulatum iniit & coactus fuit deponere.

A remò ad tribunal. De iis qui ab infimis ad summa. Contrarium est, *A bove ad asinum.*

Tribunis Plebis intrare curiam non licebat. ante valvas, positis subselliis, decreta patrum attentissimâ curâ examinabant. ut, si quam ex eis improbâssent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus T. litera subscribi solebat. *Val. Max. lib. 2. cap. 2.*

Quod significabat ita quoque Tribunos censuisse.

Democratia incommoda vide in Philosophia Historicâ *Goulartii* titulo *Democratia. Magistratum gerens audi juste & injustè.*

Hoc verè fascibus & securibus convenit. nam vafrum est benè facere & malè audire. Solonis præceptum hoc est, qui judicem non abripi patitur aliquâ injuriâ. Eundum contra est generoso Spiritu.

Vulgus sine rectore, præceps, pavidum, socors, ac cujusque motus novi cupidum. I. *Hist. Tac.*

Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent licitum petere magistratus. ac ne ætas quidem distinguebatur. II. *Annal.*

Princeps quod uni concesserit, certis extrinsecus adjumentis

adjumentis vetet, & repulsam propinquâ spe soletur 2. *Annal.*

Superbiunt homines etiam annuâ designatione. quid si honorem per multos annos agitent? 2. *Annal.*

Id morum Tiberii fuit, continuare imperia, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. 4. *Annal.*

Proinde unus eligatur cæteris superior. atque illi temperent vim suam, periti obsequi, eruditique utilia honestis miscere. *Tac. Agric.*

Olim non modò prætor aut consul, sed privati etjam mittebantur, qui provincias viserent, & quid de cujusque obsequio videretur, referrent. 15. *Annal.*

De insignibus Magistratus, ejusque Inauguratione lege *Schonborn. cap.* 20. *lib.* 2.

Qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorũ facta cuncti mortales novere. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt. *Sallust.*

Ita in maximâ Fortunâ minima licentia est. *Idem.*

Quæ apud alios iracundia dicitur, ea imperio superbia atque crudelitas appellatur. *Idem.*

Vbi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis, & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur. *Idem.*

Scio Ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt, gerere. primò industrios, supplices, modicos esse. Deinde per ignaviam & superbiam ætatem agere. *Sallust.*

Apud majores quidem virtutis id præmium fuit, ut cunctis civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus & Officia. 11. *Annal.*

Ac ne ætas quidem distinguebatur, quin primâ juventâ, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit, consulatum ac dictaturas inirent. 11. *Annal.*

De Magiſtratib. Romanis legatur *Roſinus de Antiquit.*

MAGISTRI. Vide *Pracept. Artium. Doctrina, &c.*

QUi aureum illum ramum, ut ajunt, aucupantur. Inter quos Grammatici primas tenent. Genus hominum profectò, quo nihil calamitoſius, nihil afflictius, nihil æquè diis inviſum foret, niſi ego miſerrimæ profeſſionis incommoda dulci quodam inſaniæ genere mitigarem.

Neque enim πέντε κατάραις, h. e. quinque diris tantum obnoxii, verum ſexcentis. ut qui ſemper famelici ſordidique in ludis illis ſuis, &c.

In ludis dixi. imò, φροντιστηρίοις, vel piſtrinis potius ac carnificinis inter puerorum greges conſeneſcant laboribus, obſurdeſcant clamoribus, fœtore pædoreque contabeſcant, &c.

Adeo ſibi placent, dum pavidam turbam minaci vultu voceque territant, dum ferulis, virgis, loriſque conſcindunt miſeros. Interim ſordes illæ meræ mundiciæ videntur, pædor amaracinum olet. miſerrima illa ſervitus regnum eſſe putatur.

Adeò, ut tyrannidem ſuam nolint, cum Phalaridis aut Dionyſio imperio commutare. Tamen, Dii boni! quem non Palæmonem, quem non Donatum præ ſe contemnunt. Idque, neſcio, quibus præſtigiis mirè efficiunt, ut ſtultis materculis, aut idiotis patribus tales videantur, quales ipſi ſe faciunt.

Adde & hoc voluptatis genus, quoties iſtorum aliquis Anchiſæ matrem, aut voculam vulgo incognitam in putri quapiam chartâ invenerit, puta, bubſequam, bovinatorem aut manticulatorem, aut ſi quis vetuſti ſaxi fragmentum mutilis notarum literis alicubi effoderit, ô Iupiter, quæ tum exultatio, qui triumphi! perinde quaſi vel Africã devicerint, vel Babylonas ceperint.

Hæc Eraſmi Moria loquitur.

Pœnituit multos vana ſteriliſque Cathedra.
Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.
Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo

Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni. sc. hebeti ac tardo ingenio.
Iuvenal. Sat. 7.
Et hunc inopem vidistis Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
Dii majorum umbris tenuem, & sine pondere terram
Spirantesque crocos, & in urnâ perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluêre parentis
Esse loco, &c. Iuvenal. Ibid.

MAIESTATIS. Vide *Principis. Regni.*

MAjestatem appello venerationem aliorum animis insitam, cui à *magnitudo* est origo. & ipsum Majestatis nomen à magno.

Donec honos placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis imposuêre toris;
Hinc sata Majestas.

Proles igitur Honoris est & reverentiæ. Origo ei principua ab internâ magnitudine, id est, virtute. Etsi externa species, gestus cultusque aliquid addunt.

Veteres Principes Diademate & purpurâ ferè contenti. hodierno ævo, illis abolitis, sceptrum & corona successerunt. Sunt & insignia quædam novitiæ inventionis, ut aurei velleris, conchæ S. Iacobi & talia, &c.

Talem *Periclem* Plutarchus describit, vultu serio, nec ad risum facili, incessu moderato, voce & sermone sedato.

Livius in Philippo ultimo Macedone hoc notat: *& erat dicacior naturâ, quàm regem decebat, & ne inter seria quidem risu temperans.*

Iam species & corpus si adest, valde juvant, quod ibidem probatur ex Livio, de Africano.

Parit conversatio contemptum, varietas conciliat ipsa rebus admirationem.

Non

Non tamen *Persæ* laudandi, apud quos persona Regis, sub specie majestatis occulitur.

Non item, qui eos imitati, intra secretum Palatinæ domus inclusi, tanquam aliquod Vestale secretum consuluntur.

Nunquam domi aliquid, nisi nutu aut manu significavit. vel si plura significanda essent, scripto usus, ne vocem sociaret. *Tacitus de Claudii Liberto.*

De Majestate ex Tacito.

Sit Princeps visu & auditu juxta venerabilis, magnitudinem ac gravitatem summæ fortunæ retinens. 2. *Annal.*

Rarus illi in publicum egressus, nec prompti aditus nec obvia comitas. 13. *Annal. & . Annal.*

Nam majestati major ex longinquo reverentia; atque omne ignotum pro magnifico est. *Agric. Tac.*

Quanquam inter adversa, salvâ virtutis famâ, non vultu demisso, aut supplex, sed ex memoriâ prioris fortunæ agat. 2. *Annal.*

Majestas quippe Principem defendit. 1. *Annal.*

Divus Augustus vultu & adspectu Actiacas legiones exterruit. 1. *Annal.*

Divus Iulius seditionem exercitus uno verbo compescuit. 1. *Annal.*

Dissimilis sit *Othoni*, qui contra decus imperii, thoro insistens, precibus & lacrymis militarem licentiam cohibebat. 1. *Hist.*

Dissimilis *Vitellio*, qui vultu, voce, lacrymis non deërat misericordiam populi elicere, largus promissis, & quæ natura trepidantium est, immodicus. 3. *Hist.*

De *Majestate* Vide *Val. Max lib.2. cap.X.*

Majestas dea quoque credita, Honoris & Reverentiæ filia de quâ Ovid.

Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimo imposuêre toris.

Hinc

Hinc sacra Majestas, qua mundum temperat omnem
Quaque die partu est edita, magna fuit.

MAGNANIMITATIS. *Fortitudinis. Roboris.* Vide *Constantiæ. Ambitionis.*

HI gladiatorio animo ad me affectant vias. Nunquam ingemiscit vir fortis, nisi forte ut se intendat ad firmitatem.

Dux atque imperator vitæ mortalium animus est. Vir fortis animo non debet cadere.

Animum altum & erectum præ se ferre. Novi animi tui firmitatem, constantiam, robur, vim, fortitudinem, præstantiam.

Animi vigore qui præstant. In quibus est animi excelsitas, altitudo.

Fortes & magnanimi sunt habendi, non qui faciunt sed propulsant injuriam.

Arma consilio temperanda sunt. Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi.

Non ita aliena appetas, ut de tuis dimices. Cautis quam acrioribus consiliis fortuna tutius habetur.

Magnanimitas est virtus tendens ad maxima, secundum rectam rationem. Est elatio animi. μεγαλοψυχία.

Alexander etiamnum puer agilis cum foret ac velox, atque à Patre ad currendum ludis Olympiæ stadium excitaretur: sanè, inquit, si Reges habiturus sim adversarios.

Agesilaus dicebat, nil fortitudine egemus, si omnes justi simus.

Milo Crotoniates à nemine loco movebatur. Malum tenenti nemo digitis poterat extorquere. In Olympia bovem per stadium retento spiritu portavit, quem ictu pugni interfecit.

Poëtæ scribunt *Cacum* Vulcani. F. ignes & flammas ore vomentem, qui boves caudâ raptos inversis vestigiis, ut furtum suum tegeret, in speluncam traxit.

Ma-

Magnitudo animi est, alta & honesta proponere. *Lips.*

Ut sol in aurorâ tenuior, assurgit & inclarescit: sic ex virtute & meritis fama cum ævo ipso augetur & crescit. *Idem.*

Hoc velim equidem amare principem, ut trahat illum *fax mentis honesta Gloria.*

Argentum quidem & pecunia est communis omnium hominum possessio; & honestum, & ex eo laus & gloria, Deorum est, aut eorum, qui à Diis proximi censentur. *Polybius.*

Augustus ingenia sæculi sui omnibus modis fovit, componi tamen aliquid de se, nisi & seriò, & à præstantissimis, offendebatur. *Sueton.*

Themistocles, post Miltiadæ de Persis victoriam, honestâ æmulatione percussus, depositis nugis seria agitare cœpit, & totas noctes insomnis esse. Rogatus causam, reddidit: Miltiadæ se trophæis è somno excitari. *Vide Doctr. Dilig. Ambit.*

Alexander disserente Anaxarcho plures esse mundos, suspiravit, *& me miserum, qui nec unum subjeci.*

Alexander, qui cum patrem crescere & inclarescere audiret, se minui putabat. *Hem*, inquit, *quid tandem Pater nobis vincendum relicturus est?*

Q. Fabius Maximus, quinquies Cos. Vir etiam pridem summæ authoritatis & tunc ultimæ senectutis à filio Cos. invitatus, ut inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitium turbâ eliderctur, id facere noluit, &c. De *Fabio* altero vide *Val. Max.* cap. 2. lib. 2.

Non ego, inquit, *Fili, summum imperium tum contempsi, sed experiri volui, an scires consulem agere: nec ignoro quid, patriæ venerationi debeatur: verum publica instituta privatâ pietate potiora judico.*

Quæ cuique magnifica contigerunt, apud *Val. Maximum lege cap.* XV. *lib.* VIII.

Turnus

Turnus saxum antiquum, ingens in Æneam contorsit.

Sampson mille Philistæos asini maxillâ interfecit.

Huc refer *Herculem*, *Seleucum*, *Tydeum*, *Aristomenem*, *Peleum*, *Theseum*, *&c.*

Agamemnon, suffragio Græcorum Imp. electus ad expeditionem Trojanam. Ex Græco ἄγαν μέων, valdè manens, quia à rebus semel inceptis non facile desistit.

De prodigioso hominis robore vide *Fatidica Parentis mei*, lib. 2. pag. 289.

MANUUM. Vide *Liberandi Manumiss. Vindicta.*

DE manuum religiosa innexione Lege *Theat. Ingenii* cap. 4. lib. I. ad Tit. *Dextra.*

Primus apud Rom. *Numa* fidem in ipsa dextra sacratam esse voluit: sacrumque Fidei instituit.

Dextram fidemque porrigere. Hinc *Germani ad præstandam fidem datis ultrò* citroque dextris sanctissimè se devinciunt.

Parthi apud altaria complexi dextras, tanquam Diis testibus & arbitris, postquam sacra libâssent, pacta pollicebantur.

Coëant in fœdera dextræ.

Dextram committere dextræ.

Pythagoræ est admonitio: Non unicuique porrigendam dextram, hoc est, non quilibet in societatem adhibendus.

Iungimus hospitio dextras ac tecta subimus. Virg.

Manumissio datio libertatis est: quamdiu aliquis in servitute est, manui & potestati suppositus est.

Hæc olim manumissio magna solennitate peragebatur. Dominus servi, quem de manu mittere volebat, caput aut aliud membrum tenens dicere: *hunc ego hominem liberum esse volo.* Postea servum alapâ percussum circumagebat. Hinc Claud.

Famu-

Famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recedit,
In civem rubuère gena, tergoque removit
Verbera, promissi felix injuria voti.

Accipiebant etiam pileum manumissi raso capite, & albam vestem.

Ut ego hîc hodie raso capite calvus capiam pileum. *Plut. in Amph.*

Cum servi manumittebantur, raso capite pileum accipiebant Idq; in templo *Feronia* Deæ, quæ libertatorum Dea. In hoc templo sedile lapideum erat, in quo inscriptum: *Bene meriti servi sedeant, surgant liberi.*

MATRIMONII. Vide *Conjugii. Conjugis. Uxoris. Amoris.*

Matrimonium sæpè bona materna significat & opponitur patrimonio. Propriè accipitur pro viri & fœminæ conjunctione. Aliqui derivant matrimonium ab onere matris in partu; alii propter majorem partus certitudinem.

Matrimonium dicitur etiam connubium, quod fœmina & vir simul nubant. Nubere propriè mulierum est: uxorem ducere virorum.

Vir etiam dicitur nubere uxori, quando servit uxori.

ICti Matrimonium nuptias vocant, quia caput mulieris nubentis obnubebatur velamine quodam.

Hesiodus viro annum trigesimum, fæminæ decimum quintum aptum connubio.

Ægyptii & Lacedamonii ante vigesimum quintum noluerunt iniri matrimonium.

Solon trigesimum sextum annum matrimonio aptum censuit.

Germani hoc nomine laudantur, quod sera apud ipsos Venus extiterit.

Plato vult, ut uxorem quisque à trigesimo an-

no ad trigesimum quintum ducat. Si non duxerit, damnatus sit.

Vxorem quare locupletom ducere nolim,
Quaritis? uxori nubere nolo mea.
Inferior Matrona suo sit, Trisce, marito.
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Oportet Virum *puellam* ducere in uxorem ut doceat eam bonos mores. *Arist. in Oecon.*

Mulieres conjugari convenit circa ætatem annorum octodecim: Viros circa ætatem triginta sex annorum. *Idem.*

Cum quidam lætanter diceret Diogeni, se de novo duxisse uxorem, ait illi: Parvum solatium, & magnam sollicitudinem es lucratus.

Et quia brevibus momentis summa verti possint. *Tac. 5. Annal.*

Omnes Orientem spectant, Occidentem deserunt. 4. *Annal.*

Tiberius ideò se tutiorem rebatur, Druso f. in Illyricum misso, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet. 2. *Annal.*

Ex quo dicimus, suspectum semper, invisumque dominantibus qui proximus destinatur. 1. *Hist.*

Vt fermè acerrima proximorum odia, & quæ inter concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos sunt. 1. *Annal.*

Matrimonii ineundi sortitio. de his vide lib. 2. Fatid. pag. 519.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvencæ;
Tam premitur magno conjuge nupta minor:
Non honor est, sed onus species læsura ferentes:
Si qua voles aptè nubere, nube pari. Ovid.

Pontifices non ex annis, sed ex habitudine corporis pubertatem æstimârunt: Cum exempla testentur ante illos ICtorum annos partus esse editos. Scribit Hieronymus puerum decem annorum nutricem suam gravidam dedisse. *Lege Papiâ & Iuliâ* prohibetur sexagenarius minorem 50. uxorem accipere, & contra, quia mulier post annum 50. non parit.

Evm

Ευνὴ γὰρ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ μοιρίμη.

Fatalis est viro atque fœminæ torus.

Matrimonia à Senibus contracta, vide in *Fatidicis Parentis* mei cap. 18. lib. 2.

Uxores illæ, quæ in Mariti mancipio non erant, *in Matrimonium convenisse* dicebantur. Quæ verò in potestate & familiâ mariti erant, matresque familias & habebantur & vocabantur, *eæ in manum convenisse* dicebantur.

Natis ex nefariis nuptiis & incestis jure Civili alimenta non debentur. *Novell.* 74. *&* 89. Licet in contraria sit sententia *Connanus*, *lib.* 8. *comment.* Tamen ejus sententia probanda non est propter dictam *Novell.* 89. Iure tamen Canonico Filii ex quocunque coitu, etiam incestuoso nati, à parentibus alendi sunt.

Repudium inter uxorem & virum, à conditâ Urbe usque ad vicesimum & quingentesimum annum nullum intercessit. *Val. Max.*

Proximus à Libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. *Ibid.*

De Successore, Matrimoniis, Liberisque Principis.

Hodie nec nova in sororum filias sunt conjugia. 12. *Annal.*

Ne claritudinem generis aliam in domum ferant. *Ibid.*

Quod tamen lege prohibitum. *Ibid.*

Nam audivi à parentibus, & vidi ego arripi conjuges ad libita Principum. *Ibid.*

Id vero procul à præsenti modestiâ statuatur imò documentum, quo uxorem accipiat. *Ibid.*

Deinde, ut sint subsidia dominationi, agat exemplo Augusti, qui sororis filium Marcellum, deinde generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit. 1. *Histor.*

Nam aliquantum aliorum spes cohibentur, si successor non in incerto sit. 3. *Annal.*

Non immeritò Princeps ad omnes suspiciones sit

pavidus, & adeo potentiæ anxius, ut displiceant, & altius illius animum penetrent civilia quoque filiorum ingenia, ne habere imperium, quam exspectare malint. 1. & 2. *Annal.* h. e. ne intempestive dominari velint.

Caveant proinde Principes, ne mobiles illorum animi præmaturis honoribus ad superbiam extollantur. 4. *Annal.*

Quid mirum? primæ dominandi spes in arduo sunt, ubi sis ingressus, adsunt studia & ministri. 4. *Annal.*

Matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuerit, ut Princeps domesticâ curâ vacuus in commune consulat. *Agr. Tac.* & 12. *Annal.*

Nec aliud honestæ mentis levamen, quàm assumere uxorem, prosperis dubiisque sociam. 12. *Annal.*

Eligi debet fæmina nobilitate, puerperiis ac sanctimoniâ conspicua. 12. *Annal.*

Valida Divo Augusto in Remp. fortuna; domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis. 3. *Annal.*

Sed viri in eo culpa est, si fœmina modum excedat. 3. *Annal.*

Quod si sexus natura invalidus deseratur, & exponatur suo luxu, cupidinibus alienis, facilè peccabit. 3. *Annal.*

Nam, quod subsidium in eo, qui à fæminâ regitur. 13. *Annal.*

Olim fæminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant. quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno & Minerva in sellas ad cænam invitantur. *Val. Max. lib.* 2. *cap.* 1,

Sic, & quæ uno contentæ matrimonio fuerant coronâ pudicitiæ donabantur. Multorum matrimoniorum experientiam quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes. *Ibidem.*

MEDICINÆ. Vide *Morborum. Ægrotandi. Veneri.*

AIt se crus fractum obligare Æsculapio. Quod remedium nunc huic malo inveniam?

Ægro adhibere Medicinam. Intempestive vulnus contrectare.

Vulnus recrudescit. Medicina alicui occurrere. Medica ope & abstinentia ciborum ad sanitatem juvari.

Purgatorio purgamento alvum vacuare. Sanguinis emissione venas juvare.

Benè doctus est Medicâ scientiâ. Eruditus est medendi arte. Medicinæ scientiam planè complexus est.

Quovis malo laborantibus dies medicinam adfert. Vis doloris cum tempore languescit.

Nihil æquè sanitatem impedit, quam crebra remediorum mutatio. *Seneca.*

Gravissima infamia est medici, opus quærere. multi quos auxerant morbos & irritaverant, ut majore gloriâ sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magnâ miserorum vexatione vicerunt. *Seneca.*

Semper ad sanitatem proclivius est, quod potest detrectatione curari. *Idem.*

Nihil palpat ille medicus, nihil blanditur; sed penetrat, pungit, radit, & acri quodam sermonum sale sordes absterget animorum. *Lips.*

Citius curantur, quæ detractione sanari debent.

Dic mihi, cur medicus aliquis plus absynthii aut ellebori miscet, quàm illi? nempe, quia morbus ejus postulat. *Idem.*

De Medicorum dicendi formulis ac instrumentis vide *Hadr. Iunium* & Progymnasmata *Pontani lib. 3. partis poster.*

Mithridates non poterat, haustô veneno, vitæ sibi usuram præripere, quod propter crebrum antidoti usum corpus adversus omnem pharmaci vim occalluisset.

Non colligebat hausto lagiter vino ebrietatem *Hornus Assyriorum Rex*, & *Tiberii Medicus Musa*, quod ille hirundinis rostri cineribus cum myrrhâ tritis; iste sex amari saporis prægustatis amygdalis, ab halituum suffumigatione temulentiaque caput securum præstitisset.

MARIS. Vide *Aquarum. Flum. Tempest. Navigationis.*

Cum subitò vastum tumuit ex alto mare,
Crevitque in astra; nullus inspirat salo
Ventus; quieti nulla pars cæli strepit.
Placidumque pelagus propria tempestas agit,
Non tantus Auster Sicula disturbat freta,
Non tam furenti Pontus exurgit sinu
Regnante Coro, saxa cum fluctu tremunt.
Et cana summum spuma Leucatem ferit. Seneca in Hippolyto Actu.4.

Nihil tam capax fortuitorum, quàm mare. 14. *Annal.*

Pelagus, quasi diceres τῆλε τῆς γῆς, h. e. procul à terrâ.

Non Olenia sidera capra.
Non qua sequitur flectitqua senex
Arctica tardus plaustra Bootes:
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis, nunc lina sinu
Tendere toto. nunc prolato
Pede transversos captare notos!
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo. &c. Sen. Med.

MEMORIÆ. *Olivionis.*

MEmoriter aliquid memorare. Memoriter meminisse. Me fugit memoria.

Rediit

Rediit res illa mecum in memoriam. Memoriâ aliquid sepire.

Res ista in memoria penitus insedit. Memoriam sui nominis posteritati consecrare.

Incurro in memoriam communium miseriarum. Redire ad memoriam. Ad memoriam aliquid scribere. Omnia bella, quæ memoriâ nostra fuerunt.

Ex annalium vetustate memoriam alicujus eruere. Valere memoria. Divino memoriæ beneficio esse præditum.

Memoriâ es optima, insigni, egregia, præstanti, singulari, incredibili, tenacissima, non vulgari.

Memoria minimè vacillas. Oblivione aliquid delere, tegere, sepelire, condere, obliterare.

Tu qui mihi hæres in medullis, in visceribus. Perpetua oblivione aliquid obruere.

Interlabi amicitiæ memoriam per silentium putas? Tibi scribendi oblivionem peperit res secunda.

Memoria tunc illam rem mihi subduxit. Etiam hoc memoriæ se sistit.

Vix cogitatio me ultra habet. Refricata mihi est hujus rei recordatio.

Animæ mortuorum, ut Poëtæ canunt,
Lethæi ad fluminis undam
Securos latices & longa oblivia potant.

Imperator Caracalla in juventute sua pro Philosopho habitus, sic rerum & doctrinæ factus ignarus, ut nunquam quicquam didicisse videretur.

Orbilius Gramm. tempore Ciceronis omnis scientiæ atque artium est oblitus.

Bamba Rex Gothorum ex venenosa potiuncula memoriam perdidit.

Meletides ultra quinque numerare non potuit.

Thraces tam obtuso ingenio, & adeò infæcundâ memoria, ut quaternarium numerando nequeant transcendere.

Seneca scribit *Calvisium* Sabinum tam fragili extitisse

tisse memoria, ut illi modò Vlyssis, modò Priami nomen exciderit.

Poculum Nepenthes fuit illud, quod Helena illa Homerica Telemacho ministravit, quod oblivionem tristitiæ, veniamque afferebat, quod utique foret omnibus mortalibus ab Helena propinandum.

L. Annaus Seneca divinam sibi memoriæ ubertatem usq; ad miraculum contigisse testatur. Ait enim se duo millia nominum recitata eodem ordine recitasse: & ducentorum atque amplius discipulorum totidem versiculos, cum singuli singulos dixissent, ordine retrogrado recitasse.

Claudius Cæsar non tantum 40. Historiæ libros Titi Livii impulsu scripsit, verum etiam Homerum memoriter edidicit. Cujus versus ubique & omni tempore poterat recitare.

Porcius Latro ita dicebat, ut in nullo unquam verbo eum memoria deceperit. Iubebat aliquem ex historiis sibi nominari ducem, & statim ejus acta cursu reddebat. *Seneca.*

Cyneas missus à Pyrrho legatus ad Romanos, postero die novus homo & Senatum & omnem urbanam circumfusam Senatui plebem nominibus suis persalutavit. *Idem.*

Hortensius in auctione persedit totum diem, & omnes res & pretia, & emptores ordine suo argentariis recognoscentibus, ita ut à nullo falleretur, recensuit. *Idem.*

Iulius Cæsar, teste Cicerone, nihil præter injurias solebat oblivisci. Legere simul & scribere & audire & dictare solitus traditur. Epistolas de rebus maximis quaternas dictabat aliis, ipse manu propria quintã scribens, ac si calamũ eximeres, septenas pariter dictabat.

Mythridates Ponti R. qui per Pompejum bello superatus, viginti duabus gentibus quibus imperabat, sua cuique lingua jus dixit.

Cyrus Persarum Rex militum triginta millia habebat, & singulos proprio nomine compellare poterat.

Charmidas quidam in Græcia quoscunq; libros in Bibliotheca

bliotheca aliqua legisset memoriter recitare poterat.

Themistocles Atheniensium Imp. cui libertatem tota Gręcia debet, civium suorum nomina memoriter tenebat. Is in exilium pulsus, cum Regem Persarum accedere vellet, ne peregrina lingua Regis aures offenderet, Persicam linguam brevissimo spatio didicit.

Eusebius tradit, quod Esdra Hebræus omnes Mosis libros memoriter recitaverit, quos Chaldæorum Reges exusserant, ita ne amplius extarent; & ex ejus recitatione descriptos, hunc usum, qui postea habitus est, præstitisse. Magis quid humana memoria in illo fuit, & divini Numinis ductu, non tam Prophetia futurorum, quàm præteritorum ἀνάμνησις.

Ingenii acumen in inveniendo, discendo, judicando, cum memoriæ bonitate rarò conjungitur, cum enim à diversa & ferè contraria temperie cerebri perveniant (ut Medici asserunt) mirum esse non debet, effectus quoque contrarios esse.

Inprimis fragilis est memoria, & rerum turbæ non sufficit. Necesse est, quantum recipit, emittat, & antiquissima recentissimis obruat. *Seneca.*

Exempla plura divinæ memoriæ vide in offic. Text. aliisque multis. Inprimis *Cl. D. Heinsium* de Scaligero.

Immortaliū humanorum operū custos memoria. *Sen.*

Solebat bonæ fidei esse memoria. Nam quæcunque apud illam aut puer; aut juvenis deposui, quasi recentia & modo audita sine cunctatione profert. *Idem.*

MENSURÆ. Vide *Numerandi.*

DE Mensuris vide *Off. Text.* lib. 3. c. 24. & *Had. Iun.* De Re Mensuraria. Quid sit *Cotyla. Artaba. Acetabulum. Batus. Chœnix. Cyamus. Ceramium. Gruma. Mina. Orygia. Palmus. Parasanga. Plethrum. Medimnus.*

Trutina Momentana. Campana. *Sacoma*, quod appensum equalitatem conciliat ponderis. Aurum ad Sacoma appendere. *Mantissa*, additamentum. *Libra* duodecim unciis continet. *Deunx. Dextans. Dodrans. Bes. Septunx. Selibra, Quincunx. Sescunx. Sescuncia. Scripulum. Drachma*, &c. Sequitur in *Had. Iun.* de mensuris Liquidorū, & Aridorū. In quâ materie doctissimi sæpè hallucinātur.

MERETRICUM. *Libidinis.* Vide *Conjugii, Amoris. Adulterii.*

EGo divortor apud anum illam Diobolarem. Prostituere corpus libidinibus.

Pudicitiam habere venalem. Cuivis prostat mercabilis ære.

Scortum diobolare. Aphrodisia hodiè sunt, *hoc est, Veneris dies festi.*

Meretricum mores vide apud Plautum in Trucul. actu 2.

Et ad circum jussas prostare puellas.

Ite, quibus grata est pictâ lupa barbara mitra.

Iuvenal. Sat.3. *Syra meretrix*, quæ caput redimita mitra.

Præterea, sanctum nihil est, & ab inguine tutum, Idem Sat.2.

An ibi vis inter istas versarier Prosedas, *hoc est*, prostitutas, Pistorum amicas; reliquias alicarias miseras? *Plaut.*

Cæno delibutas, Servicolas sordidas: Quæ tibi oleant stabulum sellamque, & sessibulum merum. *Idem.*

Meretrix vocata es. in communi loco stetisti. Superpositus est cellæ tuæ titulus. venientes recepisti. *Seneca.*

Majestas populi R. per omnes nationes, per omnes diffusa provincias, in sinu meretricio jacet. *Idem.*

Cum tibi vestiti facies scorti placet, hære,

Et dubitas altâ Chionen deducere Sellâ.

Iuvenal. Sat.3. Hinc Sellariæ dictæ. olent stabulum, sellam, & sessibulum merum. *Plaut.*

Alica est tritici genus, inde *Alicariæ*, meretrices in Campania appellatæ, quod solitæ essent circa pistrina alicariorum versari.

Lustra & *Lupanaria* per contrarium dicimus, quod minimè illustrent.

Turpe jacens mulier multo madefecta Lyæo,
Digna est concubitus quoslibet illa pati.

Non matronarum est officium, sed meretricium viris alienis, mi vir, subblandirier.

Meretrices maturè ut cum cognôris, perpetuo oderis.

Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans:
Quæ cum amatore suo cum cœnant, liguriunt.
Harum videre ingluviem, sordes, inopiam,
Quam honestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent,
Nôsse omnia hæc salus est adolescentulis. *Terent.*

Brevis & non vera voluptas,
Vexat mentes vesana libido.
Hinc rapit ambitio, rapit hinc furiosa Libido.
Huc illuc temerarius errat adulter.
Quoslibet incautos flectere docta viros.
At procul abjecto meretrix effrana pudore.

Amour de putain, feu d'estoupe
Qui luit fort & dure peu.

**Qui testamenta merentur*
*Noctibus ** vetula vesica beatæ.*
Unciolam Proculeus habet; sed Gillo deuncem.
Partes quisque suas ad mensuram inguinis hæres
Accipiat, &c. Sat. I. Iuvenal.

MENDICORUM. Vide *Paupertatis.*

De validis mendicantibus lege *Ph. Camerar. Cent. I. cap. XVI.*

Contemnere fulmina pauper
Creditur, atque deos, dii ignoscentibus ipsis.
Quid, quod materiam præbet causasque jocorum
Omnibus hic idem, si fœda & scissa lacerna,

Si toga sordidula est, & ruptâ calceus alter
Pelle patet : vel si consuto vulnere crassum,
Atque recens linum ostendit non una cicatrix. Iuvenalis Sat. 3.

MERIDIEI. Vide *Diei*.

SOl medium cæli conscenderat igneus orbem.
Iamque dies medius rerum contraxerat umbras.
Et sol ex æquo meta distabat utraque.
Iamque dies medius tenues contraxerat umbras.
Tempus erat, medii cum solem in culmine mundi
Tollit anhela dies.
Et jam lampade torridâ, Fulgebat medio sol pater æthere.
Æstus erat mediamque dies exegerat umbram.
Medio cum Sol altissimus orbe
Tantum respiceret, quantum superesse videret.

MENDACII. Vide *Vitii*. *Impietatis*. *Linguæ*.

MEndacium dicere. Cretissare. Nec fingunt omnia Cretes.

Callidum mendacium. Adversus aliquem mentiri. Mentiri ampliter.

Nihil est mendaciloquius. Mera mendacia fundere. Pura puta ista sunt mendacia.

Non est mentiri meum. Homo totus ex fraude & mendacio confectus.

Si dixero mendacium solens meo more facio.

Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis.

Multis profuit commento versatili omnem speciem induisse.

Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Quanta sub Argolicis mendacia vana Camœnis. Virg.

Turpia

Turpia quid referam vana mendacia lingua?
Mistaque cum veris passim commenta vagantur. Ovid.
Multa malus simulans vana spe lusit amantem. Virg.

Plato dicebat mendacium concedendum esse medicis, aliis verò minimè. Medici quippe, ut ægrotantium animos consolentur, promittunt sæpè sanitatem, etiam in ipso mortis agone, ne animum despondeant.

Thales à quodam interrogatus, quantum à vero falsum esset? quantum inquit oculi distant ab auribus. Sensit autem eos plerunque mentiri, qui audita, non visa referant aliis.

Ægyptiis nullus mentiendi modus, summaque mentiendi impunitas erat.

Thracium commentum. Thraces cum pugna inferiores fuissent, constitutis quinque dierum cum Bœoticis induciis, nocte Bœotos insequentes alios quidem cecidisse, vivos alios cepisse. Ex postulantibus verò Bœotis, respondisse Thracas, Dierum non noctium pactas inducias.

Mentiri & mendacium dicere differunt. Qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur.

Tenue est mendacium, perlucet, si diligenter inspexeris. *Seneca.*

Qui mendacio in alienas familias se intruserunt. *Val. Max.* cap. xv. lib.9.

METHODI. *Ordinis, Imitationis.* Vide *Brevitatis.*

ORatio dat fine mente sonum. *Et nihil*, inquit, *Iulius Scaliger*, vel in animo vel in opere sapientis admirabilius ordine.

HORATIANA *ex Arte Poet.*

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Quicquid

Quicquid præcipies esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Scribendi rectè, sapere est principium & fons
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.
Verbaque provisam rem non invita sequuntur.
Si dicenti erunt fortunis absona dicta
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit nullum, Davusne loquatur, &c. Arte.
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores. Ibidem.
Mobilibusque decor naturis dandus & annis.
Ordinis hæc virtus erit, & Venus (aut ego fallor)
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.
In verbis etiam tenuis, cautusque serendis,
Dixeris egregiè, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum, &c.
Singula quæque locum teneant sortita decenter. Ibidem.
Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet. quod ad methodicam regulam.
Nec circa vitem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres.

METUS. *Timoris.*

NUnc parti nostræ timeo. Totus tremo horreoque.

Corculum mihi adsudascit ex metu. Mihi animus nunc etiam abest.

Timor præpedit dicta linguæ. Sanguinis guttam vix habeo.

Perculsit ilicò animum. Membra mihi occupat metus mortis. Protelare aliquem sævis suis dictis.

Vix sum apud me ita animum commovit metus. Animus in timore attentus est.

Lingua

Lingua hæret metu. Ademptum tibi faxo omnem metum, in aurem utramvis otiose ut dormias.

Exanimatum esse metu. Membra metu debilia sunt; animus timore obstupuit, pectore consistere nihil consilii potest.

Magno me liberabis metu, dummodo inter te atque me murus intersit.

Animi metum abstergere. Magnus membra horror perfudit. Terror in auribus animisque versatur.

Motu mentis exalbescere. Repentino periculo exterriti. Plus in metuendo mali, quàm in eo quod timetur.

Citra metum Rhamnusiæ virginis hoc confitebor. Infantium mors est acerba, juvenum immatura, senum naturalis.

Epistola illa mihi concenturiat metum in corde. Salus nulla est scapulis si domum redeo. Totus madeo metu. *Plaut.*

Lupus aquilam fugit.

Panicus casus, dicitur de subito animi tumultu.

Canes timidi vehementius latrant.

Pericles, cum in castra ejus fulmen decidisset, terruissetque milites :advocata concione lapidibus duobus in conspectu omnium collisis, ignem excussit: sedavitque turbationem, cum docuisset, similiter nubium attritu excuti fulmen.

Quod inter ancipitia deterrimum, est, dum media sequitur, nec audent satis, provident. 1. *Hist. Tac.*

Facilis credulitas illorum, qui pavent. *Tac.* 15. *Annal.*

Panicus casus. subitus animorum tumultus, sed prorsus inanis. Olim existimabant Panem Deum, repentinos timores, lymphaticis similes, immittere. Quòd sæpe in exercitibus contigit, quod nullâ comparente causâ viri pariter atque equi perturbati sint.

Nil

Nil est miserius, nec stultius, quàm prætimere. *Seneca.*

Adeo pavidis consilia in incerto sunt. 3. *Annal.*

Vt quosdam exercitus motus procul pulvis castris interdum exuit: sic nos dejicit futuri discriminis falsa sæpe umbra. *Lipsius.*

Post id locorum Iugurthæ neque dies aut nox ulla quieta fuit. neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori satis credere. cives hostesque juxta metuere. Circumspectare omnia, & omni strepitu pavescere, alio atque alio loco sæpe, contra decus regium, noctu requiescere. Interdum somno excitus, arreptis armis, tumultum facere: ita formidine, quasi vecordiâ exagitari: *Sallust.*

Degeneres animos timor arguit.
Sollicitæ subeunt curæ, trepidique pavores.
Stetit acta tremore horrisono.
Mihi gelidus horror membra quatit.
Furit implacabilis horror.
Pavida trepidat formidine pectus.
Subit horrida mentem formido.
Gelidos per artus vadit exsanguis tremor.

Lamiæ turres. res in speciem formidabiles, quibus verè nihil periculi. Eò quod Lamiæ ad territandos pueros nomina instituta. Nihil aliter, quam manducum præferre. *Manducus*, manduco, onis. Festus nominativum facit *manduces*, & *mandux*. quo utebantur ad ejulantes pueros compescendos. *Lamiæ*, ab antiquis mulieres, sive Dæmonum phantasmata, quæ formosarum mulierum specie assumptâ, pueros & juvenes blanditiis allectos, devorabant. Hæ cum foris essent, egregiè oculatæ, domi prorsus cæcutiebant. Hinc Comicus *oculos emissitios* habet. Lamiæ, cum domum reverterentur, oculos in loculos deponebant. Iterum foras ituræ, illos resumebant è loculis. *Vide plura de Lamiis apud Calep.*

Ignavus *Vitellius*, qui nec oculis nec auribus competebat. ad omnes nuncios, vultu quoque & incessu trepidus, huc illuc clamoribus vulgi circumagebatur,

quę jusserat vetans, quæ vetuerat jubens. 3. *Hist. Taç.*

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram. Iuv. Sat. 1

Instituit Caligula certamina facundiæ. Qui victi, cogebantur linguâ vel spongiâ suas quęstiones dispungere. Hinc metus Oratoribus Lugduni in Galliis dicturis.

Qui pavet vanos metus,
Veros fatetur. Regna custodit metus.
Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes. Sen. in Oedipo.

MERCEDIS. *Pretii.* Vide *Præmiorum, Compensandi.*

PRæmiis aliquem oppugnare. His nunc præmium est, qui recta parva faciunt.

Spes prę mii, solatium laboris. Dare alicui manu prætium.

Antisthenes rogatus, cur tam paucos haberet Discipulos? Quoniam depello illos, inquit, virga argentea.

MIRACULORUM. *Monstrorum.*

C*Æcilius* Agrippa ex utero Matris egressus est in pedes. Ferunt Anaxagorum, Catonem & M. Crassum nunquam risisse; Antoniam nunquam expuisse; L. Pomponium nunquam ructasse.

Philetas Cous Elegiographus fertur fuisse tam tenui corpore, ut necesse fuerit plantis ejus plumbum adhibere, ne ventorum flatu raperetur.

Mecænas ultimo vitę triennio somnum oculis non vidit ullo horæ momento.

Corfidius funere locato revivixit, & locatorem funeris extulit.

Non est alienum à Miraculo, Elephantibus intellectum esse sermonis patrii, officiorumque memoriam; Solis & Lunæ venerationem. Miraberis de eo *Lipsii* epist. *L. Cent.* 1.

Cicero

Cicero apud Plinium testis est *in nuce inclusam Iliada Homeri*, carmen in membrana scriptum.

Achemenis herba, autore Plinio, *conjecta in hostes*, *facit eorum agmina trepidare.*

Herodotus in Euterpe inquit suo tempore *hircum palam coivisse cum muliere.* Vide Fatidica *Edonis Neuhusii* P. Lib.2. Cap.4. & 5. 13.

In Africa, ait *Livius*, apud Bagardum flumen tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut *Attilii Reguli* exercitum usu amnis prohiberet, multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undique petitam silicum crebris & ponderosis verberibus procubuisse. omnibusque & cohortibus & legionibus ipsâ Carthagine visam terribiliorem. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta. Romana inde summovisse castra. Belluæ corium cxx. pedes longum, in urbem missum.

De *Miraculis Vet. & Novi Testamenti* lege lib.2. Fatid. *Parentis mei* pag.57. & 65.

In Rep. videas *Harpyas* unguibus in prædam evaginatis, *Chimeras* immani rictu hiantes, *Sphynges* in perniciem civium excubantes. In Ecclesia deprehendas *Simias* gestu ridiculo pietatem simulantes, *Lupos* ovillâ pelle intectos, *Serpentes* inter verborum lenocinia & blanditias venenum affundentes, *Diabolos* Angelicæ lucis habitu noxam machinantes. In Civilis vitæ contuberniis invenias *Centauros* bonarum artium hostes, *Cyclopes* bonæ mentis oculo destitutos, *Geriones* & *Briareos* vario multiplicatarum manuum usu expeditos, *Acephalos* cerebro vacuos, *Cynocephalos* frontem & pudorem nescientes, *Androgynos* mentum & mentem in stolâ & colo deponentes, &c. Vide *Fatid. Parentis mei* pag.228. lib.2.

Augur. Omin. Somn. Spectr.

De *occultis naturæ viribus* adi Fatidica *p. m. Parentis. lib.3. cap.3.*

Videmus

Videmus oculis ſtupentibus heliotropium, Ornithogalum, cichorium, tragopogum ad circumactum ſolem converti, &c.

Miramur *Remoram* piſcem velis remiſque concitatam navem ſiſtere, *Aquilæ* pennas aliarum avium plumas, *Leonis* lupique exuvias ovium inprimis & cæterarum animantium pelles, ſi conjungantur, conficere, &c.

Baſiliſcum oculorum radiis venenum affundere; *Tauros* feroces ad ficum alligatos miteſcere, &c.

Torcoiden in lapſu gravi hominem à periculo vindicare; *Sapphirum* Venereos affectus compeſcere; Chalcedonium triſtitiam bilemque diſcutere; Smaragdum comitialem morbum profligare, &c.

De *Septem mundi Miraculis* Lege officinam Textoris *cap:64. Lib.4.*

Rex Philippus admonitus, ut à quadrigæ violentiâ ſalutem ſuam cuſtodiret, toto regno disjungi currus juſſit, cumque locum, qui in Bæotia *Quadriga* vocatur, ſemper vitavit; nec tamen effugit. Pauſanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. *Val. Max.*

MISERIÆ. Vide *Ægritudinis, Curæ, Triſtitiæ, Morborum.*

OMnibus perturbor infortuniis. Meas miſerias nulla æquat infelicitas. Singulari utor fato.

Natus ſum ad miſeriam. Vermis non homo ſum, repo per terram.

In omnia mala præcipitatus ſum. Infelix fortunæ ſum exemplum. In me fortuna vires ſuas experitur.

Videor Fortunæ res ludicra. Mirè mecum agit Fortuna.

Nec in omni hac vita tam optabile aliquod bonum eſt, quod non mixtum aliquo poculo mœrorum. *Lipſ.*

Illuc ſis vide, quemadmodum abſtitit ſeverâ fronte curas cogitans.

Ecce,

Ecce, ædificat, columnam mento suffulsit suo. non placet profectò mihi illa inædificatio. *Plaut.*

Itaque ne inposterum rosas cogita, sesamum, aut papaver. sed spinas, sicas, absynthium & acetum. *Lips.*

Medicum quoque laudes, qui Theriacæ suæ viperam admiscet saluberrimo effectu. In eo cur improbes, si pharmaco huic cladium humanas quasdam noxas intemperat sine tuâ noxâ? Decoquit certe & consumit adjunctum illud omne virus arcano quodam providentiæ suæ igne. *Idem lib. Const.* I I. *cap.* VII.

Nec in hac vitâ tam optabile aliquod bonum est, quod non mixtum aliquo poculo mœrorum. *Lips.*

Ad mala jam pridem non rude pectus habes. Ovid.

Solon neminem, dum adhuc viveret, beatum dici voluit. Felicitatis igitur humanæ appellationem rogus consummat, qui se incursui malorum objicit.

Idem dixit, urbes esse humanarum cladium consepta miseranda.

Idem ajebat: Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum ut propria deporrare domum, quàm ex communi miseriarum acervo portionem suam ferre mallent, *Val. Max. lib.* 7. *cap.* 2.

MONACHI. Vide THEOLOGI.

Pontificis. Episcopi. Superstitionis. Impiet.. Piet.

DEinde cum Psalmos suos numeratos quidem illos, at non intellectos, asininis vocibus in templis detrudunt: tum verò se putant divorum aures multâ voluptate demulcere. *Eras. in Mor.*

Et sunt ex his nonnulli, qui sordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, non mediocri profecto reliquorum mendicorum jacturâ. *Idem Ibid.*

Quot nodos habeat calceus, quo colore singula vestis, quot discriminibus varieganda, quâ materiâ, quotque culmis latum cingulum. quâ specie, & quot modiorum capax cucullus. quot digitis latum capillitium. quot dormiendum horas, &c. *Ibid.*

Ob

Ob colorem paullò fusciorem, omnia miris tragœdiis miscent. Ex his videas, quosdam adeo rigide religiosos, ut summâ veste, non nisi cilicinâ utantur, intimâ Milesiâ. Alios contra, qui supernè linei sunt, intimè lanei. Rursum alios, qui pecuniæ contactum, ceu aconitum horreant, nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes. *Erasm. Moria.*

Alius ostentabit aqualiculum, omni piscium genere distentum. Alius Psalmorum centum effundet modios. Alius jejuniorum myriadas annumerabit, &c. Alius tantum ceremoniarum acervum proferet, quantum vix septem onerariis navibus vehi possit, &c. *Ibid.*

Alius commemorabit se plus quam undecim lustris spongiæ vitam egisse; alius linguam jugi silentio torpentem, &c. *Ibid.*

A Nili fluvio sumunt exordium, aut crucis enarraturi mysterium, à Babylonico Dracone Bel feliciter auspicantur, &c. *Ibid.*

Aut de jejunio disputaturi à XII. Zodiaci signis principium faciunt. Aut de fide verba facturi, diu de quadratura circuli proloquuntur, &c.

Auditus est à nobis alius quidam octogenarius, adeo theologus, ut in hoc Scotum ipsum renatum putes. Is explicaturus mysterium nominis Jesu, mirâ subtilitate demonstravit in ipsis literis latere, quicquid de illo dici possit. *Ibid.*

Doctores solennes, Doctores subtiles, subtilissimos, Doctres Seraphicos, Doctores Cherubicos, Doctores sanctos, magnifica nomina auribus inculcantes. Si vel semunciam sani cordis haberent. *Ibid.*

Quid dicam de iis, qui sibi fictis scelerum condonationibus, purgatorii spatia clepsydris metiuntur; sæcula, annos, menses, dies, horas, tanquam è tabulâ mathematicâ, citra ullum errorem dimetientes. *Eras. in Moriâ.*

Monachorum vita, fatuorum est vita potius, quàm religiosorum. ad nolæ signum dormire, expergisci, redormiscere, loqui, tacere, ire, redire, cibum capere,

pere, desinere pastu, &c. *Lege Cent.* 2. *Epist.* 22.

Monachorum sub cucullis & mendicitatis nomine, deploratissimæ nonnunquam mentes latitant, intolerabili arrogantiâ & extremâ pecuniæ cupiditate flagrantes. *Cent.* 1. *Epist.* 13.

Episcopi quidam Germanorum planè Satrapas agunt, adeò, ut propemodum ignavum, parumque decorum Episcopo putent alibi, quàm in acie fortem animam Deo reddere. *Eras. in Moriâ.*

Partes administrandi regni vicariis delegant, & vicarius iterum vicario tradit. *Ibidem.*

Rursum sacerdotes, qui sese vocant sæculares, quasi mundo initiati non Christo, in Regulares hoc devolvunt, Regulares in monachos, Monachi laxiores in arctiores, omnes simul in mendicantes, mendicantes in Carthusienses. apud quos solos sepulta latet pietas, & adeo latet, ut vix unquam liceat conspicere. *Ibidem.*

Pontifices in messe pecuniaria diligentissimi. *Ibidem.*

Turca depellendus à cervicibus populi Christiani, at calumniâ jugulare fratrem, linguæ spiculo confodere proximum, nulla relligio est. *Erasm. in Linguâ.*

Non gestant tela militaria, tametsi non desunt, qui sicas occulunt sub sacris palliis; sed os istis pro armamentario est. *Idem ibidem.*

Franciscanus quidam legerat paraphrasin meam in Iohannem, &c. probabantur; sed addebam: Quod genus ubi moriturum se tutum credit, si sepeliatur veste Franciscani aut Dominicani, &c. Ibi mox meus applausor: ut SCto adigerent, ne quis Franciscanus legeret libros Erasmi. Si dixissem in veste Dominicani, & omisissem Franciscani, fuissem illi Christianus. *Ibidem.*

Vendunt sua jejunia, & interim non jejunant à suis mendaciis. *Ibid.*

Abstinent ab esu carnium; at interim non verentur arrodere carnes proximi sui. Ibid.

Quid

Quid refert te cellâ anguſtâ claudi, ſi virulenta lingua.? ſi libellis Sycophanticis per orbem volites? *Idem.*

Non verentur apud Populum aſſeverare, mulierem, quæ dormit cum ſacrifico gravius peccare, quàm ſi coiret cum animante bruto. *Idem.*

MODESTIÆ. Vide *Virtutis. Solitudinis.*

CAve, cave, Princeps, & cogita ſupra homines Te, ſed hominem eſſe. *Lipſ.*

Equidem & ego olim aliquid in illa materiâ pinxi aut ſculpſi; ſed nihil eſt Protogenis aut Apellis. alius quicumque manum addat. imo & cupreſſos appingat. *Lips.*

Ego enim ut omnia viderim? Non ſi Minervæ aurea lucerna, ut vetus verbum eſt, illuſtrâſſet. *Idem.*

Menedemi dictum aureum menti tuæ imprimendum: Qui Athenas navigarent, primò ſapientes eſſe, tum Philoſophos, tum Rhetores, deinceps rudes & idiotas. *Idem.*

Non putemus nos Trojam cepiſſe, cum depoſitum alteri locum ſanavimus. Quid? unum alterumque verbum.

Neque ſum illo Alexandro ſublimior, qui nefas putem, oppugnari. *Idem.*

Aſpernari incipio & vela minus minuſque pandere, non dicam, ambitioni, ſed famæ. Quid hæc omnia ſunt, opinio, laudes, elogia? Venti. In quiete maneamus, quæ à Deo & virtute ſit: & huic cibum, literas, aut ſapientiæ potius ſtudia, demus. *Idem in epiſt.* 87. *Cent. Sing. ad Ital.*

Terrebat Mecipſam natura mortalium avida imperii. *Salluſt.*

Modeſtiſſimè parendo & ſæpè obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut noſtris vehementer carus Iugurtha, Numantinis maximo terrori eſſet. *Idem.*

MODE-

MODESTIÆ. *In Cultu.* Vide *Vestu.*

MOdestia vario aspectu Principi assumenda primum, quia decet omnes homines submitti, & ab arrogantia fugere, scopulo virtutum. Sed magis Principem, qui in alto est.

Sardanapalus R. Assyriæ à deliciis & purpuratâ vitâ innotuit.tamen à longâ ebrietate sobrius sepulchro incidi curavit Symbolum, quod ad modestiam altissimos vocet: *Erant digiti duo, qui collisi inter se crepitum edebant:* signantes omnia regna, omnia votiva aut magna, NEC TANTI ESSE.

Archidamus Spartæ R. Philippo post Chæroniam pugnam insolentius se efferenti scripsit: *Metire umbram tuam, nihilo reperies auctiorem.* Lips.

Severus Imp. Rom. senio confectus urnam ad se deferri jussit, in quâ cineres erant recondendi. vocem emisit: *Tu virum capies, quem terra orbis non capit.*

Sensit ipse *Philippus*, cum aliquando in palæstra inter luctandum, prolapsus surrexisset; & corporis vestigium in arenâ vidisset. *Papæ*, inquit, *quàm parvam terræ partem sortiti* orbem appetimus!

Maximilianus memor fragilitatis suæ, triennio ante morbum, capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ inclusum circumferri secum jussit. cavitque testamento, ut exanimum corpus suum rudi linteo involutum, sine ullâ exenteratione illi imponeretur. natibus, ore, auribus vivâ calce oppletis. ut consumeretur citius. *Lips.*

Idem pluribus diebus ante mortem nil nisi *Maximilianus* appellari voluit. quod imitatus nepos ejus *Carolus*, qui in monasterio se obdidit, quieti vacaturus interdixit quoque aliter se, quam Carolum appellari.

CANUTI Anglorum Regis insigne ad Modestiam documentum est, qui cum obsideretur ab adulatoribus h. e. corvis aulicis. Dicerentque omnia ad ejus vultum & nutum converti: ille fædam adulationem

nem sic repressit. Sedem regiam in littore maris posuit, in ipso accessu ejus & fluxu. Tum dixit: *Tu mare ditionis meae es, & terra, in quâ sedeo, est mea. Impero tibi & denuncio. ne in terram meam adscendas, nec membra nec vestem perfundas tui madore.* Mare tenorem suum tenebat. tum ad suos: En quàm ego omnibus imperito! *Lipsius cap.* XI. V. *lib.* 2. *Monit. Polit.*

Pudor & Modestia rara in hominibus virtus, rebus præsertim turbatis, ac prope ignota militibus. *Aurel. Victor.*

Pudore, Modestia, ac Iustitia omnis civilis societas conservatur. *Dionys. Halicarn.*

Cato intuitus aliorum statuas; *Malim*, inquit, *ut de me quaerant homines, quare Catoni non sit posita statua.*

Agesilaus, qui cum se vivum inter Deos relatum audivisset, *Thasii*, inquit, *si potestatem faciendi deos habetis, cur non potius vos ipsos, quàm me inter Deos refertis?*

Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum,
Sic cadit, ut tactâ surgere posßit humo. Ovid.
Nec Deus intersit nisi dignus vindice nodus
Inciderit. Horat. in arte.
Serpit humi tutus nimium timidusque, procellae.
Horat. in arte.

MODESTIA.

Cum bene sint Superis sua pensa & sacra peracta,
Exornet mores vita Modesta tuos.
Et nunquam tumido inflentur praecordia fastu,
Fidere divitiis ne videare tuis.
Hunc si non tanto Pactolus proluit auro,
Non infelicem vult magis esse Deus.
Pulchra placensque Deo, divina Modestia, *Virtus;*
Proxima quae caelo tecta laremque tenet.

Germanicus debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, struxit aggerem, & in modum trophaeorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus honori Tiberii inscripsit, de se nihil addens, *Tac.* 2. *Annal.*

 Ita

Ita virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam fuit. *Tac. in Agric.*

Agricola nunquam prosperitate rerum in vanitatem usus, ipsâ dissimulatione famæ, famam auxit.

Paulus Æmylius in repudiatam uxorem nihil criminis effutivit. tantum ostenso calceo pulchro novoque, dixit se solum sentire, quâ parte pedem urgeret. *Eras. in Ling.*

Solon legem tulit, quâ vetuit, ne quis maledictum jeceret in defunctos. propterea, quod pium esse judicaret eos pro sacris ducere, qui demigrâssent è vitæ contubernio.

Censor *Cato* Senatu movit T. Mantium, quod uxorem oborto tonitru pavidam in convivio complexus fuisset, præsente filiâ. *Erasmus in Ling.*

Pericles qui ob admirationem Eloquentiæ dictus est tonare & fulgurare, suggestum adscensurus, diis vota facere consuevit, ne quod verbum excideret imprudenter. *Ibid.*

Invidiam & arrogantiam fugiat Princeps, nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas authoritatem; aut severitas modestiam deminuat. *Agr. Tac.*

Id verò egregium, si quanta nobilitas & fortuna; tanta illi rerum prosperarum sit moderatio. 12. *Annal.*

Apud veteres tam strictè ad Modestiæ & abstinentiæ legem miles vixit, ut memoriæ tradiderit *Scaurus*, pomiferam arborem, quàm in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relictam. *Frontinus.*

Modestè Vespasianus, in quo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus novis novum fuit; Cum eum Imperatorem milites salutavissent, Cæsaris Augusti, & omnia Principatus vocabula cumulantes. 2. *Hist.*

Ipse *Tiberius*, fingendis virtutibus subdolus, nomen Patris Patriæ, à populo sæpè ingestum repudiavit, acerbéque

acerbéque increpuit eos, qui divinas occupationes ipſumque dominum dixerant. 2. *Annal.*

Quam minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum. *Seneca.*

Sapiens nunquam potentium iras provocabit, imò declinabit, non aliter, quàm in navigando procellam. *Seneca.*

Quæris Vlyſſes ubi erraverit, potius, quàm efficias, ne nos ſemper erremus. *Idem.*

Doces me, quomodo nervorum diſparem reddentium ſonum, fiat concordia. Fac potius, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent.

Metiri me Geometres docet Latifundia. potius doceat, quomodo metiar, quantum homini ſit ſatis. *Seneca in Epiſt.*

Numerare me docet Arithmetica, & avaritiæ commodare digitos. potius doceat, nihil ad rem pertinere iſtas computationes. non eſſe feliciorem, cujus patrimonium tabularios laſſat. *Idem.*

Quid mihi prodeſt, colligere ſubtiliter pedes jugeri, ſi me triſtem facit vicinus potens? *Ibidem.*

Si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus ſit, quàm puſillus ſit. *Ibidem.*

Quid excolis formam? Cum omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? Cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris, vel ut Scythæ ſolent, ſparſeris: in quovis equo denſior jactabitur juba, horrebit in leonum cervice formoſior. Cum te ad velocitatem paraveris, par lepuſculo non eris. *Seneca.*

Igitur ubi animus ex multis miſeriis atque periculis requievit, & mihi reliquam ætatem à Rep. procul habendam decrevi; non fuit conſilium, ſocordiâ atdiâ atque deſidia bonum otium conterere. *Saluſt.*

Atherbal placido ingenio quietus, imbellis, op-

portunus injuriæ, metuens magis, quàm metuendus *Idem.*

MOROSITATIS. *Austeritatis.* Vide *Altercandi. Litium. Severitatis.*

Totus echinus asper. In homines difficiles ac morosos. Echinus tegmen est spinosum quo servantur castaneæ. Vnde *Castanea echinata* apud Plinium dicuntur. Prius duo echini amicitiam inierint, alter è mari, alter è terra.

Ἐχίνου τραχύτερος, Echino asperior. Vocatur Echino asperior. Vocatur Echinus in mari piscis ex cancrorum genere, cui spinæ pro pedibus sunt. Est & Echinus terrestre animal, totum spinis consitum.

Philocles tragicus poëta propter morositatem χολὴ καὶ ἅλμη, bilis & salsugo dictus est.

Timo Atheniensis tam infesto hominum laboravit odio, ut damnato socialis vitæ contubernio in sylvarum se lustra & claustrales recessus abstruderet. Adibat illum aliquando *Apemantus* simili inhumanitatis indole asper & truculentus: qui apposita tenuissimi apparatus cænula, cum assedisset à longo silentio: *Quàm*, inquit, *Timon nostra ducrum in hac solitudine convivatio jucunda.*

Myson aliquis Apemanti & Timonis fuit moribus, hominum osor, ut qui in solitudine solus riserit. Cum à quodam rogaretur, cur præsente nemine risisset? & ob hoc ipsum rideo respondit.

Periclem Atheniensem legimus à cænarum ac conviviorum apparatibus & hominum consuetudine sic abhorruisse, ut ne apud amicum unquam cænaverit, præter quam apud Euryptolemum nuptiarum die.

Cordilio philosophus Stoicus tam morosus fuisse dicitur, ut omnium Principum ac Regum amicitias spreverit. Hunc Cato Vticensis secum in castra duxit, magnam se putans adeptum palmam, qui hominem severissimum à sententia dimovisset.

Neronis

Neronis Imp. atavus, Domitius Ænobarbus, homo durus, arrogans, in cujus mores ita lusisse traditur Crassus orator: *Quid mirum, si aneam barbam Domitius habet, cum & os ferreum & plumbeum cor habeat.*

Nero Cæsar tam difficilis atque morosus erat, ut neque cum servis neque cum liberis sermonem conferret; sed omnia quæ vellet, in libellis scribere consueverat.

Aristippus cum malè audivisset, quod Dionysium coleret: *Si Diogenes*, inquit, *sciret uti Regibus, non vesceretur crudis oleribus.*

MORBORUM. Vide *Ægrotandi. Medicina. Ægrit. Miseria.*

EPilepsia dicitur morbus comitialis: quia apud Romanos Comitia habere non licuit, quo tempore morbo isthoc quispiam in senatu invaderetur.

Pestis civibus urbes viduat ingentesque solitudines inducit.

Reduvia, cum circa ungues cutis se resolvit: ab *iduo, iduare,* quod est dividere, unde etiam vidua.

Pleuritis vel laterum dolor me exagitat.

Phthisi laborare, hoc est, lenta tabe.

Diarrhœam, seu alvi proluviem sustinere. Lumbricos alere. Herculeo, caduco, sacro morbo laborare.

Νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν.

Nervorum distentiones. Vertigo, Gravedo capitis. Catarrhus. Cephalia. Laborant oculi Ophthalmia suâ ac lippitudine, glaucomate vitiantur.

Faciem lentigo fœdat. Asthma. Strumæ. Tonsilli. Fistula. Hircus. Ficus. Stranguria. Atrophia. Lienteria. Nephritis. Dysenteria. Volvolus. Tormina. Spasini. Papulæ. Vari. *Colicus dolor.*

Vide Morborum Catalogum apud *Ravisium Text.* in Officinâ. *lib.* 2. *cap.* 50.

Sapiens quidam, cum imperitus Medicus & dixisset, senex factus es, respondit: *Quia non usus sum medicis.*

dicis. De pestilentia vide *Fatidica Parentis* lib. 2. pag. 300.

Quid oculis meis faciam, qui jam fessi obtenebrant ad adscititium lumen. Rem tibi dico. Ego olim ille Lynceus, aut ut fabulam omittam, visu serpens, defeci, & pro æthereis illis oculis ad vitreos confugi. *Lips.*

Quid nobis blandiamur? sum adhuc in valetudinario: & ut lumen, quod exstinguitur, flammulas interdum jacit: sic mihi fieri videtur, velut resurgo interdum, & exorior, sed fortasse lapsurus. *Idem.*

Melancholici & chronici isti morbi, tu scis, quàm laneo pede veniant, & plumbeo recedant. *Lips.*

Sicut Athenienses de Pace non nisi atrati cogitabant, prisci oratoris dicto: Ita plerique nostrûm vix de Deo, nisi afflicti. *Lips.*

Antiquitas præter casus & vitia numeravit trecenta morborum genera. quis a. enumeret animorum vitia? *Erasm.*

An verò est ullus hydrops, ulla febris, quæ sic discruciat corpus, ut pecuniæ studium, ut amor impotens, ut Zelotypia, ut livor torquet animum? *Idem.*

Medici nullum morborum genus putant formidabilius, quam quod ægroto mali sensum eripit. Sanabilior enim est podagricus, qui se miserum clamitat, quàm phreneticus aut lethargicus: quorum hic sibi videtur sanus, ille medicum opitulari cupientem invadit. *Erasmus de Linguâ.*

Quo remedio succurras ei, qui livorem appellat honesti Zelum? qui cæcum amorem sui nominat prudentiam? maledicentiæ morbum fucat titulo Libertatis? *Idem.*

Sunt morbi, qui non attingunt pueros. Sunt, qui parcunt sexui fæminino. à pestilentiâ, si Plinio credas, tuti sunt senes, &c. Animorum pestes nec ordini, nec sexui, nec ætati parcunt ulli. *Idem. Ibidem.*

Nec prius pestilentia desinit, quàm spiritum illum gravem

gravem exercuit laxitas cæli ventorumque jactatio. *Seneca.*

MOLESTIÆ. Vide *Curæ. Ægritud. Discriminis. Tristitiæ. Doloris, &c.*

TU si potes, pelle malas aves, quæ me lancinant, & vincla sollicitudinum deme, quibus in hoc Caucaso lentè ligor. *Lips.*

Quam video æquè esse mœstam, ut quasi dies si dicta sit. Hoc homo sinapi victitat. Perii, ita mihi ad metum malæ res ex sese plurimæ agglutinant. *Plautina.*

Multiplex ærumna exercitum me habet. Tantum mœstitiæ hic dies mihi obtulit. Ego tuo mœrore maceror, macesco, consenesco & tabesco miser. *Idem.*

Scilicet, hoc fuerat propter quod sæpè relictâ
Conjuge, per montem adversum, gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva cum grandine vernus
Iuppiter, & multo stillaret penula nimbo? Iuvenal. Sat. V.

MORUM. Vide *Ingenii. Consuetud.*

PUlchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt. *Plaut.*

Omen certissimum est futuri mali, morum corruptela.

Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt. *Seneca.*

Ad morem etiam vivere debemus, non solum ad naturam.

Diogenes, Musicos in jus vocabat, dicens, quod lyræ chordas congruè aptarent, animi mores negligerent.

Socrates dicere solebat; Neque vinum austerum aptum esse potioni, neque mores agrestes hominum conversationi.

Aconitum etiam contactu necat: ita quorundam convictus protinus inficit. *Lips.*

Mores & ingenium Philippi in fine libri primi apud *Curtium*, vide quàm pulchrè descriptum. *Divitiarum quæstu, quàm custodiâ solertior: itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo & perfidia pari jure dilecta. nulla apud eum turpis ratio vincendi; blandus pariter & insidiosus alloquio: qui plura promitteret, quàm præstaret. in seria & jocos artifex. amicitias utilitate, non fide colebat. gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia. apud utrumque gratiam quærere, solemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia & insignis oratio, acuminis & solertia plena, ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus.*

Externi Principis Mores quales debeant esse.

HAc morum viâ Princeps sit compositus ore, apud frequentem concionem imperatoriâ brevitate, visuque & auditu juxta venerabilis, ut magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retinens, invidiam & arrogantiam effugiat. 1. *Annal.* 2. *Annal.* 1. *Hist.* 2. *Annal.*

Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas authoritatem, aut severitas amorem diminuat. *in Agric. Tac.*

Vide PRINCIPIS, ubi plura ad illius ingenium formandum.

De MORUM mutatione vide *Val. Max. cap.* IX. *lib.* VI.

Scipio Africanus superior, quem Dii immortales nasci voluerunt, ut esset, in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet, solutioris vitæ primos annos adolescentiæ egisse fertur. *Val. Max. Ibid.*

De *Valerio Flacco*: Quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum postea modestiæ & sanctitatis specimen evasit. *Ibid.*

MORIS. Vide *Consuetudinis.*

SOlens meo more facio. Ita mos nunc viget. Consuetudo sic me tenet.

An-

Antiquum obtinens. Mihi sic est usus. Suus cuique mos.

Quam multa injusta & prava fiunt moribus. Res ab usitata consuetudine recedit.

More majorum ita comparatum est. Consuetudo serpere & prodire cepit.

Sic consuetudo introducitur. Consuetudo diuturna callum jam stomacho obduxit.

Benefacere nunc ex consuetudine in naturam vertit.

Consuetudo est tacitus populi consensus, plurimorum annorum observatione inveteratus.

Mos iste invaluit. Ita fert omnium consuetudo. Vetus hoc est. Vsu & more sic comparatum est.

Magis consuetudine calleo, quam callum aprugnum callet.

Balbutire discit quisquis assiduè cum balbo vivit.

Vereor ne hoc malum in nervum erumpat.

Consuetudo est naturâ potentior.

Nunquam ita quisquam benè subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi. *Terent.*

Rei non bonæ consuetudo pessima est. *Seneca.*

Lacedæmonii morem habuerunt, ut adolescentes aliquò euntes interrogarent, quò se reciperent; & quid præ manibus haberent. Qui non bene ad interrogata responderat, graviter objurgabatur. Qui Senex juvenem non reprehenderat, ipse supplicium luebat.

Apud *Ægyptios* fuit in usu, ut Regem de Rep. benè meritum summis Encomiis per Sacerdotem afficerent: at si parum profuisset utilitati publicæ, corpus inhumatum abjiciebatur.

Rex Amasus legem tulit Ægyptiis, ut quotannis vitæ illi rationes aperirent, quia persimonia in victu usi fuissent. Quod si quis perperam res suas egisset, morti destinabatur.

Apud Sunitas quotannis & adolescentes & virgines publicè judicantur, & qui optimus esse judicatus fuerit, virginem, quam voluerit, ducit.

Philo, non rus, inquiebat, improbos, non urbs bonos efficit; sed similium congressus & consuetudo.

Ad suspicionem vulgi tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat.

Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit.

Huc ritus & Gentium mores referendi.

Mores Principum subditi imitantur. quod ostendit variis exemplis. *Ph. Camerar. Cent.* I. *cap.66.*

MONSTRORUM. Vide *Prodigiorum, &c.*

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici. Horat. in arte Poëticâ.

Inceptis gravibus plerumque & magna professis
Purpureus latè, qui splendeat, unus & alter
Assuitur pannus. Idem.

Amphora cepit
Institui, currente rota, cur urceus exit? Ibidem.

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum. Ibidem.

MONTIS. Vide *Agri. Hortorum.*

DE Montibus vide cap. 3. 4. 5. apud *Ravis. Text. lib.7.*

Ibid. De montibus Frigidissimis, Flammiferis.

Rosinus de Montib. Septem Romæ *cap.* IV. *& seqq. lib.* I. Palatinus. Capitolinus. Quirinalis. Cælius. Esquilinus. Viminalis. Aventinus.

De

De *Ianiculo, Vaticano* Collibus, vide *Ibid. cap.* x.

Palatium dictum, quod ibi in palatio monte pecus pascens balare consueverit, quasi *Balatium*. Vel à palo, as, at: quia ibi palare h. e. errare pecudes solent. Seu quod palantes Arcades ibi primum consederint. Alii ab aliis.

Montis altissimi descriptiones vide apud Poëtas. Consule *Apparatum* quoque *Poëticum* hoc titulo. qualia sunt hæc:

Et in æthera cornibus exit. Æquataque machina cælo.

Culmen inaccessum est oculis. In cœlum magnis se molibus effert:

Alpium singularis descriptio apud Silium Italicum libro 3.

MORTIS. Vide *Pereundi. Funeris. Crudelit. Tyranni. Ruinæ. Vitæ. Temp. Fati.*

A Vita me abjudicabo. Ad mortem appellere. Vitam exstinguere.

Emori letho malo. Quin male occidam, oppetamque pestem vicemque meam.

Post mortem in morte nihil est, quod metuam.

Nunc abierunt hinc in communem locum.

Me ad plures penetravi. Parentes meos Fata occuparunt.

Vivum me accersunt ac Acherontem mortui. *Plaut.*

Certum est me ante tenebras, tenebras persequi. Ipse abiit Acherontem sine viatico. *Plaut.*

Nunquam me vivum in crastinum prospiciet diem.

Hodie postremum me videbis.

Mors honesta sæpe vitam quoque turpem exornat. Vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit.

Mors non miseranda, quæ ob Remp. capitur. Mortem cum vita commutare.

Incidere in mortis malum sempiternum. Mors servituti turpitudinique anteponenda,

Optabile est, affecta ætate summum obire diem.
Ex corporis ergastulo solvi.
Miserias in vita sustinuit, decus in morte tulit.
Miseram vitam mors præclara terminavit.
Mors illum tanquam leni & dulci somno consopivit.

Inferiæ, quæ sepulchris inferri solerent, lac, mel, aqua, vinum.

Hinc apud Virgilium.

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho
Fundit humi: duo lacte novo, duo sanguine sacro.
Purpureosque jacit flores.

Seneca.

Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet.
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.
Stat ductus sortibus urna.
Iudex movet Æacus urnam.
Inter spem, curamque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.
Κρεῖσσον εἰς ἅπαξ θανεῖν,
Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.
Cum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?
Quem nunc Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.
Virg.
Quem gravibus umbris spissa caligo alligat.
Nunquam ille miser, cui facile est mori. Seneca.
Et nunc magna mei sub terras ibit imago. Virg
Omnes eodem cogimur, Omnium versatur Vrna; Serius, Ocyus sors exitura. Horat.

Quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse, omnes eadem conditio devinxit. Cui nasci contigit, mori restat. *Seneca.*

Æquissimo animo exspecto illum diem, quo Imperator hoc corpore, imò carcere me solvit. *Lips.*

Ille

Ille obiit? à vinculis ad libertatem ivit. Ille obiit? à curis & angoribus ad gaudia, uti speramus. Obiit? absolvit iter, decurrit stadium, palmam & coronam habet. *Idem.*

Hoc circa diem mortis præsta, moriantur ante te vitia. Dimitte istas voluptates turbidas, magno levandas. *Seneca.*

Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. *Seneca.*

Quemcunque vis occupa, adolescentem, senem, medium. Invenies æquè timidum mortis, æquè inscium vitæ. *Seneca.*

Nemo quam benè vivat, sed quam diu curat. *Idem.*

Quotidie morimur; quotidie demitur pars aliqua vitæ, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. *Idem.*

Quicquid transiit temporis, perit. Hunc ipsum, quem agimus, diem, cum morte dividimus. *Idem.*

Incertum est, quo loco te mors exspectet; tu omni loco illam exspecta. *Idem.*

Linquenda tellus, & domus & placens
Uxor: neque harum, quas colis arborum,
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur. Horat.

Illi mors gravis incubat, Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi. Seneca.

Quis eum putâsset tam præcipitis fati? Quid illud miserabile? cum omnia circumspexeris, Mori? varia, ad illam metam fert via: clivosa, plana, brevis, longa, eadem tamen omnibus quies cum pervenêre. *Lips.*

Quid ipsa mors quam timemus? requies, gaudium, & vera vita, aut si quid in ea mali, malis tantum. Æquissimo animo exspecto hunc diem, quo Imp. hoc corpore, imò carcere me solvet. *Idem.*

Carnifex illud Fatum te & me exspectat. Ante Fati mei nigrum diem. *Idem.*

Quicquid

Quicquid ætatis retro eſt, mors tenet. Minus'è craſtino pendeas, & hodierno manum injeceris. Dum differtur vita, tranſcurrit. *Seneca.*

Dies ille, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt.

Maximum ſolatium eſt, cogitare id ſibi accidiſſe, quod ante ſe paſſi ſunt omnes, omneſque paſſuri. *Seneca.*

Quotidie præter oculos noſtros tranſeunt notorum ignotorumque funera. nos tamen aliud agimus, & ſubitum id putamus eſſe, quod nobis totâ vitâ denunciatur futurum. *Idem.*

Quid enim novum, hominem mori, cujus tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter eſt. *Idem.*

Quiſquis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur. *Idem.*

Nunc animus fratris mei, velut ex diutino carcere emiſſus, tandem ſui juris & arbitrii, geſtit, & rerum naturæ ſpectaculo fruitur, & humana omnia ex ſuperiore loco deſpicit. divina verò, quorum rationem tam diu fruſtra quæſierat, propius intuetur. *Idem.*

Tot præter noſtram domum ducuntur exſequiæ, de morte non cogitamus. *Idem.*

Computa urbium ſæcula. Videbis, quàm non diu ſteterint etiam quæ vetuſtate gloriantur.

Hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides, effice illam tibi multâ cogitatione familiarem: ut ſi ita tulerit, poſſis illi vel obviam ire. *Idem.*

Tempus eſt Alexandrum cum orbe & cum ſole deſinere. *Seneca.*

Multis itineribus Fata decurrunt. & hæc eſt conditio miſerrima humani generis, quod naſcimur uno modo, multis morimur. laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur huic miſerrimæ animæ. *Idem.*

Ne Parrhaſii manus ludat temerè coloribus, internecioni humanæ timendum eſt. *Idem.*

Mors

Mors omnes æquè vocat. Iratis Diis propitiisque moriendum est. *Idem.*

Nonne contemneres eum, qui inter perituros constitutus, beneficii loco peteret, ut ultimus cervicem præberet. Idem facimus. magno æstimamus, mori tardius. *Idem,*

In luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse. eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ, neque gaudio locum esse. *Sallust.*

Tempus nos avidum devorat & chaos.

De *Morte* adi Titulum *Goulartii* in Historica Philosophia hoc Titulo.

Nihil tam securis radicibus nititur, in quod violentia Fatorum non valeat.

Quid aliud est Fatum, quàm id quod de unoquoque nostrorum fatus est Deus. *Lips.*

Fatum est æterna, ab æterno, in æternum Dei Lex, *Lips.*

Fatum e. appello ordinem seriemque causarum, cum causæ causa nexa, rem ex se gignit. Ea est ex omni æternitate fluens. *Seneca.*

Non cucurbitæ caput habemus, ut pro te moriamur. *Lips.*

Iamque omnes conclamaverat, tanquam ad exeuntis spiritus fugam.

Mortem scriptores *bonam* appellant, quoniam finis est ærumnarum & requies malorum: ut M. Cicero latissimè explicat in Tuscul. quæst. Valerius Flaccus: *Miserere Parentum mors bona.*

Plinius inquit: *Ex omnibus bonis quæ homini tribuit natura, nullum melius tempestivâ morte.*

Mors etiam bona potest dici, quod neminem prætereat, sed æquâ lance cunctos tollit.

Nulla res magis proderit, quàm cogitatio mortalitatis. *Seneca.*

Sit felix & magnus Cæsar, & verè Augustus. Sed filiam tamen Iuliam habeat, sed neptem. nepotes alios per fraudem, per vim amittat, alios abdicet. Et horum

horum tædio quatriduanâ inediâ mori velit, nec possit. Denique cum Liviâ suâ vivat, fœde ductâ, fœdè retentâ: & quam turpi amore ipse periit, turpi morte per eam pereat. (ob suspicionem veneni ab ipsâ dati) in summâ, inquit Plinius, Deus ille, cælumque nescio adeptus magis an meritus, herede hostis sui filio excedat. nimir. Tiberio, &c. *Lips. cap. xv. lib. 2. Const.*

Dum respicimus, quod ajunt, versamusque nos, jam mortalitas aderit. *Seneca.*

O quando videbis illud tempus, quo scies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placidusque eris, & crastini negligens & in summâ tui satietate? *Seneca.*

Tiberius mortem adeò leve supplicium putabat, ut mori volentibus vim adhibuerit vivendi, ut cum audisset unum *Carnulium* nomine anticipâsse eam, exclamaverit; *Carnulius me evasit*. Et precanti cuidam pœnæ maturitatem, responderit: *Nondum tecum in gratiam redii.*

Augustinus, majorem animum dicendum esse, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere.

Plinius, existimat terram venena genuisse, misertam nostri, ut in tædio vitæ facillimo veneni haustu exstingueremur.

Hinc accipimus magnos Imperatores habuisse venenum *sub annulo & in promptu, ut mortem oppeterent sine cruciatu, in rerum desperatione.*

Seneca: ut felicior est, quem ventus acrior citò in portum pertulit, quàm venti segnes & longa tranquillitas lentissimo tædio delassârunt: ita & fortunatior, quem festinata mors statim his vitæ malis eximit.

Lipsius: Deus firmiter sanxit, quicquid natum est mori, & alternante tempore ac vicibus mori senes, juvenes, pueros.

De PARCIS lege *Natalem Comitem* cap. VI. lib. 3.

Et

Et de *Morte* Cap. 13. Libro 3.

Quicquid sol oriens, quicquid & occidens
Novit: Cæruleis Oceanus fretis
Quicquid vel veniens vel fugiens lavat,
Ætas Pegaseo corripiet gradu. Sen. in Oedipo.

De *vita & Morte* legatur cap. IV. lib. VI. *Magiri Physica.*

Mortes non vulgares. Val. Max. lib. 9. cap. 11.

Ciceronis opes & mors. *Camerar. & Cent. 1. cap.* 31.

Seneca. Mors Medicina malorum est, refugium & asylum, & in his mundi fluctibus portus, quem sapiens nunquam fugiat, imo, Deo vocante, totis velis in eum feratur.

Idem. Quemadmodum clepsydra non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid antè defluxit: sic ultima hora, qua esse desinimus, non solum mortem facit, sed consummat.

Lipsius. Quis æs aut metallum perire dixit, cum liquescit & statua ex eo funditur? non perit, sed honestatur. Idem in nobis, qui ex informibus & infirmis in splendidam illam imaginem Dei transimus.

Thales dicebat, nihil interesse inter vitam & mortem: ob id opinor, quod utraque res æquè esset secundum naturam.

Bias cuidam mortem advocanti in liberorum amissione: cur homo, inquit, ipsam vocas? nonne etiam si non vocaveris, veniet?

Ægyptii olim in divitum epulis cadaver ligneum, sed quam proximè ad vivum effectum, ostendebant. Illorum unus intuens in hoc, singulis dicebat: Pota & oblecta te talis post mortem futurus.

Iulius Cæsar, cum inter cœnandum ortus esset sermo, quod genus mortis esset optimum? respondit, inopinatum, & quod optimum judicavit, ipsi contigit.

Anacreon unius uvæ grano suffocatus. *Sophocles* causam mortis gaudium habuit, cum in eventu Tragœdiæ

gœdiæ sua sententia probaretur. *Fabius prætor*, exhausto in lacte pilo animam egit. *Tarquinius Priscus* ex osse piscis in gutture transverso mortuus est.

Vide de mortalitate prodigiosa *Parentis mei* Fatidica lib. 2. pag. 296. cap. xvij. Ibidem de Pestilentia pag. 300.

De morte subitâ Principum virorum. *Camerar. Cent. 1. cap. 28.*

Triginta, sexaginta anni quid sunt? si cum volumine illo ævi comparantur? punctistitium. nihil hîc diuturnum. Vis verâ imagine tibi exprimam nostram vitam? Vidisti fabulas haud dubiè actitari. Prodeunt Reges, Satrapæ, alia officia, & quidem Satellites, ac persona in speciem & multæ. Ecce, alii diutius in scenâ loquuntur & hærent; alii ostendunt se saltem, nec vocem edunt. Simile nobis est. vario munere aut dignitate in theatrum hoc universi mittimur. Alii silentio transimus, aut ostendimur tantum. Nihilo deterior tamen ille, qui in vili veste, qui non diu hæsit, quàm ille, qui regem, aut longum carmen egit. Apud Deum vita longa non optima, sed innocentissima. *Lips. Cent. 2. Epist.*

Vita quid est, aut quid amœni habet? qui optimè de eâ loquuntur, cum mimo, aut ludo comparant. qui intentius & severius, addo & verius, cum carcere aut custodiâ assimulant. A natali nostro die si inspicimus, lacrymæ & gemitus sunt. & cum grandiores, eorum pudet, suspiria & internæ curæ. Quis dies, aut hora una læta, cui non denæ aliæ velut ex decreto succedant & excipiant? Sic ut in mari fluctus semper est, etiamsi non tempestas: sic in vitâ motus & angores, etiam cum non dolores & lamenta. *Lips. in Epist.*

De PARCIS vide offic. Text. *cap. 29. lib. 1.*

Variâ morte extincti. Idem *cap. 75. lib. 2.*

Nunquam magis divinus es, quàm ubi mortalitatem tuam cogitas. *Seneca.*

Quotidie propius ab ultimo stamus, & illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit. *Idem.*

HORA-

HORATIANA.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres.

Vita summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox fabulæque manes
Et domus exilis Plutonia. Oda. 4. lib. 1.
Nec quicquam tibi prodest
Aërias tentâsse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum morituro, lib. 1. Od. 28.
Omnes una manet nox.
Et calcanda semel via lethi.
Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum sæva caput Proserpina fugit. Ibidem.
Te semper anteit sæva Necessitas,
Claves trabales, & cuneos manu
Gestans ahenâ: nec severus
Vncus abest, liquidumque plumbum. Oda. XXXV. lib. 1.
Fugit retrò
Levis Iuventas & decor aridâ
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum. Od. XI. lib. 2.
Improvisa Lethi
Vis rapuit, rapietque gentes. lib. 2. Od. 13.
Quam penè furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Aeacum! Ibid.
Eheu! fugaces Posthume, Posthume,
Labuntur anni: nec Pietas moram
Rugis & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti. &c. Vide pulchram Odam. XIV. lib. 2.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus?
Abstulit clarum cita mors Achillem;
Longa Tithonum minuet senectus. Oda. XVI. lib. 2.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire Lunæ.

Tu

Tu secunda marmora
Locas sub ipsum funus, & sepulchri
Immemor struis domos. Od. 18. lib.
Æqua tellus pauperi recluditur
Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea revexit auro, &c. Ibid.
Immortalia ne speres monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Quò pius Æneas, quò Tullus dives & Ancus,
Pulvis & umbra sumus:
Quid scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora Dii Superii
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.
Quum semel occideris, & de te splendida
Minos Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia,
—Non te restituet Pietas. Oda IX. lib. IV.
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera gnatorum, rogus adspiciendus amatæ
Conjugis, & fratris plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigrâ veste senescant, &c. Iuvenal. Sat. X.

MUNERIS. *Negotii.* Vide *Pecun. Divit. Offic. Dilig.*

EGo meum pensum lepide accurabo. Neque mens neque pes satis officium suum facit.

Pro se quisque sedulo faciebat. Spartam tuam, quam nactus es, orna.

Summa contentione ad officia virtutis certare. Tuis humeris tanta munia & Remp. sustines.

Ad gubernacula Reip. sedere. Cum imperio esse. Publico navigio Palinurum esse. Præfici communi saluti.

Esse

Esse solent magno munera parva bono.
Generosis animis insitum est beneficia sua amare.
Acceptissima semper
Munera sunt, author quæ pretiosa facit.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis.
Dantur opes nullis, nunc nisi divitibus.

Bos in lingua: *de eo, qui muneribus est corruptus. Bos erat numisma Atheniensium.*

Pecuniæ obediunt omnia.

Faba nummus. Sic vocabantur suffragia corrupta. Notum satis, olim per fabas data suffragia.

Non parum in Principis gloriam cedit, vel eos ad summa vexisse, qui & modica tolerârunt. 14. *Annal.*

Simplicitas ac liberalitas, ni adsit modus in exitium vertuntur. 3. *Hist. Tacit.*

Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit: perdere multi sciunt, donare nesciunt. 1. *Hist. Tac.*

De Strenarum ritu lege R*osinum lib.* I.

MUNDI. Vide *Cæli. Terræ. Creationis.*

PArtitionem mundi vide *in Theat. Ing. Humani. E. Neub. Cap. lib.*

Mundus à Deo creatus: Ethnicorum de creatione opinio. Sextiduum creationis divinæ. *Idem lib.* 3. *Fat. cap.* I.

Ornatus nullus in hac vasta mundi machina sine varietate & distincta vicissitudine rerum.

Quis voveat hoc universum sicut mare mortuum esse, sine vento, sine motu?

In Cosmographum.

Quicquid terra tenet vario sub cardine mundi,
Hæc nos cuncta docet pagina Cosmographi.
Qui parvo ingentem circumfert cortice Olympum,
Quaque petat, coram, Pelion astra, videt:

Qua

Qua sua per septem decurrat cornua Nilus;
Unde suos ortus Rhenus Ararque trahant.
Oppida, rura, homines tabula depingis in una,
Nec procul à nobis ultimus orbis abest.
Dædaleum miramur opus doctumque laborem:
Si par ingenio sit quoque vita tuo.

MUSARUM. - *Palladis.* Vide *Doctrina.*

Vide *Doctrina.*

Poëtæ fingunt Musas esse Iovis & Minervæ seu Mnemosynes filias, quod doctum oporteat esse fœcundâ memoriâ. Musas quoque Musicæ præesse & carminum inventrices. Musica cantum significat, & Poësis propterea proximè ad Musicam accedit: quia numeris & quasi cantu constat.

Fingunt *Musarum* sedem in Helicone esse, Bœotiæ monte. A variis locis, varia sortiuntur nomina. *Heliconides* & *iades*, *Parnaßides*, ab Helicone, & Parnasso Phocidis monte. *Aonides* & Aoniæ ab Aoniâ, quæ Phocidi proquinquâ. *Cytheriades*, à Citherone Bœotiæ monte. *Pierides* à Pieria regione Macedoniæ. *Thespiades* à Thespiâ oppido Heliconi propinquo. *Pegasides*, à Pegaso Equo Bellerephontis, qui pedum ungulis fontem è terrâ dicitur elicuisse. *Pimpleides* à monte Macedoniæ. *Castalides* à Castalio fonte Parnassi.

Vide harum exempla in Poëtis *& off. Text. lib.* 4. *cap.* 1. *&* 2.3.4.5. ubi de singulis Musis plurima, &c.

Nympha Latinè sponsa. Antiqui putârunt Nymphas aquarum esse deas. quasi Lympharum numina. Accipitur quoque pro montium deabus, quas Oreadas vocamus; Druyadas, Hamadryadas. Veteres Græci Nympham dixère, quam nos Lympham; aquam.

Camœna. Iovis & memoriæ filiæ, à cantus amœnitate. Varro dictas putat Camœnas, quasi Casmænas, à castitate. Festus à carminibus: vel quod canant antiquorum laudes, vel quod sint præsides castæ mentis.

Pallas

Pallas à πάλλω vibro, quod vibret hastam. *Minerva* dicitur, quod vim minetur. vel quod nervos minuat laborum assiduitate. Quare bene Iuvenalis, *chartis impallescere*.

MUSICÆ. Vide *Canendi*. *Musarum*.

SIquidem maximis ingeniis illam & probatam & excultam invenio. Sic *Socratem* & *Pythagoram* præcipuos philosophos summopere hac fuisse delectatos, tradiderunt veteres. Sic *Alexander* & *Epaminondas* Principes Græciæ, fidibus præclarè cecinisse dicuntur. Totaque Græcia, teste Cicerone, summam eruditionem sitam censebat in numerorum, vocumque cantibus, discebantque id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrinâ putabatur. Cujus cum esset imperitus *Themistocles* & Lyram in convivio recusâsset, habitus est indoctior. *L. Lemmius*.

De *Musicâ* & Instrumentis Musicis lege Offic. Text. cap. 34. lib. 4. & cap. 35.

Et *Hadrian. Iunium* de materiâ Musices, Instrumentis, strepitibusque harmoniæ dissonis, &c.

Ipsa cavâ solans agrâ testudine amorem
Te dulcis conjux. Virg. 4. lib. Georg.

Cytharam intelligit, de cujus reperto usu sic *Servius*: quum regrediens Nilus in suos meatus, varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est. quæ quum esset putrefacta, & nervi ejus mansissent extenti intra corium, percussa à Mercurio sonitum dedit. Ex cujus imitatione Cythara est composita.

Musicæ varia instrumenta inventa industriâ humanâ, *Camerar. Cent. I. Cap.* XVII.

In Musicum nos sic:

Musica flexanima præscribit dogmata Lingua
Threiciosque docet voce referre sonos.
Sed nihil ingentes quam fumos vendit & auras,
Inque uno pretium murmure grande locat.
Vah! pudeat, docti plectrum moderarier oris.
Organa virtutis nullâ movere suâ.

I nunc,

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor ac septem, si sit latissima teda. Iuvenal. Sat. 12.

Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis.
Arboris incertæ, nullam prudentia cari
Rectoris conferret opem: decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus Castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum: adeo medicatum intelligit unguem. Ibidem.

Iam deficientibus Austris.
Spes vitæ cum Sole redit.
Gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ. Ibidem.

N.

NAVIGANDI. *Naufragii.* Vide *Tempestatis. Ventorum. Maris. Flum. Aquarum.*

IN altum proficisci. In portum vento secundo, velo passo pervenire. Mare non tempestivum est ad navigandum. Maria ambulare.

Cæsar in Africam transmisit. Ope Deûm, secunda navigatione, & facili itinere ad destinata pervenire.

Tractabilis navigatio in Indiam est. Zephyrum à puppi habere.

Qui homo se miserum & mendicum volet, Neptuno credat se atque ætatem suam. *Plaut.*

Vtinam nunc Fortuna anatina uterer. Solitum est portitori jam portorium. *Idem.*

Navem is fregit apud Andrum insulam. Navis utroque regimine amisso præcipitio demersa est.

Grave est secundum *Homerum* perire naufragio: Quia anima ignea est & exstingui videtur in mari, *hoc est*, Elemento contrario.

Rates dicuntur rudes & impolitæ trabes inter se con-

connexæ. *Ratis* tamen capitur pro navi: Ovid. & freta velivolas non habitura rates. *Ratiarii*, ratis ductores.

Carina dicitur concavitas navis, & capitur pro totâ navi.

Classis capitur pro unica navi interdum: Virg. *Et Lycia ductorem classis Orontem.*

Rarò navis allisit, quæ modico velo littus legit, eminentia feriunt procellæ. *Lips.*

Palinurus fuit gubernator navis Æneæ, quasi πάλιν καὶ οὖρος, bis, urina. h. e. bis mejere. Martialis:

Minxisti, Palinure, semel currente carinâ,
Mejere vis iterum, sic Palinurus eris.

Navium onerariarûm magnitudinem per amphoras Romani distinguebant. Cic. in epist. Lentuli: *idcirco naves onerarias, quarum minor nulla erat, duûm millium amphorarum*. Meursius.

De NAVIBUS memorabilia vide apud *Philip. Camerar. Cent.* 1. *cap.* 26.

Et *Ibidem*; Aquam marinam potius excitare, quam exsting. incendia.

Antemnæ instrumenta sunt, amnem antè secantia, viamque navibus facientia.

Vrinatores dicuntur natatores subaquatiles: Vrinari vel Urinare sub aquis natare.

Varias appellationes Navium vide apud *Textorem*.

Sentina. Navis pars interior, in quam omnes sordes confluunt, à sentiendo dicta.

Sentina. Per translationem dicitur locus, qui omnium malorum hominum receptaculum est.

Aura,
Vela vocant, tumidoque inflatur Carbasus austro:

Seneca.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,

Terrasque suas post terga videns
Animam levibus credidit auris,
Dubioque secans aquora cursu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vita mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
Instat, nautis sava tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument.
Tendunt vela Noti, fugimus spumantibus undis.

Myoparones. Lembi sunt Piratici, nomen adepti à Paro insula, & Myunte urbe. Nam & Paron navigii genus est.

NATURÆ. NATIVITATIS.

Vide *Cali. Vita. Mortis, &c.*

Rerum natura te genuit; exspectat, & locus melior ac tutior. Illic non tremunt terræ, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt, non incendia regiones urbesque vastant, non naufragiorum totas classes sorbentium metus est. non arma contraria disposita vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium par furor. non pestilentia & ardentibus promiscuè, communes populis cadentibus rogi. *Seneca.*

De *Natalibus ominosis* vide lib. 2. Fatid. *Parentis mei* pag. 585.

De *Natalium felicibus prodigiis* Ibid. pag. 246.

De *Natalium infaustis prodigiis.* Ibid. pag. 250.

Natali, Corvine, die mihi dulcior hac lux,
Quâ festus promissa Deis animalia cespes
Exspectat: niveam Regina cadimus agnam. Iuvenal. Sat. XII.

Cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, & stratâ positus, longaque cathedrâ
Munera fœmineis tractas secreta Kalendis. Idem Sat. 9.

De libis natalitiis legatur *Ovidius* lib. v. Eleg. VI.

Phyllida

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola. Virg. Ecl. 3.

NECESSITAS. Vide *Fatum.*

NEcessitas me subigit ut te rogem. Fuit aliquis fatalis casus, quem tulimus.

Tempori cedere, necessitati parere. Hæc sunt vincula temporum, id est, necessitas.

Coactus sum rerum necessitudine. Insolitis omnia necessitatibus strepunt.

Quod factum est semel, infectum esse nequit. Ingens telum necessitas.

Feras, non culpes, quod vitari non potest. *Seneca.*

Thales rogatus, quid esset in tota rerum natura robustissimum? *Resp.* Necessitas superat omnia.

Plato necessitatis leges tam duras esse dicebat, ut ne quidem Deus ipse eas violare posset.

Diomedea necessitas. Sive de Diomede Thrace sumptum, qui hospites cum filiabus suis rem habentes occidebat.

Alii tradunt, cum Vlysses & Diomedes noctu furati Palladium, in castra redirent, Vlyssem ponè sequentem, stricto gladio interficere voluisse Diomedem: qui conspecta per lunam gladii umbra territus, Vlyssem, verberans ejus scapulas ense, præcidere coëgerit.

Græcus Pphilosophus ita Necessitatem definivit: *Κρίσις βεβαία καὶ ἀμετάτρεπτος δύναμις τῆς προνοίας, Firma sanctio & immutabilis providentiæ potestas.*

Necessitas magnum humanæ infelicitatis est patrocinium. *Seneca.*

Abominandæ necessitatis amarissimæ leges & truculentissima imperia. *Val. Max.*

Plus Fatum, quàm mortale ingenium humanaque sapientia potest polletque. *P. Amyl. lib.* 6.

Occulta vis Fati sæpe numero prudentes ad insaniam vertit. *P. Iovius.* 3. *Hist.*

De NECESSITATE vide plura egregia in *Val. Max. cap.*VI. *lib.*VII.

NEGANDI.

IRe inficias. Lingua abjurant, si quid creditum est.

Apprimè hoc vetus didicisti, *si quid fecisti, nega.*

Veritatem dissimulare. Nihil quod homini accidere possit, recusare debemus.

Inficias tantum accusativi casus est, & pl. num. & & solum cum *eo, is*, jungitur & sine præpositione.

Aliam quercum excute. In eos qui perpetuò ab iisdem quid petunt.

Victitabant olim primi mortales glandibus, ad eos igitur, qui quercus speculabantur gravidæne essent, an inanes, dicebant, *aliam quercum excute.*

NEGOTIORUM. *Agendi. Actionis.* Vide *Muneris. Offic.*

QUod tu occœperis negotium agere, id totum procedit diem.

Rem facessere alicui. Multum negotii creare.

Nunc homo in medio luto hæret. Onerosa me premit laborum moles.

Sub pondere laborum deficio. Advocare aliquem in partem negotiorum.

Astu rem tractavit. Negotiis se implicare. Occupationibus distringi.

Negotiorum fluctibus opprimi, submergi.

Animum tuum nunquam ita merge undis illis rerum: ut non emergat interdum & respiret inter literarum flores, ut Poëseos pigmenta; sed & pascat eum interdum fortior lectio, & sapientiæ collem illum lustret. *Lipsius.*

Magni conatus & negotia quam sæpe fuerint irrita, docet egregiè *Camerar. Cent.*I. *Cap.*81.

Nescienda. *Inscitia.* Vide *Ignorantia.*

Homine imperito nihil quicquam est injustius, qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. *Terent.*

Nihil temerè me unquam præterit. Homo infans atque impotens.

Omnibus infantiæ suæ maciem publicare. Hæc Minerva tua rancidior est.

Verba jejuna loqui. Verba nullo sale atque lepore condita loqui.

Homo tenuis facundiæ & paupertini Ingenii. Magna in me est Ingenii exilitas.

Conscius mihi sum arentis infantiæ.

Noctis. Vide *Diei.*

Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ:
Et sol crescentes discedens duplicat umbras.
Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divum gratissima serpit.
Nox erat, & terris animalia somnus habebat.
Sol ruit interea & montes umbrantur opaci.
Jam labor exiguus Phœbo restabat, equique
Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi.
Pronus erat Titan inclinatoque petebat
Hesperium temone fretum.
Nox cælum sparserat astris.
Presserat occiduus Tartessia littora Phœbus.
Interea placidam redimita papavere frontem
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.
Tingitur Oceano custos Erymanthidos Ursæ.
Nox erat, & bifores intrabat luna fenestras.
Phœbus ad Hesperiam Tethyn jam flectere cursu
Cœperat.
Nox atra cava circumvolat umbra.
Tacita per amica silentia Lunæ. Ubi cælum condidit

umbra Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem. Nox atra obscuris tenebrarum adremigat alis.

Et jam nox humida cælum
Præcipitat, suadent que cadentia sidera somnos.

Quia impossibile videbatur per totam noctem vigilantes singulos in speculis permanere, ideò in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare.

Nox à nocendo, quod oculis noceat. vel à Gr. *νὺξ*. Nox est terræ umbra & solis privatio. Hinc *Nyctelius* dictus Bacchus, quod ejus sacra noctu celebrabantur. Ipsa umbra terræ soli officiens noctem efficit. Cic.

Noctis partes *Vespera*, *Crepusculum*, h. e. dubia lux. *Prima fax. Concubium, nox intempesta, Gallicinium*, *Conticinium*, & *Diluculum*.

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat. Virg.
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos. Lucan.

NOCTIS *Media. Æquinoctii.*

Noctis erat medium, curasque & corpora somnus
Solverat.

Iamque tenebat Nox medium cæli spatium.
Scandebat roseo medii fastigia cæli
Luna jugo, totis ubi somnus inertior alis.
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Tempus erat, quo libra pares examinat horas
Non uno plus aqua die.
Impositamque sibi, qui non benè pertulit Hellen
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

Media tempora noctis erant. Orbem medium nox atra subibit. Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.

Blandi cum nuncia Veris hirundo, Admonet æquales cum lucibus esse tenebras.

Namque ibi perpetuo cum sit nox æqua diei.
Cum hic æqua dies semper cum nocte recurrat.
Qua mora metitur lucos, metitur & umbras.

De

De UMBRA vide *Iohannem VVouerum*, qui doctissimè hoc argumentum tractat, nec sine solibus in *libello de umbra* cap x.

Umbra Romanis victoriam perperit. Flavianis adversum Vitellianos. & Mario adversum Iugurtham, &c.

Umbra regina tenebrarum; religionem homines docuit; lucos, speluncas, stagna sacra reddidit.

De NOCTAMBULONIDUS lege Fatid. lib. 2. *Ed. Neub.* pag. 14.

NOBILITATIS. Vide *Prosapia. Gloria.*

NEmo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. *Seneca.*

Qui imagines in atrio exponunt & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, non magis quàm nobiles sunt. *Seneca.*

Vnus omnium parens mundus est, sive per splendidos, sive per sordidos gradus: ad hunc prima cujusque origo perducitur.

Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Animus facit nobilem.

In Ægypto, in domorum vestibulis alas vulturum proponere, indicium nobilitatis & vetustatis familiæ erat.

Quis generosus? Ad virtutem benè à natura compositus.

Nobilitati in pace durius servitium est. *Tacitus.*

Socrates rogatus quid esset nobilitas? *Resp.* animæ & corporis bona temperies.

Democritus dixit, pecudum nobilitatem consistere in valido corpore, hominum autem in bonitate morum.

Ciceroni cum generis ignobilitas objiceretur: satius est (inquit) meis gestis florere, quàm majorum opinione

ne uti, & ita vivere ut sim meis posteris initium nobilitatis, & virtutis exemplum.

Diogenes nobilitatem dixit esse velamen malitiæ.

Quem paulò ante vili amictum sagulo, in rustico perone, servilem locare operam vidimus, ut nactus rem est, illico gentem stirpemque sui generis effert.

Hi à censu & pecuniis nobilitatem auspicantur: ut oblitæ auro vestes ocreæque; ita generis dignitatem opibus venire arbitrati. Alii misto nuptiis sanguine à stolâ & colo stirpem ducunt: parum referre putantes, utro de sexu condendi generis initium sumatur. Sunt, qui malis nequitiarum artibus inclarescunt. *Neuhusius.*

Vulgus hominum ex virtute generis nascendique fortuna nobilitatem æstumat; si veteres in atriis ceras, fumosasque majorum imagines longa ostendere serie possit; ille clarus insignisque habetur.

Vera Nobilitas est ex virtutis actione: ut non quam illustri aliquis genere, claroque parentum descendat à sanguine; sed quantum excellentis animi vi sapientiaque alios antevertat, consideretur.

Optimus quisque nobilissimus est. In cujusque animo virtus inest, illi plurimum tribuendum.

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos
Et Curios jam dimidios, nasumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis, nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Fumosos Equitum cum Dictatore magistros,
Si coram Lepidis malè vivitur? Sat. VIII. Juvenal.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paullus vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum.

Præ-

Præcedant ipsas illi te consule virgas : Ibidem.

Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus
Æthiopem, Cycnum: Parvam, extortamque puellam,
Europen, &c. Ibidem.

At tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput est, tuâ vivit imago. Ibidem.

Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim. Miserum est, aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Summum crede nefas animam præferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, cenet licet ostrea centum
Gaurana, & Cosmi toto mergatur aheno. Ibidem.
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures :
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis. Iuvenal. Sat. 8.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. Ibidem.

Sed Roma parentem,
Roma patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro, &c.
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem, &c.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerint
Nomina. pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis atque omni plebe Latinâ
Sufficiunt Diis infernis, &c. Ibidem.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis. Vulcaniaque arma capessas,
Quàm Te Thersitæ similem producat Achilles. Ibidem.

Democritus interrogatus, in quo nobilitas
ſteret, *Pecudum*, inquit, *in bono validoq; corporis h*
Hominum autem in bonitate morum. Cui *Dioge*
ſentit: qui contemptores opum, vanæque glo
voluptatis, hominum nobiliſſimos dicebat.

Nunc vel ſola virtutis agere opus pecunia p
quæ Domina & Regina rerum humanarum cu
ma genus largitur & dignitatem.

Aurum quiſquis habet, cælum mercatur & aſtra
Captivoſque tenet ſub ditione Deos.
Nobilis eſt ſolus Virtute inſignis & arte,
Virtus nobilibus clarior una viris.
Nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus: Qui genus jactat ſuum,
Aliena laudat. Seneca.

Metello quanquam virtus, gloria, atque alia
da bonis ſuperabant, tamen inerat contemp
mus, & ſuperbia, commune nobilitatis malu
luſt.

Quod ex alienâ virtute ſibi arrogant, id
meâ non concedunt. ſcilicet, quia imagines
beo, & quia mihi nova nobilitas eſt: quam c
periſſe melius eſt, quàm acceptam corrupiſſe.

Majorum gloria poſteris lumen eſt, nequ
neque mala eorum in occulto patitur. *Idem.*

At ſi res poſtulat, *Marius inquit.* haſtas, v
phaleras, alia dona militaria, præterea cicatr
verſo corpore. Hæ ſunt meæ imagines, hæc
non hæreditate relicta, ut illa illis, ſed, quæ
ximis meis laboribus & periculis quæſivi. *Ide*

Vanum de nobilitate judicium reprehendi
Serm. lib. 1. *Sat.* 6.

De nobilitate lege Parentem meum in Th
Hum.

Et politicam *Schonborn. cap.* 39. *lib.* 3. de N
& ordine Equeſtri.

NOM

NOMINIS. *Cognominis. à naturalibus sive accidentalibus casibus.*

EST mihi nomen Mercurii. Quid nomen est Tibi? Quî vocare? Indere alicui nomen. Pater mihi dedit Antonio nomen.

Fraudare aliquem suo nomine. Hoc nomine ille est. Henricus est huic nomen principi.

Avus illi puero immutavit nomen.

Romani, qui cum aliquem honorificè, ut libertum aut ingenuum appellabant, prænomine salutabant. Prænomen est, quo frater à fratre distinguitur: alter Publius, alter Lucius si dicatur. Sic Polybius Africanum semper Publium vocat. Apud nos penè contumelia & vitium; aut maxima familiaritas est, prænomine aliquem salutare.

Sic *Romuli* cognomen fuit, *Quirinus*, ab hasta, quam portabat; quam Sabini vocabant *Quirim*, sive *Curim*.

Agrippa dicuntur ab ægro partu, qui nascuntur in pedes, quod est contra naturâm. Ita natum ferunt Agrippam. *Ancus*, quod aduncum habet brachium, nec exporrigi potest. *Aquili*, qui sunt naso forinsecus externo. *Balbi*, *Blæs. Bronci*, qui ore sunt producto & dentibus prominentibus. *Buccones*, *Buculci*, *Fatui*, *Fungi*, *Bardi*. *Coclites* vocantur, qui alterno lumine orbi nasc. *Capella*, à capillorum hirsutie. *Chilones*, qui sunt majoribus labris. *Cordus*, qui serò nascitur. *Hala*, à fædo oris halitu. *Lenates*, à crebro usu Lenæ vestis. *Nasica*, à naribus obuncis. *Nerva*, à fortitudine nervorum. *Planci*, qui supra modum pedes planos habent. *Scauri* qui sunt eminentibus talis. *Valgi*. *Vari*, &c. *vide offic. Text. lib. 2. cap. 20.*

De *Nominum Ominibus* lege lib. 2. Fatid. *Edonis Neuhusii* pag. 562.

Ibidem de Ominibus divinis. pag. 546.

NUGARUM. Vide *Argutiarum. loci. Stultitia.*

NUgæ, videtur venire à non & ago. Nugis blattis. Deliramenta loqueris. Somnium narras. *Plaut.*

Maximas nugas agis. Garrire nugas soleo. Quas tu mihi tricas narras. Sycophanta hic nequam est. *Idem.*

Logos ridiculos vendere. Facetias facere. Ad ineptias abire. In eo est multus lepos

Ingeniosè, festivè, venustè, bellè, lepidè jocatur. Ad sapientiam hujus ille nimius nugator fuit.

Cicero objurgantibus, quod homo sexagenarius puellam virginem duxisset: Cras, inquit, mulier erit.

Rhinoceros cornu gerit in naribus: ita quorundam sales dentati sunt & aculeati.

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Lyra Lyra. Hæc veteres pro nugis & frivolis posuerunt. *Plautus:* Gerræ germanæ, atque edepol Lyræ Lyræ. Vide *Electa nostra Comica.*

Cneus Crassus videns aliquando aliquem suorum militum sine armis, exclamavit; utere nunc pugnis tuis, quia arma domi habes.

Olim quis in Hispania, quicquid ederet, perspicillo utebatur, ut rerum magnitudine majores sibi delicias pararet.

Jocabatur cum aliquo *Philippus* Hispaniæ R. quod ederet perspicillo naso imposito: cui ille *Resp.* cum non videatur novum, quod admoto oculario legam epistolas, quæ vetet ratio, quod nunc pisces multas habentes pinnulas edam adhibito perspicillo?

Risit aliquando in fabulis *Iupiter*, cum animalia de certamine pulchritudinis convenissent.

Sed non antequam prodigiosam suam sobolem simia ostendisset. Simia hoc valde lætata: *Ridet & videt*, inquit, *Iupiter meam sobolem esse pulcherrimam.*

Ex Pontano.

Rusticani hominis F. ex Academia domum reversus, & à patre de scientia sæpe tentatus, semper respondebat tempus nondum adesse, ut specimen daret. Accubuit aliquando cum parentibus. posita patri ova assa tria. Ibi tum Filius: nunc ego pater, quid didicerim,

didicerim; ostendam tibi, & probabo hîc ova esse quinque. Quomodo? quia, ubi tria sunt, & duo, sunt quinque. Tum Pater: Benè est, Fili, laudo acumen tuum. *Ego itaque ex istis quinque edam duo, unum dabo matri. Cætera duo tu comedes.*

Ad supplicium luendum educebatur homo hæreticus. Hunc dum preco ad mortem æquâ mente hortatur, injicit suavi voce: Bonum habeto animum, mi Frater; sub horam XI. in paradisum cælestem pervenies. Tum ille: *Ego verò si vel tertiâ pomeridiana eò pervenirem, satis citò me pervenisse putarem.*

Propter erepta VI. aut VII. poma herus servum domo expulerat. Malè ferebant conservi. Propter VII. poma, inquiunt, conservum ejecisti. At ille: *num nescitis Adamum propter unicum pomum exactum?*

Mulier maritum in jus vocabat, inquiens, mihi paupertatem absumit (reculam suam sic appellabat) Falsum loqueris Resp maritus. *Non ego paupertatem tuam tibi absumo; sed amplifico.*

A Rege Galliarum mendicus vafer in itinere stipem petebat; Rex staterem dari jussit. Inæqualiter mecum partiris, frater, ait mendiculus. Ego Frater tuus? Sic precamur, occurrit mendicus: *Pater noster, qui es in cælis.* Cùm ergo habeamus communem patrem, sequitur nos esse fratres. Miratus secum Rex enthymema; Vade, inquit, & si ab utroque fratrum tuorum tantum acceperis, scito, opes tuas longe meis majores futuras.

Iuvenis viso sene incurvo in arcus similitudinem: *quanti arcum istum vendis?* suscepit seniculus: Non opus est pecuniam dispendere. Si ad annos meos vitæ te perduxerit, ipsa natura arcum tibi similem gratis paratura est.

Scholastico navigante navis ex tempestate in discrimen veniebat. Cum vectores de oneribus ad levandam navem ejicerent, hortarenturque eum, ut idem faceret. Ille Chirographum habens centum quinquaginta myriadum, Quinquaginta delevit, dixitque: *En, quantis navim levavit!*

Scholasticus

Scholasticus condiscipulos ad cœnam vocavit. Qui cum caput porci laudâssent, petiissentque, ut apud eum etiam postridie cænarent, adiens ille coquum, *appone nobis*, inquit, *de eodem porco caput alterum*, nam hesternum perquam sapuit.

Abderites cum se vellet suspendere, fracto fune decidens, capite graviter offendit. Emplastro igitur sibi à chirurgo imposito, *abiit & denuò se suspendit*.

Abderites pelvim, aures (ansas) non habentem vendens, causam dixit esse, *ne si se vendi audiret, aufugeret*.

Abderites Rhodum profectus, ipso nomine deceptus, à rosis factum putans, *muros olfaciebat*.

Sidonio cuidam cocus ait: Mutuare mihi gladium usque Smyrnam. Resp. Sidonius: *non habeo gladium, qui Smyrnam usque pertingat*.

Cumanum ægrotantem visebat medicus. Qui cum convaluisset, declinabat occurrentem medicum. quæsitus causam, Resp. *Cum tu dixeris me moriturum, erubesco vivere*.

Cumanus amicum quærens, ante ædes ipsum nominatim evocabat. Alio a. dicente ὑψηλότερον, h. e. altius clama, ut exaudiat. Relicto igitur nomine, quod norat, exclamavit: ὑψηλότερε.

Morosus medicus & unoculus ægrotum interrogabat, ut haberet. Ille, ut vides. Et medicus: *Si habes, ut ego video, dimidium tui mortuum est*.

Morosum quendam ubi medicus accessit, tactâ ejus venâ, malè febricitas ait. Et ægrotus: *si tu potes melius febricitare, en lectulus, recuba & febricita*.

Sed attendite, oro, dum quiddam festivum narro de *Vino Theologico*. In urbe quadam Galliæ perantiquâ & nobili, meracissimum vini genus, *vinum Theologicum* vocant. Hujus proverbii rationem urbanè quis expedivit. De Pastoribus Christianorum scriptum est: *Peccata populi comedetis*. ad confectionem cibi adeo parum stomacho obsequentis & duri, opus esse vino quàm efficacissimo quis non intelligat?

Ludis-

Ludis anniversariis præmium ponebatur illi, qui mendacium absurdissimum commentatus esset. Cum ergo quidam de concertantibus diceret, *se vidisse pulicem incubantem globo turris excelsissimæ:* Ejus se oculum mox sagittâ ex arcu appetivisse & ejecisse. Hunc oculum decidisse, suoque casu ad octoginta hominum millia obtrivisse.

Hæc Pontanus.

Culex frigore intermortuus penè ab apibus impetravit diversorium: ut gratum se illis ostenderet, promisit se edocturum pullos ipsorum artem canendi. Non ita domine Culex, *inquit*, apicula aliqua; non istis egemus artibus. Alias nos profitemur artes, quibus victum nobis paramus. Istas igitur artes tenete Discipuli, quæ ad eruditam pietatem spectant.

In Senecione ridiculæ fatuitatis fuit indoles, mirabilem in enormi granditate ponente voluptatem. Poculis elephanteis, calceis natante pede laxis, veste pallioque ad veli formam fluido utebatur. Quotiescunque gradum faceret, grandi passu vestigia ponebat, digitis insistens pedum.

Scitum illud est *M. Catonis*. Consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, respondit, illud monstrum non esse; *sed monstrum illud habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.*

Alia ex Pontano quædam.

Scholasticus somnum capere cupiens, cum pulvinum non haberet, servo mandavit, ut amphoram supponeret. Quo dicente nimis duram esse, *jussit eam plumis impleri.*

Scholastico, cui secta erat uva, præceperat medicus, ne loqueretur qui famulo mandavit, ut suo loco salutantibus responderet. Deinde ipse cuilibet dicebat: ne pro injuriâ reputes, si pro me servus meus te resalutet, *medicus enim vetuit me loqui.*

Scholasticus fluvium trajicere volens, navim equo insidens

insidens conscendit. Percunctante quopiam, cur id faceret. *Festino*, inquit.

Scholastici Filius pilâ ludebat. in puteum despiciens, & suum ipsius simulachrum videns, *pilam ab eo repetebat*.

Scholasticus audito à quibusdam, Barbam sibi jam venire, abiens ad portam urbis, exspectabat ipsam. Causam dum alius quærit & cognoscit, *meritò*, inquit, *stultus æstimaris. unde enim scias, an non per aliam portam veniat*.

Alius conspectâ Lunâ, patrem suum rogavit, *an & aliis urbibus tales Lunæ essent?*

Alius in agro suo profundum cernens puteum, quærebat, num bona esset aqua. Agricolis respondentibus bonam esse, & parentes ejus inde bibisse: *Et quàm longa habebant colla*, inquit, *si e tam profundo potuerint bibere?*

Alius sumptibus egens, libros suos vendebat, scribensque ad patrem dicebat: gratulare nobis, *jam enim libri nos alunt*.

Scholasticus cum filium funere extulisset, & postea magistro ejus occurreret: *ignosce*, inquit, *quod Filius meus in ludum non venit, mortuus enim est. Hæc Pontanus*.

Βατραχομυομαχίαν lusit Homerus. Maro Culicem. Moretum Ovidius. Busiridem laudavit Polycrates. Injustitiam Glauco. Thersitem & Quartanam Febrim Phavorinus. Calvitium Synesius. Muscam & Parasiticam Lucianus. Plutarchus Grylli cum Vlysse Dialogum. Lucianus & Apulejus asinum. Et, nescio, quis Grunnii Crocottæ porcelli testamentum. De hoc testamento lege *Eras. Chiliad. Adag. in fine*.

Samper hæc ingenuis libertas fuit, ut in communem hominum vitam salibus luderent impunè, modò ne licentia in rabiem exiret.

Stultitia suo Numine deos atque homines exhilarat. *Eras. in Moriâ*.

Pulcherrimum Sophoclis de nobis elogium: ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος.

Ad

Ad Lethes nostræ fontem, nam in insulis fortunatis oritur, eos produco, ut simul atque illic longa potarint oblivia, paulatim dilutis animi curis repubescant. Eras. de *Moriâ suâ*.

Eant nunc stultissimi mortales, & Medeas, Circes, Veneres, Auroras, & fontem, nescio, quem requirant, quo sibi juventam restituant, cum id sola præstare possim & soleam. *Ibid.*

NUMERI. *Magnitudinis.*

Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet.
Sylva feras quot alit, quot piscibus unda natatur,
Et tenerum pennis aera pulsat avis.
Quot frutices sylva, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet.
Quam multa madidæ celantur arundine fossæ,
Florida quam multas Hybla tuetur apes.
Quam multa in foliis avium se millia condunt.
Quam multa in Sylvis, Autumni frigore primo,
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immitit apricis.
Quam multi Lybico volvantur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis.
Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Æquore quot pisces, fronde teguntur aves.
Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
Cærula quot baccas Palladis arbor habet,
Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores.

NUMERANDI. *Computandi.* Vide *Mensura.*

PUtare cum aliquo. Dispuncta est ratio cum illo. In numerum nostrum te aggregare soleo.

Rationes colligere. Afferre rationes. Subduxi ratiunculam, quantum æris mihi sit,

Accepti & expensi rationem habere. Accepti & expensi ratio inter nos convenit.

Rationes confectas & consolidatas deponere.

Plato à malo Dæmone unà cum talorum & alearum ludo primùm monstratam ait Arithmeticam.

Inquit *Agrippa*: Nec quicquam veri superest Arithmeticis, quam insensatus & inanimatus numerus: Atque tamen hinc sese divinos homines agere arbitrantur, quod sciant numerare.

Multas esse causas cur septenarius *plenus* vocetur. *Macrobium vide lib.* I. *cap.* VI.

NUNCII. Vide *Fama*.

BOnis nunciis aliquem afficere. Purum accepit nuncium. Nunciare aliquam rem ad aliquem.

Beare aliquem læto nuncio. Acerbum nuncium alicui deferre.

Internuncios ultro citroque mittere.

Aliquis Anglorum Regi Henrico diem mortis prædixerat. Res ad regem defertur. invitatur astrologus. annuit peritum se talium. tum Rex: dic igitur mihi ubi tu futurus es his natalitiis? hærebat. Ergo, inquit, Rex.

NUPTIARUM. Vide *Conjugii*. *Amoris*.

DE *Nuptiali societate* vide lib. 3. *Fatidicorum*. p. m. Parentis. 168.

De Nuptiarum ritu lege *Rosinum* cap. XXXVII. lib. V.

De Lege Oppia vide *Rosinum*.

Nuptialis societas cum illustribus familiis contracta, multis fuit dignitatis causa.

Desine matronas sectarier: unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt: ne, si facies, ut sæpe, decora

Molli

Molli fulta pede est, emptorem inducat biantem, &c. vide Horat lib. 1. serm. satyr. 2.

Namque parabilem amo Venerem, facilemque.
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam det natura videri.
Hæc ubi suppoſuit dextro corpus mihi lævum,
Ilia & Egeria est: do nomen quodlibet illi. Ibidem.

Tæda accipitur pro Nuptiis, ſive ipſo conjugio. mos enim erat apud antiquos, ut in nuptiis faces & tædæ præirent. quia olim niſi per noctem nubentes ducebantur à ſponſis.

O.

OBEDIENTIÆ. *Serviendi.*

MOrdicus quid tenere. Ad unguiculi crepitum gerere alicui morem. Dictum, factum.

Dicto alicujus eſſe obedientem. Obſequioſus mihi ſemper fuiſti.

Præceptori ſuo morigerari mos bonus eſt. Filia mea meis moribus vivit morigera.

Auſcultare alicui. Sarta tecta tua præcepta habui. Imperium alicujus obſervare.

Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere.

Lipſius. Sol, Luna, Sidera, elementa, & omnia hæc ſæcla animantium parent non invita & obediunt ſupremo illi Deo: Nobiliſſimum rerum homo ſolus in conditorem ſuum calces jacit.

Qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimam ſervitutis effugit. *Seneca.*

OBEDIENTIA.

Regia, Libertas, res eſt; ſed Regibus ipſis
Fas eſt in leges vivere ſponte ſuas.
Nec facile hæc mundi ſubſiſtat machina: ſi non
Res una alterius ſerviat obſequio.
Utrinque officiis ſic magna minorque poteſtas
Eſt data. Sic Homines mutua turba ſumus.

Sola

Sola DEI *Virtus causis, ita legibus expers,*
Cuncta supercilii qui gravitate movet.
Imperiis igitur nunquam parere recusa,
Qui nondum liber, juris & ipse tui es.

OBLIGATIONIS.

VAdatum me hoc munere velim credas. Cujus rei nomine vadari me tibi in majoris gratiæ modum fateor.

Obligare aliquem militiæ Sacramento. Validè alicui se obligare.

OBVIANDI. *Occurrendi.* Vide. *Eundi.*

EAmus adversum Vxori. Obviam occurrebant suis quæque amatoribus.

Tu facito ante solis occasum venias advorsum mihi.

Bona Scæva strenaque obviam processit mihi. Optimè te mihi offers.

Currere alicui obviam. Obvius mihi factus media in via.

Opportunè te obtulisti mihi. Ibo illi adversum.

OCCASIONIS. *Opportunitatis.* Vide *Temporis.*

TEmpus huic occasioni se subterduxit. Occasionem datam opprimere.

Ea occasio quasi nunc decidit de cælo. Non potuisti magis per tempus advenire.

Non potuit ipsa Opportunitas opportunius advenire. In ipso temporis articulo advenisti.

Votiva mihi emersit occasio. At enim nihil est, nisi dum calet, hoc agitur.

Per tempus advenis. Auspicato huc me attulit. Ad eam rem tempus non erat.

E re nata melius haud fieri potest.

Fronte capillata, post est occasio calva.

Græci dicunt: Καιρός ἐςι τ̃ νόμων κρεῖτον πολύ. Occasio longè melior est legibus.

Pittacus Mitylenus, unus ex septem sapientibus dicere solebat γνῶθι καιρὸν, *hoc est*, nosce tempestivitatem.

OBSCURITATIS. *Tenebrarum, Cæcitatis.* Vide *Videndi. Noctis,* &c.

NArratio obscura totam obcæcat orationem. Isti orationi Oedipo opus est conjectore: qui Sphingi interpres fuit.

Nec Apollo quid sibi hæc velint, intelliget.

Nunc occultè cuniculis oppugnatur. Latent ista omnia crassis occultata tenebris, & multa circumfusa nocte.

In oratione obscuritatis latebram adhibere. Cimmeriis involvi tenebris. Indoctorum animis affusa caligo est.

Meis oculis crassus offunditur aër. Vmbra terræ soli officiens noctem efficit.

Officere alicujus luminibus.

Quid oculis meis faciam? qui jam fessi obtenebrant ad adscititium lumen. Rem tibi dico, ego ille olim Lynceus, aut ut fabulam omittam, visu serpens defeci, & pro æthereis illis oculis ad vitreos confugi. *Lips.*

Alba amussu. De iis, qui obscura obscuris notant. *Non lectore tuis opus est; sed Apolline libris.*

OCCULTANDI. *Abscondendi.*

NEmo facilè me inveniat, ita probè in latebris sum. Hoc negotium totum me clam est. Ego meorum solus sum meus.

Delituit in quadam cauponula. In latebram mirificè se conjecit.

In interiorem partem se ædium abscondit. Vt sæpè summa in occulto latent.

Summis ingredi pedibus. In aurem dicere. Terra defossum habet. Laneis pedibus incedere.

Vrit

Vrit absque torre. Sine arbitris hoc egit.

Nolui tibi hæc dicere; non tamen latere volui.

OCCUPATIONIS. Vide *Negotii.*

ILli dudum amor negotium exhibuit. Ex e
gere potest, quanta occupatione distinear.

Magnis negotiorum undis se involvere. C
sessus sum domesticis negotiis.

Multum negotii sibi vendicare. Occupatio
in procinctu tenent.

Animum tuum nunquam ita merge undis
tum, ut non emergat interdum & respiret in
rarum flores, ut Poëseos pigmenta, sed &
eum interdum fortior lectio & sapientiæ co
lum lustret. *Lips.*

ODORIS. *Fœtoris. Nasi.*

FOetida anima nasum oppugnat. Odore nas
tit. *Plaut.*

Olet homo quidem malo suo. Ex isto loco
tur nasum odore inlucido. *Idem.*

Arrabius Murrhinusque omnes odor c
bat.

Aromata ut odorem semper aliquem ad
tangenti: sic boni & modesti auram aliquam
tutis. *Lips.*

Adunco aliquem naso suspendere. Magnur
clamat, *& ad calicem vigilanti stertit naso.*

Amaracus. hic Puer regius unguentarius fu
casu lapsus dum ferret unguenta, majorem ex
sione odorem creavit. Unde optima unguent
racina dicuntur. *Amaracinum olet.*

Quis verò hic jam à Naso incolumem se p
Quaquà oculos flecto obsessum circumventum
à nasis video, obesis, mungosis, pustulosis, em
crispantibus, simis, aquilinis, acutis, depressis,
retortis. *Neuhusius.*

Sed in hoc homine nasumne video, an classico canendo tubam, aut Elephanti promuscidem? ita ampla propendit à fronte moles.

Forte nasum talem *Rudolphus Imp*. habuit: cui obvius in angustiore semita aulicus, cum à Satellitibus cedere juberetur, Regis, inquit, nasus viam implet,ut præterire nequeam. Subridens Rex, flexo in alterum latus naso, progredere inquit, namque amovi digitis nasum, ne te impediat. *Vide Theat. Ingen. Hum. Libr.* 1. *Cap*.4.

Nares appellari putant, quod per ea quasi foramina, odoris cujusque nari, *hoc est*, periti fiamus.

Oratio cepe & allium olet: quod inter loquendum halitus & anima eorum fœtet.

OMINIS. *Præsagii.* Vide *Spectr. Somn. Prodig. Augurtorum. Auspic.*

PRæsagiebat hoc mihi animus. Bona est mihi Scæva. Bonam Scævam affero.

Benè mihi; benè vobis, benè amicæ meæ, benè nostris Nassoviis.

Liquido eo foras auspicio, avi sinistrâ. Introiit in ædes ater alienus canis, Anguis per impluvium decidit de tegulis. *Terent.*

Non ex alitis volatu, nec ex cantu sinistro Oscinis, nec ex tripudiis solistimis, aut somniis tibi auguror.

Scientiam auguratus tenere. Augurio operam dare. Majores nostri solebant aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut Dodona petere.

Gallina cecinit: interdixit Hariolus. Loqui Oracula. Nos venerari potius, quam interpretari oracula consuevimus.

Delphis tibi responsum dicito. Non Apollinis adeò verum est, atque hoc responsum.

In antro Cumano Literas legit, Dodonam loqui frondibus audiit, & de spiraculis Delphicis carmina.

Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Magi

Magi tradunt, Vespertilionem, si sit circumla[t]
domi vivus, & per fenestram inverso capite infigatu[r]
amuletum esse, *hoc est*, omne genus remedii advers[us]
cuncta mala.

Inter protensa Magicæ vanitatis mendacia hoc qu[o]
que tradunt Magi: Cor bubonis impositum ma[m]
mæ mulieris sinistræ, efficere ut omnia secreta pr[o]
nunciet.

Protagoras, cum fascem lignorum eleganter co[m]
posuisset, dignus à Democrito judicatus fuit, qui ph[i]
losophiæ operam daret.

Zoroastres Bactrianorum R. modò natus risisse di[ci]
tur, cum alii infantes jam editi vitam à lacrymis a[u]
spicarentur Quod manifessimum magnæ & egreg[iæ]
indolis præsagium fuit, & ex eventu etiam apparu[it.]
Nam non tantum Magicas artes invenisse, sed [&]
mundi principia siderumque motus diligenter sp[e]
ctâsse dicitur.

Bubo conspectus est. Dion in Romanorum Histor[ia]
ait, illam avem portendere calamitates.

De Ominibus divinis lege *Fatidica Parentis m*[…]
Lib. 2. Cap. xxx. pag. 546.

De Ominatione ex verbis & nominibus propri[is]
Cap. seq.

Cum *L. Paullo Cos.* forte evenisset, ut bellum cu[m]
rege Perse gereret, & domum è Curiâ regressus, [fi]
liolam suam nomine *Tertiam*, quæ tum admodu[m]
erat parvula, osculatus, tristem animadverteret: i[n]
terrogavit, quid ita eo vultu esset. quæ respondi[t]
Persam periisse. decesserat autem catellus, quem puel[la]
in deliciis habuerat, nomine *Persa*. Arripuit om[en]
Paullus. *Val. Max. lib. 1. cap. v.*

OPINIONIS. Vide *Sententia. Consilii. Iudicii. Imaginationis.*

ITa fert mea sententia. Mea secus est senten[-]
tia.

Inspicere alicujus sententiam. Meum sensum ti[bi]
ostendam.

I

De propoſita virtutis ſententia non dimovebor. Homines ſic habent perſuaſum.

Oppreſſi jam ſumus opinionibus. Inveteravit opinio, ſermo percrebuit. Evellere ex animis hominum opinionem.

Stabilis apud me permanet opinio. Plane inficimur opinionum pravitate.

Opinionum hæc aura peſtilens, quæ cælum noſtrum infecit, me non afflavit & inter ægros multos & cauſarios ſanus ambulo. *Lipſ.*

Vt ii, qui tyrannidem ſublatam è civitate volunt, tollunt ante omnia evertuntque arcem: ſic nobis, ſi ſeriò ad bonam mentem pergimus, dejiciendum caſtellum hoc opinionum. *Lipſ.*

Oculus, qui per nebulam aut aquam inſpicit, res metitur falſo modo: ſic animus, qui per opinionis nubem. *Idem.*

Recta ratio eſt non aliud, quàm de rebus humanis diviniſque verum judicium & ſenſus. Opinio huic contraria. Cave hæc tibi imponat. *Idem.*

Magnus erectuſque animus non includit ſe iſtis ab opinione terminis; ſed cogitatione & ſenſu totum hoc univerſum complectitur, ut ſuum. *Idem.*

Vidimus ſtultos & riſimus, quos cuſtos aut Magiſter alligabat graminis vel exigui fili nodo. Atque illi ſtabant, quaſi ferro aut verâ compede devincti. Similis noſtra hæc amentia, qui futili opinionis vinculo adſtringimur ad certam terræ partem. *Idem.*

Vt *chamæleon*, quoniam, ut ajunt, non cibo veſcitur, hianti ſemper eſt ore: ſic illi cupidine, quos ventus inflavit vulgarium opinionum. *Idem.*

Quæ in veritate ſunt, debent iis præferri, quæ in opinione ſunt.

Lipſius. Sicut muſto tempus dandum eſt ut dedeſpumet: ſic animis, ut feces illas ejiciant opinionum.

Idem. Sicut equas in Iberia à vento concipere ajunt Favonio; ſed evanido fœtu: ſic qui ab opinione blandiente gravidi ſunt, nihil pariunt, tumidi utres.

Alexander volens scire hominum opiniones de sese, advocavit populum, & jussit, ut amicos suos de omnibus facerent certiores, postridie esse in aciem & pugnam eundum. Parent. Alexander Tabellarios, cum in viam se dedissent, cum literis revocavit, eas legit, & omnia expiscatur.

Socrates. Inanes utres ventus inflat: sic stultos homines opinio.

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usque
Auroram, & Gangem pauci cognoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula.
Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ. & torrens dicendi copia multis,
Et suâ mortifera est facundia.
Sed, plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & *cuncta exsuperans patrimonia census,*
Quantò Delphinis balæna Britannica major. Iuvenal. Sat.x.

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis:
Divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus. tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro. Ibidem.

OSCULANDI. Vide *Amoris. Conjugii. Adulterii.*

DAre alicui suavium. Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam. *Plaut.*

Vt osculatur Senex Capuli decus. Cave ne nimia mellis dulcedine diutinam bilis amaritudinem trahas.

Facere suavium volo. Qui vult cubare pandit saltum suaviis. *Idem.*

Neu in osculum, neu in complexum te sollicito maritatum.

Limare

Limare caput alicui. Vbi isti sunt, quibus vos oculi estis, quibus vita, quibus deliciæ estis, quibus suavia. Mammillæ millitæ? *Idem.*

Vna aderit mulier lepida, tibi suavia super suavia quæ det. Vti labra ad labella adjungit. *Idem.*

Teneris labellis molles morsiunculæ. Cui labella mordebis? *Idem.*

Capita nimis nexa inter se habent; labra labellis ferruminant. *Ferrumino* est jungo, consolido.

Condamus alter alterum in nervum brachialem. *Idem.*

Iucundum os oculosque suaviabor. Aliquando melius osculandi, uxor, pausam facere.

Sorbillantibus suaviis, *legitur apud Apuleium*: eleganter affectus amantis sic exprimuntur, qui impressis basiis quasi sorbet & haurit puellæ osculationes, instar ejus, qui ovum scienter sorbet.

Plinius: Oculos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere.

Tria sunt osculandi genera *Osculum*, *Basium*, *Suavium*: *Oscula* officiorum sunt, *Basia* pudicorum affectuum, *Suavia* libidinum.

Basia si cessent, fœcundaque pratia lecti,
Nassovius nullo milite tutus erit. Barlæus.
Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?
Illa licet non det, non data sume tamen. Ovid.

Amantes non contenti certâ faciei parte osculabantur os, oculos, genus, collum. Hinc *dividere oscula.* Poëtę per *Figere oscula*, nihil aliud intellexerunt, quam faciei adfixum quasi adhærere. *Libare oscula*, quando superiores osculum simplex porrigebant salutantibus. Imperatores medii ævi, collisis labris, editoque molliculo quodam ac fracto sono oscula jaciebant verius quàm dabant, atque hæc *Labrata* dicta.

Odii. Vide Iræ. Indignat. &c.

De hoc *Val. Max.* lib. 9. cap 3.

Ira quoque & odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant. Procursu celerior illa; nocendi

cupidine hoc pertinacius. Vterque consternationis plenus affectus, ac nunquam sine tormento sui violentus. quia dolorem cum inferre vult, patitur, amarâ solicitudine, ne non contingat ultio, anxius. *Val. Max.*

OTII. Vide *Feriarum. Ignorantiæ. Ignaviæ.*

AD hoc diei tempus dormitâsti in otio. Discipuli maluut esse in otio, quàm negotio.

In diem vivere, *id est*, otiosè cessare. Tempus solutum ac liberum habere.

Vacatio data est à laboribus. Amplexari otium. Magnum est solatium vacare culpâ.

Si Hispani nos nihil calefaciunt, nos hic frigore frigescimus.

Pusillum laxamenti nactus sum. Te lenta otia quærunt.

Quis oculus fascinavit quietem? Nos hic in otio rusticamur.

Longæ peregrinationis injuriam desiderata quiete commutare. Ad scalpendas aures non est otium.

Cubiculo clausus otium fovet. Cochlearum instar nusquam prorepit.

Tanquam claudus sutor totos dies domi sedet.

Frui longa otii possessione. Otium vivi hominis sepultura.

Nihil est qui piger est, nimisque id genus ego odi malè: Vigilare oportet hominem, qui vult sua tempori conficere officia.

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Otium Reges prius & beatas perdidit urbes.

Otia segnitiem pariunt gelidumque timorem.

Ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ κακά.

Variam semper dant otia mentem.

Vacuna: Olim otiosorum & vacantium fuit Dea. Sic ab Ausonio dicitur illorum Dea, qui calumnia, crimine, contumelia vacui reddebantur.

Cerni

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aqua?
Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
Immodicus contrà carpit utrumque labor.

Otium tanto pejus est somno, quod somnus duntaxat corpus, otium verò & ipsam afficit animam.

Non vides, quantò aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari jubent liberos ad studia obeunda maturè. feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt. *Seneca.*

Diogenes, otiosorum negotium *amorem* esse, quod hic affectus potissimum occupet otio deditos. Ita enim fit, ut dum otio vacant, in rem negotiosissimam incidant.

Plato admonere suos discipulos solebat: Videte pueri, ut otium in re quapiam honestâ collocetis.

Animus majore corporis sarcina eliditur, & minus agilis est.

Stet quicunque volet potens Aula culmine lubrico: Me dulcis saturet quies. Obscuro positus loco, Leni perfruar otio. Seneca.

Pisistratus aliquando videns otiosè ambulantes homines in Foro, omnes illos ad se vocari jussit, addita causa, quid ita nihil agentes diem protererent prorsus feriando, si habetis re aliqua opus, inquit, venite ad me: dabo equos ad arandum, pecunias ad agros conserendos.

Gymnosophistæ adeò otium detestati sunt, ut discipulos suos ad mensam accumbentes primum examinaverint, quid toto die profecissent. Si quid utiliter, ad cibos admittebantur; Sin aliter, ut indigni canes rejiciebantur.

Ægyptii homines otiosos, instar brutorum, sine aliquo sepulcri honore terræ mandabant.

Lacedæmonii capitalem pœnam in illos statuerunt, qui corpus otio effœminaverant.

Otiosorum pœnæ. *Camerar. Cent.* I. *cap.* XV.

Vt oculi obtutu continuo fatigantur, præsertim ubi fixè & inconniventer aliquid inspiciunt: ita mens hominis elanguescit, ejusque vigor flaccescit & hebetatur, nisi aliquâ vicissitudine & rerum varietate fulciatur. *L. Lemnius.*

Sicubi igitur nactus sis prædium suburbanum, aut fundum non procul ab urbis pomœriis, ibi terram subigito, agrum repastinato, stolones amputato, glebas effringito, &c. *Idem* ad vitandum sc. ignaviam.

Quod si hortorum cultus te magis afficit, primùm terram subactam, areis quaquaversum distinguito, quò prominentibus ac resupinis pulvinorum toris, omni ex parte ambiri possit, & herbæ noxiæ minori negotio exstirpari, &c. *Ibid. De honesto corp. & animi oblect.*

Verùm, ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invasère, fortuna simul cum moribus immutatur. *Sallust.*

Vitam sicuti peregrinantes transiêre: quibus profectò, contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque juxta æstimo. *Idem.*

Verum enim verò, is demum vivere, & frui animâ videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. *Idem.*

Vitanda est improba Syren Desidia. Horat.

Quibus pigros Ignavia sensus Lethæis habetat nebulis.

Inerti pressa veterno Mens hebet.

Sed steriles gelidaque animæ: quas imbre Megæra
Lethæo adspergens, requie sopivit inerti. Mantuanus.

Hæc fera servilis sancta fastidia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negotia sensus
Somnifero languore premit, frigentia corda
Involvit gelido densa velamine nubis. Idem de Pigritiâ.

Subrostrani.

Subrostrani. sic otiosos in Rep. fori statuas vocamus, qui publicè se tantum ostentant. illi propriè dicti, qui totos dies sub rostris sedentes, vanos tantum rumores aucupantur. Proprie

Rostra, orum, Templum erat Romæ in foro, ante curiam Hostitiam, navium Antiatium rostris adornatum: ex quo ad populum concio haberi solita. *Livius*: *Naves Antiatium partim in navalia Roma subducta, partim incensa. è rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit, Rostraque id templum appellatum.*

Legimus etiam vallum, fossas; pabuli, materiæ, lignorum adgestus; & si qua alia ex necessitate; adversus otium excogitata, ne seditio incideret, si intermitterentur solita munia. 1. *Annal.*

De Otio PRINCIPIS.

Sint illi tempora curarum remissionumque divisa, nec semper anxius & intentus agat. *Tac. Agric.*

Nec *Augustus* abhorrebat talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. 1. *Annal.*

Sed hæc lætitiæ magis, quàm lasciviæ dentur. 14. *Annal.*

Nec animo Principis per libidines corrupto, quicquam honesti inerit. 11. *Annal.*

Quid *Vitellius* ventre & gulâ sibi ipsi hostis, somno & luxu pudendus, quantum moribus corruptis libidinum circumdedit? *Annal.*

Otio Romani tam inimici, ut Deæ *Vacuna* nisi trans Tiberim templum dedicari voluerint. ne cum illâ cuiquam in urbe esset commercium.

Cavendum summopere, ne tam pestilentem colubrum, instar Æsopi agricolæ, proprio sinu & foco ad privatam perniciem & damnum publicum foveamus.

Pigritia, falsis rerum imaginibus, tanquam furor aliquis, hominum mentes exagitat. & sicut de quodam genere Dæmonum, metallicis infestissimum, efficit, ut homines alienis se negotiis immisceant;

Cumque nihil agant, omnia agere simulent. *Agricola.*

Ideo *Curius Dentatus* benedixit: Malle se esse, quàm vivere mortuum.

Et *Aristoteles*: Homines ignavi nullo modo beati; sed felicitas in jugi & continuâ ac illustri actione consistit.

Nec insciè ille senex: qui se tantùm decem annos vixisse ajebat: eo quod à decenio solum nomen virtuti & artium studiis devovisset.

P.

PACIS. Vide *Concordia. Discord. Amicitia. Belli. Fœderis, &c.*

ADire ad pactionem cum aliquo. Concordare cum aliquo. Ferire fœdus cum aliquo.

Ego tu sum, tu es ego, unius animi sumus. In ædem concordiæ ducere aliquem.

Pacere pactionem cum aliquo. Ictum fœdus suo sanguine sancire. Sanctiones fœderum sine ulla injuria rescindere.

Fœdere & pactione alicui esse obstrictum. Concordiam cum aliquo conglutinare.

Tradunt operas mutuas. In idem conspirare. Pariter remum ducere.

In pharis Bataviæ utinam accendi posset clarum lumen pacis. Infecta pace ultrà ad ipsum venias.

Duo sunt, quibus omnis Resp. servatur. in hostes fortitudine, & domi concordiâ. *Polyb.*

Vna vetusque causa bellandi est profunda imperii cupido. *Sallust.*

Non adventus solum belli, sed & ipse metus adfert calamitatem. *Cic.*

Pacis nomen dulce est. res tam jucunda, quam salutaris. *Cic.*

Quo non modo ii, quibus natura sensum dedit; sed etiam tecta atque agri lætari videntur. *Cic.*

Ad pacem ite vos, tam quibus salus, quàm quibus gloria carissima est. *Tacitus.*

Pacis nomine involutum bellum reformido. *Cic.*

Quavis tutâ conditione pacem accipere malis, quàm viribus cum valentiore certare. *Cic.*

In bonis tuis rebus, hostium dubiis, tibi ampla ac speciosa danti pax est. *Livius.*

Cum victoriam jam prope in manibus habeas, pacem non abnuere debes. *Livius.*

Si prætermittis hoc tempus, quo dare magis, quàm accipere potes pacem, vereor, ne hæc lætitia luxuriet tibi, ac vana evadat. *Livius.*

Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria. illa in tuâ; hæc in deorum manu est. *Livius.*

Ponere arma, unum afflictis remedium. 4. *Annal.*

Pacem & concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse. *Tac.* 3. *Hist.*

Parum proficitur armis, si injuriæ sequantur. *Tac, Agric.*

Igitur *Tiberius* ne provinciæ oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritiâ aut crudelitate magistratuum tolererent, providebat. 1. *Annal. Tac.*

De Otio laudato. *Val. Max. Cap.* VIII. *lib.* 8.

Et Camerar. *Cent.* 2. *cap.* 32. 33.

Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Sallust.*

——— ——— *Pax optima rerum,*
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior.

Induciæ: sunt pax castrensis paucorum dierum.

Vetus verbum non te fallet: Sub clypeo melius succedere paci negotium.

Musonius dicebat nullas nuptias sine concordia esse honestas.

Antisthenes, Fratrum inter se concordiam dixit quovis muro firmius munimentum.

Agesilaus, à quodam rogatus, quam ob causam Sparta mœnibus non cingeretur: ostendit cives armatos

matos & unanimes: *Hi*, inquiens, *Spartæ civitatis sunt mœnia.*

Romani veteres per Lyram concordiam significarunt.

Rege incolumi mens omnibus una,
Amisso rupere fidem.

En paix un œuf qu'en guerre un bœuf.

Inducia servanda. Oratio XIII. in Tyrocinio nostro.

Contra pacem. Vide *Belli*.

Virtus militaris præstat ceteris omnibus *Cic. pro Mil.*

Ipsi Reges latent in tutelâ ac præsidio bellicæ virtutis. *Idem.*

Sunt belli, sicut pacis jura, justeque ea non minus, quàm fortiter, debes gerere. *Livius.*

In omni Rep. maximè consideranda sunt belli jura. *Cic.*

Illud est non modò justum, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. *Cic. pro Mil.*

Hoc & ratio doctis & necessitas Barbaris & mos gentibus, & feris natura ipsa præscribit, ut omnem vim quacunque ope possimus, à corpore, à capite, à vitâ propulsemus. *Idem ibidem.*

De Pace publica agit quoque *Schonborn.* in politicis *cap.7. lib.4.*

Candida pax homines, trux decet ira feras. Ovid.
Nulla salus belli; Pacem te poscimus omnes.

Æternum Numen, tu non Deus es dissensionis, sed pacis. *Paul. ad Corinth.*

O Mucro domini, quousque non requiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare & sile. *Ieremias.*

Cogita super nos *cogitationes pacis* & non afflictionis, ut des nobis *fidem* & *patientiam* : & invocabimus te & vivemus.

Nos de PACE cum Hispano celebrata diximus in *Tyrocinio nostro*, Oratione LXII. LXIII. LXIV.

Vide & Titulum hunc in *Goulartii* Phil.Hist.

P A R I E N D I.
Gignendi.

ENiti geminos. Vno partu duos peperit simul. Propinqua partitudo ei appetit.

Quam gravidam reliqui compressu meo. Vxor à viro facta est gravida.

Dii date facultatem pariundi. Liberis dare operam, re honestum, voce obscœnum.

Aucta est nostra familia accessione Filiolæ. Vt abortioni operam daret, puerumque ut enecaret.

Et cum te gravidam & pulchrè plenam adspicio, gaudeo.

Eruditi autumant deteriores esse fœtus, qui nascuntur novissimi:

Hoc natura omnibus animantibus dedit, ut habeant libidinem procreandi.

Decem annis gestare elephantem in utero vulgus existimat, ex quo est illud proverb. *Celerius Elephanti parient.*

Inter exempla felicitatis numeratur *Divus Augustus*, qui neptis suæ nepotem vidit.

L. Vives vidisse in Hispania rusticum testatur, cujus liberi ipso superstite pagum plus minus centum ædium complevissent, ut agnationis nomina inter eos jam desinerent.

P A R A S I T I. *Vide Cibi. Convivii. Coqui. Adulandi, Aula.*

Vt bona summa putes alienâ vivere quadrâ.
Si potes illa pati, quæ nec Sermentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset. Hi Principes Parasiti: apud Iuvenal. Sat. 3.
Nulla crepido vacat? nusquam pons, & tegetis pars
Dimidiâ brevior? tantine injuria Cœnæ?
Tam jejuna fames? cum possis, honestius illic
Et tremere, & sordes farris mordere canini,

Fructus amicitiæ magnæ, cibus.

Habet Trebius quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas demittere.
Sed tibi dimidio constrictus gammarus ovo
Ponitur exiguâ ferali cœna patellâ.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ.

Et ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ, &c.

In singulari Sat. v. Iuvenal. ubi Parasitica illa vita adamussim reprehenditur.

Captum te nidore suæ putat esse culinæ. Iuvenal. Sat. v.
Et quibus in solo vivendi causa palato est. Sat. XI.
Interea gustus elementa per omnia quærunt. Ibidem.

PARSIMONIÆ. *Frugalitatis.*

Vide *Abstinendi. Avaritiæ.*
Temperantiæ.

VIx Drachmis obsonatus est decem. Nimium parcè facere sumptum.

Parsimonia mihi familiaris est. Parcè ac duriter se habere.

Defraudare animum & genium suum. Cœnâ Milonianâ aliquem excipere.

Xenocratis more vivere.

Sine me alliatum fungi fortunas meas: *hoc est*, parcè & frugaliter vivere. *Plaut.*

Maximum est parsimonia vectigal. Amici observantia, res parsimonia retinentur.

Nusquam minore fui dispendio. Cum inspicio marsupium, herclè benè viaticati sumus.

Sera Parsimonia in fundo est. Magna pars libertatis est benè moratus venter. *Seneca.*

Nil cum est, nil desit tamen. Vehemens in utramque partem es nimis, aut largitate nimia, aut parsimonia. *Terent.*

Magnus est, qui fictilibus sic utitur, quàm argenteis; nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. *Seneca.*

Porus R. Indorum. ſolo pane vivebat contentus.

Alphonſus Aragonum R. dixit ſapientiam vino obſcurari.

Iberorum mulieres certæ menſuræ habent Zonam, quâ ſi venter alicujus cingi nequeat, turpe apud omnes videtur.

Plato ille divinus tantæ fuit frugalitatis ut in lautiſſimis cœnis ſal, olivas, porrum atque olera tantum ex agris apponi juſſerit.

Magni animi eſt magna contemnere ac mediocria malle, quam nimia. *Seneca.*

Hanc ergo ſanam & ſalubrem fortunam vitæ teneto, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Hanc utrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scito hominem tam benè culmo quàm auro tegi. Contemne omnia, quæ ſupervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil mirabile, cui magno nihil magnum eſt. *Idem.*

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem, nunquam eris dives. Panem & aquam natura deſiderat. Nemo ad hæc pauper eſt: intra quæ quiſquis deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo Iove de felicitate contendat. *Idem.*

Simplici cura conſtant neceſſaria: in delicias laboratur. *Idem.*

Tuta ſine telo eſt domus, Rebuſque parvis alta præſtatur
quies.

Il fault gouverner la bouche ſelon la bourſe.

Ventre nihil novi frugalius. Iuvenal. Sat.v.

Venter non eſt moleſtus creditor. parvo contentus eſt. *Seneca in Epiſt.*

Dolia nudi
Non ardent Cynici. ſi fregeris, altera fiet.
Cras domus, atque eadem plumbo commiſſa manebit.
Senſit Alexander, teſtâ cum vidit in illa

Magnum

Magnum habitatorem. Quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem. Iuvenal. Sat. xiv.

PARTICIPANDI.

PArticipem pariter ego te & tu me facias. Fac nos participes tuæ sapientiæ.

Nunc te societate commoditatis impertior. Amico animo gaudia nostra participas.

Secreta sua alicui communicare. Communicare cum aliquo res suas.

Vtemur communi jure. Utrique nostrûm res mea patebit. Impertiam tibi rem meam.

Consociabimus consilia. Quo argumento socius non sum.

PATIENTIÆ. Vide *Constantia. Audacia. Fortitud.* De Patientia vide *Val. Max. lib.3. cap.3.*

NImio id quod pudet, facilius fertur, quam illud quod piget.

Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.

Lenius omne malum fit leniter ferendo. Dimidium mali est, malum leniter ferre.

Quod fors feret, feremus æquo animo. Curarum omnium tolerans.

Post tot miserias quis non putet me didicisse Patientiam? Mollire debet dolorem Medicina patientiæ.

Etiam hujus injuriæ assumo patientiam. In voluptatibus est superesse, quod speres.

Bonus animus in mala re dimidium est mali.

Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

Hem ista virtus est, quando usus est, qui malum fert fortiter. Levamentum miseriarum est non reniti.

Apto me huic scenæ, & hilari vultu personam sustineo, quam imposuit magnus ille Ædilis.

Ne pugna cum temporibus & serva te ad meliora fata.

In re mala animo si bono utare, adjuvat.

Levius fit patientia, quicquid corrigere est nefas. *Seneca.*

Superanda omnis fortuna ferendo est.

PATIENTIA.

Nunquam bella piis desunt. Contrarius urget
Trux Satan, & Stygio Marte cruentus agit.
In mala Christiadum crudeles explicat ungues,
Retiaque incautis nocte dieque struit.
Multa boni patimur sub tristi incude malorum,
Fabulaque in terris ludibriumque sumus.
Ergone supremum fractis Ecclesia rebus
Congemuit, Pietas hospitioque caret?
Diis aliter visum. Domitrix PATIENTIA *Fati*
Leniet aerumnas, & meliora dabit.

Antigonus. Cum duo malè de ipso è vigilibus, juxta ipsum prætorium, dicerent: *Heus vos,* inquit, *paullò longius secedite.*

Vide plura *in Lips. Exempl. Pol. cap.* XVIII. *lib.* 2.

Si vis beatus esse, si fide bonâ vir bonus, fine contemnat te aliquis. *Seneca.*

Patientia est, rerum, quæcunque homini aliundè accidunt aut incidunt, voluntaria perpessio. *Lips.*

Sciat Princeps, nullum esse argumentum Magnitudinis certius, quàm nihil posse, quo instigeris, accidere. *Seneca.*

Sicut suprema pars mundi ventis, fulminibus, pluviis non turbatur: non item apices illi debent rerum.

Ille magnus & nobilis est, qui moræ magnæ feræ latratus canum securus exaudit. *Seneca.*

Potentia tua supra læsionem est. gloria, si bene agis, supra infamiam. *Lips.*

Contumeliarum patientia, ingens instrumentum est, ad tutelam regni. *Seneca.*

Lacones in publicis sacris apprecari solebant, ut possent injuriam pati. Sedatio enim & frigus decet imperantes.

Pisistratus, cujus uxor cum petulanter habita in publico: Adolescentes mane supplices ad Pisistratum deprecatum. ille a. Quid *vos vultis? mea uxor heri nusquam prodiit*. Et inposterum date operam, ut sobrii sitis.

Philippus calumniam Nicanoris non adeò malè tulit. cum amici deferrent, ille contra: *Nicanor non est pessimus Macedonum.*

Demaratus Corinthius à Philippo rogatus, Ecquid consentirent jam inter se Græci; ille ore libero: *scilicet tibi convenit de Græcorum concordia agere, qui dissides ipse à proximis tuis*. Lips.

Idem, cum parum decorè, veste reductiore sederet, quispiam è captivis clamare cepit: injuriâ se affici, esse enim se paternum Philippi amicum. Mirabatur Philippus, & dicere eum jubebat. *Apud te solum*, inquit. Accedens ad tribunal: *Heus tu vestem demitte, parum honestè sedes, &c.*

PATRIÆ.

Οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος.

T*Enso folle reverti*, hoc est, plena crumena. Hinc *follitus* à Plauto eleganter dicitur pro benè nummatus, & follibus nummariis suffarcinatus.

Nemo enim Patriam, quia magna est, amat; sed quia sua. *Seneca.*

Themistocli quidam objiciebat in jurgio, quod patriæ magis gloria, quàm sua virtute niteretur. *Resp.* At neque tu, si Atheniensis esses, nobilis: nec ego, si Seriphius.

Socrates pro tribus donis naturæ gratias agebat, quod Homo, quod Græcus, quod Atheniensis natus esset.

Aristoteles cuidam glorianti, quod esset à magnâ celebrique civitate, dicebat hoc nihil referre, sed an celebri patria dignus esset.

Anti-

Antisthenes ridere solebat Athenienses, subinde gloriantes, quod non aliunde eò commigrâssent, nec patriam sedem mutassent unquam, dicens hoc laudis esse illis cum testudinibus & cochleis commune.

Dulce solum patria est, ut piscibus aquor,
Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Excipit, immemores nec sinit esse sui.
Sedibus in patriis da mihi posse mori. Ovid.

Socrates rogatus, cujatem se esse diceret? Mundanum se esse pronunciavit.

Sic *Diogenes:* sum κοσμοπολίτης, inquit, significans forti viro omne solum patriam esse.

Cum Antistheni quidam objecisset, quod matrem haberet Phrygiam: Et Deorum, inquit, mater è Phrygia est.

Nisi censes vim nullam esse laciendi & attrahendi in natali illo solo; quod primum corpore isto pressimus, pedibus institimus; Cujus aërem hausimus; in quo infantia nostra vagiit, pueritia lusit, juventus exercita & educata est. *Lips.*

Ambitiosa illa verba sunt: *Movet me clades Patria.* non vera, in labris nata, non in fibris. quod de Polo histrione nobili est traditum, cum Athenis fabulam actitaret, in quâ dolor repręsentandus, eum filii sui defuncti ossa & urnam clam intulisse, & theatrum totum vero gemitu & luctu complêsse. Idem hic dixerim de plerisque vestrûm. Comœdiam, ô boni auditis, & veluti personâ patriæ, privata vestra damna veris & spirantibus lacrymis lugetis. *Lips. in Const. Cap.* VIII.

At cælum vera illi germanaque patria est, ad quam adspiremus, ut cum Anaxagorâ ex animo possimus dicere fatuo huic vulgo quærenti: Nihil tibi curæ patria est? mihi verò illa patria. Et digitum mentemque in æthera intendamus. *Lips.*

De charitate in Patriam vide *Offic. Text. lib.* V. *cap* 2.

Et Val. Max. cap. 6. *lib.* V.

PAU-

PAUPERTATIS. Vide *Pecuniæ. Divitiarum. Fœnoris. Egest. Prosap. Obscuro loco nati. Mendicorum.*

IMò edepol unâ literâ plus sum, quam Medicus, hoc est, Mendicus. *Plaut.*

Miserum isthuc verbum & pessimum est habuisse, & nihil habere.

Paupertas omnes artes perdocet, ubi quem attigit.

Adhæsit homini ad infimum ventrem fames. *Plaut.*

Cui cum paupertate bene convenit, dives est: non qui parum habet; sed qui plus cupit, pauper est. *Seneca.*

Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum pascat aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat. *Idem.*

Paupertas est honesta & appetenda. Pauperies meritò vitanda.

Magnum Pauperies opprobrium.

Rarò vir magnus fuit, quem non paupertas in incunabulis nutricata fuit. *Apuleius.*

De Paupertate vide *Patrem meum, in Theat. Ing. hum.* lib.2. cap.XIX. & XX.

In mendicum.

Omnia Mendicum Fata adspexêre malorum:
Cui vita à tenebris tota noverca fuit.
Omnis in alterius fragili spes nixa favore:
Quem levis unius dissipet aura noti.
Fabula divitibus semper ludusque jocusque,
Inque diem vivit tristis, egenus, inops.
Et cum dira fames stimulat prurigine ventrem,
Non est, quo ventris sedet ut ille famem.
Quid quereris, Mendice, tuos sine fœnore, Census?
Inter opes nullas est quoque nulla Fides.

Tam

Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Iactura te mergat onus. Iuvenal.

Paupertas sapientiam sortita est. Pauperes enim artes plurimas addiscunt.

Phocion paupertatem sibi gloriæ ac honori duxit, licet tot Regum amicus & Castrorum toties ductor.

Cleanthes, ut inopiam suam levaret ex puteis ad irrigandos Atheniensium hortos, noctu aquam hauriebat.

Homerus carmina sua Smyrnæ & Cumis levandæ paupertatis causa ostendit.

Protagoras Sophista victus quærendi gratia vecturas onerum corpore suo factitavit.

Plato Aristonis F. cum paupertate premeretur, ut victum sibi pararet, in militiam abiit.

Codrus Poëta, temporum suorum pauperrimus.

Ennius Poëta tam pauper fuit, ut unius puellæ ministerio usus dicatur.

Q. Horatius sua Poëmata inopiæ causa Mecœnati dedicasse fatetur.

Martialis Poëta, relicta Roma, revertens in Hispaniam Plinii viatico adjutus est.

Plautus paupertate ductus, in mola asinaria victum quærebat.

Euripidis mater lucellum faciebat in vendendis oleribus.

Hippias Phil. ad id inopiæ devenit, ut vestem, annulum, crepidas, soccos suis manibus laboraret.

Ex humili fortunâ qui divites evaserunt, *vide Offic. Text. lib. 2. cap.* XXIV.

De paupertate ac pari perib. *cap.* XXII.

Qui ex prosperis ad humilia redacti. *cap.* XXV. *Ibid.*

De Paupertate laudatâ. *Val. Max. cap. 4. lib. 4.*

De Vera paupertate agit. *Camerarius Cent. 2. cap. 74.*

Grande doloris
Ingenium, miserisque venit solertia rebus. Ovid.

Quis

Quis Psittaco exprobret suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Ingenii largitor venter, &c.

Nec obulum habet, unde restim emat. Nudior paxillo.

Priscianus putat *paxillum* esse diminutivum à palo.

Pedem ubi ponat, non habet. Ad incitas redactus. *Incita* est paupertas. Non habet cui indormiat. Animam debet.

Par animus Crœso est, sed res cum paupere Codro.

Lysander Lacedæmonius, qui exercitum Spartanorum duxit, moriens nullam argenti drachmam reliquit.

Phocion Atheniensis, qui quinquies & quadragies imperatoriam dignitatem legitur iniisse, maxima cum laude perpetuo fuit pauper. Cui cum à Philippo pecuniarum acervus dono mitteretur, noluit accipere. Hortantibus oratoribus, ut si iis carere posset, Filiis tamen eas acciperet, quibus esset valdè difficile pa-ternam dignitatem in tanta paupertate tueri. *Resp.* Si mihi similes fiant liberi, hic idem agellus, qui me ad hanc dignitatem evexit, illos educabit: sin dissimiles, nolo eorum luxuriem his opibus alere. Dignus, de quo sit diu inter Græcos Sophistas quæsitum, majorne Alexander esset, an Phocion, qui Alexandri aurum spreverat.

Aristides nulli paupertatem indecoram dixit, nisi qui inviti pauperiem ferrent. Mortuus jam senex, sumptus funeri defuit. Publica igitur impensa funeratus, & filiæ ex publico dotatæ.

Epaminondas in tantâ rerum inopiâ decessit, ut nihil in domo suâ inventum præter ferreum spiculum: cum ex suo nihil haberet, publica impensa tumulatus est.

De *eodem* dicitur, quod tam fuerit pauper, ut præter unam vestem non habuerit, quæ si reficeretur domi necessariò cogebatur se continere.

Anaxagoras dicebat sæpè: nemo simul & virtutes & divitias potest possidere.

M. Curius

M. Curius Dentatus ex fictili vase apud focum rapas comedere solitus.

Romani prisci adeò parci fuerunt, ut paternam paupertatem servare laudi duxerint.

Diogenes Cynicus dolio contra frigora & calores, eoque parum integro fuit contentus. Poculum fregit, rusticum cavis manibus potantem intuitus.

Crates Thebanus magnum argenti & auri cumulum in mare projecit. *Democritus* agros suos reliquit, eosque pascua publica fieri passus est.

Nudior Leberide. In valdè egenos: quasi dicas, Nudior serpentis exuvio.

Vt famem sitimque depellas, non est necesse, superbis assidere liminibus, nec supercilium grave, & contumeliosam etiam humanitatem pati. *Seneca.*

Parabile est, quod Natura desiderat, & appositum. ad supervacua sudatur.

Paupertas præcipuum malorum est. 14. *Annal.*

Et plebs acri annonâ fatigata, Et quibus domi res ambiguæ, & afflicta fides in pace, turbatis rebus alacres sunt. 1. *Hist.*

Et per incerta tutissimos se putant, domesticisque malis excidimur patriæ apponere & privata vulnera, Reip. malis operire statuunt. 5. *Hist.*

Quorum nimia inopia suspecta erat, ideoque his publica arma non comittebantur. De Capite censis *Val. Max. cap.* 3. *lib.* 2.

De *Paupertate* vide Titulum hunc in *Goulartii* Historicâ Philosophiâ.

Nil habuit Codrus. quis enim negat? & tamen illud
Perdidit infelix totum nil.
Si magna Asturi cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.
Lectus erat Codro Proculâ minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci: nec non & parvulus infra
Cantharus, &c. Sat. 3. Iuvenal.
Libertas pauperis hæc est.
Pulsatus rogat. & pugnis concisus adorat.
Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti. Ibidem.

Nec

Nec habet, qui porrigat ore trientem. Ibidem.

Non ebur, neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar.
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ : neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi :
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientes
Horat lib.2.od.XVIII.

Contraque lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium. Epod.,II.

Augustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat: & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ.
Vitamque sub dio & trepidis agat
In rebus. lib.3. od. 2. Horat.

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ. Horat.lib.3. od.2.

Nil habet infelix paupertas durius in se
Quam quod ridiculos homines facit.
Si fœda ac scissa lacerna
Si toga sordidula est, & ruptâ calceus alter
Pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix.
Non facile emergunt. quorum virtutibus obstat
Res angusta domi : Vide Iuvenal. Satyram 3.
Quorum cophinus fœnumque supellex. Ibid.

Lex illa naturæ , scis quos nobis terminos statuit? Non esurire, non sitire , non algere. *Seneca.*

Facilius est paupertatem laudare quàm ferre. *Idem.*

Magnæ divitiæ sunt lege naturæ composita paupertas, scilicet non esurire , non sitire, non algere. Vt famem sitimque depellas non est necesse adsidere superbis liminibus, nec supercilium grave, & contumeliosam etiam humanitatem pati. Parabile est , quod natu-

ra

ra desiderat, & expositum. Ad supervacua sudatur. *Seneca.*

Praestat supellex sobria,
Recteque parta recula,
Quàm rapta per vim Divitum
Fastidiosa copia. Buchan.
Si det oluscula mensa minuscula, pace referta;
Ne pete grandia, lautaque prandia lite repleta.
Benè est, cui Deus obtulit parca, quod satis est, manu. Horat.
O quantum bonum est Obstare nulli, carpere securas dapes!
Humi jacentem scelera non intrant casam. Sen. Trag.

Socrates dicebat eos, qui frugaliter viverent, longè plus habere voluptatis ac minus cruciatuum, quàm si indulgerent genio.

Diogenes, cum aliquando à Cratero Alexandri *M.* praefecto ad coenam invitaretur: se malle salem Athenis lingere, quam apud Craterum adipata mensa.

Idem, cum in publica via pranderet, multique cingerent eum ob spectaculi novitatem, ac subinde acclamarent, Canis, canis. Imò, inquit, *Vos potius estis canes, qui prandentem circumstatis.*

Seneca.

Nemo tam pauper vivit, quàm natus est.
Plurima sunt, quae
Non audent homines pertusâ dicere lanâ. Iuvenal. Sat.v.

PECCATI. Vide *Vitiorum.*

DEus non est author peccati. Quomodo enim inquiunt, si Deus providit peccaturum me, nec falli provisio illa potest, non necessariò peccem? Fatue. quis id negat? peccas necessariò. Sed, adde: *per tuam voluntatem*. Nempe hoc providit, ut eo modo pecces, quo providit. providit a. ut liberè. liberè igitur necessariò peccas. Satin' hoc clarum? sed urgent iterum; At enim Deus in nobis author omnis motus. Communiter author, fateor, sed, non nisi boni

ni fautor. Ad virtutem accingeris? illo ſcie vante fit? ad vitium? illo ſciente & ſinente. hìc aliqua culpa. Equum inſideo, & pello & claudum. quod impello à me eſt, quod ab ipſo. Cytharam pulſo diſſonam & ne vinctam. quod tamen diſcordat, inſtrumen eſſe fatebor, non meum. *Lipſ. in Conſt. cap.x*

Atque ſecurus es, mi homo. nemo unqu quet ſupero huic creditori. In oculis ejus c mus, quocunque fugimus. imò in nervis & *Idem*.

Gravius punior, cum me peccâſſe pudet cum peccavi. *Idem*.

Ire per anfractus audent impune malorum,
Poſtquam Diti ſat erit vitioque litatum.

Stygio niſi ſint inceſta veneno Corda homin tuan.

In genus omne ſuum ſpumam eructavit A Adamo Idem.

Qui non vetat peccare, cum poßit, jubet. Se dipo.

PECUNIÆ. Vide *Divitiarum. F* *Liberalitatis Æſtimandi. Paup. Egeſta* *Avaritiæ. Theſauri.*

Ego ſpero me hodie inventurum tibi au gentarium.

Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei tici, *hoc eſt*, qui ſunt quaſi furioſi & exire ge

Deus ancipitem Lymphaverat urbem. præſentarium poſco. Dum dos ſit nullum, tio vortitur.

Eſt enim intolerabilis res, poſcere & contemnere. Iniquiſſimum eſt te pecu gloria egeſtatis acquirere.

Odi ego aurum, multa multis ſæpè ſua ram.

Zonam perdidi: In quâ milites gereb niam.

Πλȣ̃τος τυφλός. Deus divitiarum verè cæcus est.

Cato inquit majorem curam habemus marsupii nostri, quam vitæ nostræ.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?

Teruncius est, quem *Plinius* triuncem vocat. Est quarta pars assis.

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Majore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur.

Horatius: *Quid distent æra lupinis.*

Aqud Comicos pro aureis nummis annumerantur lupini.

Sestertium. Sestertius assem & semissim continet, si pecunia sit. Sic & Sestertium quantitas est duorum pedum & semissis. At aliàs significat pedem *Dupondius*, qui duos asses facit, apud Columellam duos pedes significat. *Sestertium* interdum locum significat duorum jugerum & semissis, quod jugerum sit as.

Nummos scribere. Est nummos non præsentes solvere, sed pro his in certum diem solvendis apud Trapezitam se obligare, & per argentarium cavere in certum diem redditum iri nummos.

Argent ardgent.

Qui a argent a des chapeaux.

Qui n'a point argent en bourse, ait au moins miel en bouche.

Astrologi omnes ad 12. revocant menses, horas, signa. Ad eundem modum Iureconsulti Hereditatem dividunt in 12 partes, quas uncias nominant ab uno.

Vnica, *est minima & una assis pars.*

Sextans, *est sexta pars assis, duæ scilicet Vnciæ.*

Quadrans, *est quarta pars assis.*

Triens, *est tertia pars assis, 4. Vnciæ.*

Semis, *Semi as, 6. Vnciæ.*

Septunx, *septem Vnciæ.*

Bes, *quasi bis triens, 8. Vnciæ.*

Dodrans, *9. Vnciæ.*

Dextans, *10. Vnciæ.*

Deunx, 11. *Vnicia.*
As, 12. *Vncia.*
Poteſt teſtator hereditatem diſtribuere in
cias & partes, quot voluerit.
Et ſi teſtator plures aut pauciores uncias ſ
tes faciat, juris poteſtate hereditas evolvitu
uncias. *Virg.*
Teſtator unum heredem, ex ſemiſſe ſcrib
totus as in ſemiſſe eſt.
Pondo & *as* & *Libra* idem ſunt, ut Budæus
rone.
Dupondius duos aſſes ſignificat. Vide *Inſtit. d*
inſtit. tit. 14.
Manubiæ, *pecunia è ſpoliis collecta.*
Tradunt Iuris Conſulti *Trium viros monetal*
ſtitutos eſſe, qui præeſſent monetæ cudendæ.
Donatus *Pecuniam* autumat *ex corio bubul*
temporibus fuiſſe: & inde dictam *pecuniam*
ex pecore fieret.
Cæterùm, ſatis conſtat ex veterum permut
quæ pecudum inprimis erat, *pecuniam* dictam
Diogenes interrogatus, cur aurum eſſet p
Quoniam, inquit, *multos habet inſidiatores.* Qu
nocens, quàm beata eſſet vita, ſi execranda
gentique metalla ex commercio mortalium
rentur; ſi nummus aureus argenteuſque ext
urbibus relegaretur. Sicuti ex Lycurgi inſtitut
natus eſt ex Spartana civitate.
De Seſtertio vide clariſſ. *Gronovium* in Libe
& Rem Nummariam in *Had. Iunio.*
Æra dabant olim; melius nunc omen in auro.
Victaque conceſſit priſca moneta novæ. Ovid
Divitis hoc vitium eſt auri, nec bella fuerunt,
Faginus aſtabat quum Scyphus ante dapes. T
Circa pecuniam plurimum vociferationis e
fora defatigat, patres liberoſque committit,
miſcet. Propter hanc uxorum maritorumque
ſtrepunt litibus, & tribunalia magiſtratum
turba, &c. *Seneca.*

Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Diis,
Et melior fatis donaret, homuncio, quantus
Ex nihilo fieres! quantus Virronis amicus!

Da Trebio (subintellige, diceret quis) *pone ad Trebium. Vis frater ab istis*
Ilibus? ô nummi, vobis hunc praestat honorem;
Vos estis fratres. Iuvenal. Sat v.
Mullum sex millibus emit. subintellige
Nummûm h. e. nostræ monetæ XLV. libris.
Quadringenta sestertia faciebant censum Equestrem. h. e. libras nostræ monetæ 3125.

Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi quàm funera, nemo dolorem
Fingit in hoc casu, &c. Iuvenal. Sat. 13.

Nummus aliquando speciale nomen pecuniæ æreæ, quæ alio nomine *Sestertius* appellabatur. vel conjunctim *nummus Sestertius*. Valebatque æstimatione, Gallicæ pecuniæ decem denariolos Turonenses & semissem, h. e. quartam partem denarii argentei. De Sestertio vide ampliter Calepinum. quare scribatur. H. S.

Libra auri non minus centum aureis solatis æstimari potest. Quare ducenta quinquaginta pondo, ab Hierone urbi Romanæ missa muneri, minimum viginti quinque millib. valuerunt. *Budæus lib.* v. *de Asse.*

Quingenties H. S. Pretium illud ex Budæi calculo, fuit duodecies centenorum & quinquaginta millium coronatorum.

Decies Sestertiûm (quod adverbialiter dictum) summam centuplo majorem facit. Idem enim est dicere, *Decies Sestertiûm*, quod decies centena millia nummorum sestertiorum. *Singula Sestertia* in se duas libras continent Romanos & semissem. Singulæ libræ drachmas vel denarios centum. h. e. Sestertios quadringentos. Et dictus *Sestertius*, quasi *semis tertius*. eo quod continebat asses duos & tertium dimidiatum. Notabaturque apud veteres per geminum L.L.

quâ notâ duæ Libræ sign. Et per S. quâ ſemis
dimidia libra ſignificabatur, &c.

Moneta proba, adulterina, acciſa, arroſa. P
otioſa. Æs circumforaneum. *Æs grave*, qu
numerato, ſed appenſo debita exſolvebantur.

Fiſcus, principis ærarium. à fiſcis, ſive fiſcell
ſportis, quibus includi, & aſportari pecunia p
principi debita ſolebat.

Nomina impedita, debita vetera, & deſperat
ra unciaria, centeſima. *Uſura ſemiſſu*, quando
anno ſolvuntur floreni pro centum. *Quincunx*

Extar, æs theatricum, quod ſpectaculorum
dabatur. *Lautia*, quæ legatis exterarum genti
bantur. *Congiarium*, munus populo à Principe
Comiſtrum, *Soſtrum*. *Bravium*. *Chariſterium*. *Lytr*
Vide Had. Iun. in Nomencl.

Nummum commovere. Argentariam facere.
re. Adærare. Verſuram facere. Nomen diſſolvere.

Divitias & opes Hon *lingua Hebræa vocavit.*
Gallica gens aurum Or; *indeque venit* Ho
vvenius.

Bulga mea exhauritur non ab Alphonſo ali
Leone implenda. *Lipſ.*

In repente divitem.

Pauper eras quondam, populo & deſpectus ab o
Nunc tibi diſtribuit præmia rarus Honor.
Nunc dives; pleniſque ſcatent æraria nummis.
Inque tua ſulget purpura multa domo.
Tam ſubitò unde tibi nummorum ſuppetat uſus,
Ingenio Vatum prendere nemo valet.
Ergò etiam poſthac miſeru ſperare licebit:
Nam Sors hac aliis ferre benigna poteſt.
Aurea nunc verè ſunt ſæcula, plurimus auro,
Venit honos, auro conciliatur amor. Ovid.

Tantum fidei, quantum nummorum
arca.

Nihil tam ſanctum, quod non violari; n
munitum, quod non expugnari pecuniâ poſ

est tam invium, quod non pervium fieri, nihil tam occultum, quod non excludi auro possit.

Timotheus sanguinem animamque mortalibus esse dixit pecunias: quibus qui careat, mortuus inter vivos vivit.

Χρήματα, ἀνήρ. Pecuniæ, Vir. hoc est, tanti quisque sit, quantum habet pecuniæ.

Bos in Linguâ. In eos qui liberè loqui non possunt. Ab Atheniensium numismate, cui bos impressus. Qui enim muneribus corrupti, ii ferè muti sunt.

Experiens callidusque vir clamabat olim: Νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι. Nervos imperii pecuniam esse.

Hastis pugna argentatis atque omnia vinces.

Peculatum committunt, qui vel rem publicam vel sacram vel religiosam furantur. Qui convicti jubentur deportari. Quanquam hodie capitaliter in eos animadvertatur. Personarum tamen ratio habetur.

Lymphatici nummi, sunt qui exire gestiunt. *Asperi nummi* sunt qui ab incude adhuc recentes, & benè percussi. Qui enim pecuniæ amantes sunt, nummos expressissimæ formæ servare solent. *Vasa perfecta atque aspera signis*, Virg.

Nummi Bigati, qui bigas impressas habebant, *Plin.*

Dacius & scripto radiat Germanicus auro.

Nummi erant aurei signati imagine Domitiani propter victorias German. & Dacorum. *Iuvenal. Sat.7.*

PEREGRINANDI.

ABerratio hæc aliqua à malis est, non fuga: Nec solvet peregrinatio doloris hanc catenam, sed laxat. *Lips.*

Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, inusitata spatia corporum, & irriguas perrennibus aquis valles. Cæterum neque meliorem faciet, neque saniorem. *Seneca.*

Horat. Serm. lib.1. Sat.v. discribit iter suum ab urbe Româ Brundusium usque.

Nec quisquam tam lapis aut frutex, quem non titillet ac flectat amœna illa variaque species gentium, urbium, locorum, *Lips.*

Mare, mare navigas, & id scopulosum; cave ne obhæreat alibi ista ratis. Cautè inter captatores hominum ambula, te cela, linguam preme, omnia proba, etsi non probas. *Idem.*

Sicut Vlysses ille blandientes, sed insidiantes scopulos surda aure prætervexit, oculos tantum habuit apertos: sic multa tibi illic obiter videnda sunt, non in aures, minimè in animum admittenda. *Idem.*

Sicut currus in præcipiti aut declivi fune retinentur & se sistunt; sic animus debet, ubi quæ allubescunt aut invitant. Talis Italia erit, ô pulcherrima & cultissima terrarum! sed Sirena ac Circes illic cogita, & esse quæ videas, sed & vites. *Idem.*

Nec tamen longum hoc nimis esse suadeo & sicut qui ignem è vicinia petunt non illic desident, sed accepto eo domum redeunt, atque ibi accendunt: sic illos censeo velut scintillas & fomites apud exteros quærere, domi deinde accendere & sibi aliisque allucere. *Idem.*

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω; multorum mores hominum & simul oppida vidit.

Diu hercules peregrinari te, non ego auctor. Et Platoni propior sim, vetanti cives à sua Rep. diu abesse, imò, nisi in certa ætate abesse. *Idem.*

Loton gustâsti. De iis dicebatur, qui diutius in peregrinis regionibus hærerent, velut obliti reditus. Et in illos, qui ab illicitis voluptatibus nequeunt recedere. Lotos arbusculæ species est, à Lotide Nympha, quæ Priapum fugiens in eam arborem fingitur commutata. Hæc arbor tam dulci est cibo, ut etiam nomen genti terræque dederit, nimis hospitali advenarum oblivione patriæ.

Laconibus peregrinari concessum non erat, ne morum

rum peregrinorum vitæque incompositæ labem attraherent.

Ut cochleæ semper domum suam secum circumferunt : Ita quidam horrent peregrinas regiones.

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Apud *Indos* nisi triduo hospitem divertere licebat, ne cives longo usu dissimiles perigrinorum mores addiscerent, & in alienas leges ritusque transirent.

Thebani quoque novos incolas & peregrinam stirpem non admisêre in civium numerum : sed omne jus civitatis & urbis usum peregrinis interdixerunt.

Carthaginienses adeò peregrinos odio habuerunt, ut eos, qui in Sardiniam aut ad Herculis columnas adnavigabant, mari demergerent.

Pericles legem tulit, ut hi solum in civitatem reciperentur, qui utroque parente Atheniensi cive nati essent.

PEREUNDI. *Diluvii.* Vide *Ruina. Mortis.*

Bis periit amator : abs re atque animo simul pessum it pecunia.

Exitus exitiales habere. Funditus pessum dare aliquem. Prudens, sciens, vivus vidensque pereo. Nullus sum, sepultus sum.

Habeor in postremis. Nullo jam loco sum. Ordinem nullum obtineo. Fabula sum populo.

Depereundum mihi est propter nihili bestiam.

Qualis solstitialis herba paulisper fui.

Corpora nostra rapiuntur fluminum more : quicquid vides, currit cum tempore. *Seneca.*

Proximum cælo aërem inspice : mutatur quotidie, & in ventos abit & nubes. Transi ad aquas. Flumina illa, quæ perennia dicuntur, aliàs periisse videbis. aliàs alveum mutâsse & cursum. Ipse ille Oceanus, magna naturæ pars, suos habet accessus & recessus.

 Iam

Iam terram si intueris, quam vi sua stare & immobilem esse voluerunt, ecce illic labat, & tremore atque occulto Spiritu concutitur; alibi aqua corrumpitur, aut igne. *Lips.*

Quid censes oppida, resp. regna? quæ tam mortalia necesse est, quàm eos, qui fecerunt. ut hominibus singulis adolescentia sua, robur, senecta, mors; sic istis. *Idem.*

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos. Ovid.
Tempore, quo Nereus totum se effudit in orbem.
--- Prius, effusis quam Proteus undis,
Duceret in summos armenta natantia montes.
Ante maris primam illuviem.
Ante ratem Noës & fluctus ante marinos. Mantuanus.
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres. Lucan.
Cum flumina cuncta Condidit una palus. Idem.
Vide apparatum Poëticum.

PERFIDIÆ. Vide *Fidei. Federis. Impietatis.*

PErfidia est fidei violatio, ἀπιςία. Muliebri fecisti fide.

Punicâ fecisti fide. Pœno nullus est Punior. *Plaut.*

In varias artes frequenter se vertere. Multiformis est tua perfidia. Parum apud te stat fides.

Tu inventus vero, qui forcilles meam fidem? *hoc est*, tanquam furcis explodas. *Plaut.*

Demutavit animum de firma fide. Annulis nostris plus, quàm animis creditur.

Homo omnium horarum. αἴθρωπος αἰθρώπου λύκος.

PICTURÆ. *Simulachri.*

DIogenes dicebat bonos viros simulachra esse Deorum.

Toreumata sunt opera cælata sculptaque ἀπὸ τοῦ τορεύειν, quod sculpere & cælare significat. Vndè *ars toreutice*

toreutice dicta: quam Phidias primus dicitur demonstrâsse. *Peripetasmata* aulæa sunt & vela, quibus cubicula & triclinia ornatus causa teguntur, quæ alio nomine *peristromata* nominantur, & *Attalica*.

Emblemata verò ornamenta sunt vasorum, quæ cum insignibus inserta conspiciuntur ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, immitto, intersero.

Apelles tabulas in pergula proponere solebat, postque eas latitans, quid prætereuntes reprehenderent, auscultabat. Sutor quidam reprehendit, quod in crepidis pauciores una intus fecisset ansas, tulit hoc tacitus Apelles. Postridie cum idem circa crus aliquid notaret, Apelles indignatus, *ne sutor ultra crepidam* inquit.

Pictores liberalium artium professoribus exæquantur. *l. ult. C. Theodos. artific.*

Anonymus. Quidam conspecta tabula, quæ picturam habebat, quomodo Lacedæmonii trucidarentur ab Atheniensibus, dixit: Fortes Athenienses. Id Lacon audiens, subjecit: in tabula, significans, *ridiculum esse de picturâ gloriari*, quod ea non minus mentiri soleat, quàm Poetæ.

Spartiates *Agesilaus* ille, neque pictam neque fictam imaginem suam passus est.

Timantem pictorem celebrant, quod in ejus operibus plus semper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur.

Alexander magnus nisi ab Apelle se pingi; à *Lysippo* se fingi voluit.

Pictura dicitur inanis, aut quia caret corpore, aut quia veræ & meræ sint nugæ. *Cicero* in paradoxis: *Sed obsecro te; ita nunc ista venusta habentur, non ut virorum vincula*; sed ut oblectamenta puerorum.

Pictura olim tanto in honore fuit, ut primum gradum liberalium artium teneret.

Dicitur autem pictura non aliud, quam Poësis tacens.

Zeuxis pictor nobilis uvas pictas tanta similitudine confecit, ut aves advolarent.

Narrat Plinius, avium cantus, depicto Dr
fuisse prohibitos.

Zeuxis Iunonem effigiaturus Virgines Agrig
rum pulcherrimas conduxit, & è singulis
quod præstantissimum in quaque esset.

Vt picturâ quamvis egregiâ oculi non diu d
tur: sic omnis ista hominum locorumque
novitate nos capit, sed ad breve tempus. *Lips*

Apelles in magnis suis laudatisque operibus
vabat, ut ea publicè proponeret omnium
linguis, atque ipse velo aliquo tectus judicia
tur, etiam minimorum. Cur nobis hoc nos
pere, quod tangit omnes? *Lips. in Epist.*

De Pictoribus & sculptoribus vide *Text*
Hist. cap. 60. lib. 4.

Lege *Ioannem VVonerum* de laude picturæ.
Eundem de Picturæ & Poësios comparatio
dem.

PIGNORIS. *Arrha.*

SI scis tute, quot habeas hodie digitos in ma
dem pignus tecum.

Pignore cum aliquo contendere, concertar
alicui quid pignori.

Hunc Arrabonem Amoris primum à me
Ego pignori me opponam?

Arrha & Arrhabo, id quod dari solet ad co
tionem contractus. Aliquando idem quod

Arrha etiam datur aliquando in signum ve
nis. Sunt & Arrhæ Sponsalitiæ, quas utrinq
mutuo sponsus & sponsa.

POENÆ. *Puniendi.* Vide *Verberandi.*
stigandi. Carceris. Criminis. Damnandi.
Compensandi.

INter atrocissima genera pœnarum est ignis.
talium pœnarum isti penè gradus sunt, ut
Juris Consulti, *Digestis de pœnis.*

Summum supplicium esse videtur, ad furc

mnatio, item vivi-crematio, capitis amputatio.

Ultimum supplicium (ut Celsi verbis utar) Mortem solam interpretamur. Igni cremantur plerumque servi, qui saluti Dominorum suorum insidiati fuerunt.

Incendiarii capite puniuntur, plerumque vivi exuruntur.

Seneca inter sævitiæ commenta numerat, tunicam alimentis ignium illitam & intextam: quæ à Poëtis vocatur *tunica molesta*.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

Erat & pœnarum genus, *damnatio ad bestias*, cum quibus depugnantes spectaculum adhibebant. Latrones famosi patibulo suffigebantur.

Plato ait: Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Consule Titulum ultimum Institutionum *de Publ. Iudiciis*. Et hîc Titul. *Interficiendi. Adulterii, &c.*

Nec domus, nec Resp. stare potest, si in ea nec rectè factis præmia exstent ulla, nec peccatis supplicia.

Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira. & tarditatem supplicii gravitate compensat. *Val. Max.*

Socrates optimè civitatem gubernari dicebat, cum injusti dant pœnas.

Theophrastus sciscitatus, quidnam vitam humanam conservaret? *Resp.* Beneficentia, Honor, & pœna.

Capitis diminutio est prioris status commutatio, eaque tribus modis accidit.

Maxima Capitis dimunitio est, cum aliquis simul & Civitatem & Libertatem amittit, quod accidit in his, qui servi pœnæ efficiuntur, atrocitate sententiæ.

Minor seu media Capitis diminutio, cum civitas quidem amittitur, libertas verò retinetur; quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum est, vel ei qui in insulam est deportatus.

Minima Capitis diminutio, cum & civitas & libertas retinetur; sed status hominis mutatur: quod accidit in his, qui cum sui juris fuerint, alieno juri cœperunt esse subjecti. *Vide Tit.16. Inst.*

Atlethas per multa aspera exerceri videmus, ut vincant:, idem de nobis cense in hac cladium palæstrâ. Acer ille noster Gymnastes & exercitor est, laboris patientiæque exactor: non ad sudorem tantum, sed ad cruorem. *Lips.*

Matres sunt, quæ plerumque specie dulcium corrumpunt & enervant liberos. Patres, qui tristium specie servant. *Idem.*

Firmant clades igitur, & ut arbores ventis agitatæ altius radices agunt: sic boni in virtute magis comprehendunt, impulsi aliquoties adversitatum flabris. *Idem.*

Magnificè Demetrius: Nihil mihi videtur infelicius esse eo, cui nihil evenit adversi. & verè. *Idem.*

Castigatio flagelli loco, cum peccavimus. Fræni, ne peccemus. *Idem.*

Persas ajunt, cum supplicium de illustri viro sumpturi sunt, vestem & tiaram ei detrahere, eaque suspensa verberare, ut hominem ipsum. Facit hoc noster ille pater. *Idem.*

Vt ad privatam cujusque securitatem, privati furis aut sicarii supplicio opus est: sic ad publicam, illustri aliquo & communi.

Acutè *Boëthius*: Feliciores esse improbos supplicia luentes, quàm si nulla eos justitiæ pœna coërceret.

Res nova & insolita supplicia de studiis sumi. *Seneca.*

Struit & ædificat sua quæque ætas, & nisi incendia interveniant aut ruinæ, vix ceperit ea noster aut alter orbis.

Quid ergò mirum, si Saturnius ille pater falcem interdum immittit in luxuriantem hunc agrum? & superflua aliquot millia peste demetit aut bello? nisi

faceret

ficeret, quæ regio capiendis nobis? quæ tellus alendis?

Pereat ergo in partibus aliquid, ut summa ista summarum æterna sit. *Lips in Const. lib.* II.

Scientissimus enim ille cultor est, & alibi onerosos aliquot familiarum ramulos defringit; alibi hominum aliquot folia decerpit ac destringit. juvat hoc stirpem. at illi cadunt, & hæc volitant ludibrium ventis. *Lips.*

Si magnam æs alienum habeam, & ab illo debitore statim exigam, huic in diem reponam: quid culpes? arbitrii certè mei & spontis. atque idem facit magnus ille Deus, cui cum pœnam omnes improbi debeant, ab istis eam statim exigit, in aliis differt, sed cum fœnore solvendam. *Idem.*

Carnifex & laqueus pridem abolita nomina sunt. 14. *Annal.*

Vno verbo, non dominationem & servos, sed Rectorem & cives cogitet, clementiamque ac justitiam tolerantiora capessat. 12. *Annal.*

Nec crimen quemquam in pectore versare, qui non idem Nemesim in tergo. sequitur enim illa Dea

—— Σιγᾷ καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς ὅταν τύχῃ.

Hoc est, silenter & lentopede progressa rapiet improbos in tempore.

Vt magis in morbo judicantur, qui tabe aut marcore laborant, quàm qui inflammatione aliquâ aut febri: & tamen hæ magis apparent: sic in graviore pœnâ improbi, qui tento illo passu ducuntur ad æternam illam mortem. *Lips.*

Majorum culpas sæpe immeriti luunt Nepotes.

Hem! itane hoc mirum aut novum? imò miror ego mirari istos miriones: cum cottidie ipsi id faciant in sua terrâ. Dic, sodes, beneficia quæ ob virtutem à principe majoribus data, nonne transeunt ad nepotes?

Ecce in perduellionis aut majestatis crimine. manifestò

nifestò alii in culpâ sunt, alii in pœnâ: ut mors sit ejus solatium & vita supplicium.

Scilicet! *Delicta majorum immeritus lues Romane.* Sed meritissimè!

Vt in eodem homine jure in senectâ ætate delictum aliquod punimus admissum in juventâ; sic Deus imperiis & regnis peccata vetera.

An verò Martiales illi lupi olim tot urbes everterint; tot sceptra fregerint, impunè ipsi semper incruenti?

Sicut in homine, cum manus, penis, venter peccavit, totum corpus id luit: sic in communi aliquo cœtu.

Scilicet: *Vnius ob noxam, & furias Ajacis Oilei. Lips. cap.* XVII. *Lib.*2. *Const.*

Ita in Iudæa XVII. Millia hominum pestis una justissimè absumpsit, ob justissimam libidinem Regis. sc. Davidis, quâ populum recensuit.

Nonne etiam Pædagogi ferula è numero lascivientis gregis, unum aliquem cædit. Imperator è fuso exercitu paucos decumatione castigat? *Idem. Ibidem.*

Iudicia Dei multa occulta sunt, nulla injusta.

Scelera ostendi debent dum puniuntur, flagitia abscondi. *Tac.* de M. G.

Mutianus Pisonem custodiâ militari cinctum ne in ipsa urbe mors conspectior esset, ad quadragesimum ab urbe lapidem interfici jussit. 4. *Hist.*

Vitellio, ne palum jussi Blæsi mors atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. 3. *Hist.*

Nec diebus festis supplicia sumat, Quis enim dies vacuus pœnâ, ubi inter sacra & vota quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos est, vincla & laqueus inducantur? 4. *Annal.*

Nam ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coërceas: corruptus simul & corruptor, æger & flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus, quàm libidinibus ardescit. 3. *Annal.*

Princeps

Princeps nec miserationem populi timeat, quando flagitiorum prævalet deformitas. 11. *Annal.*

Nec offensionum pro utilitate publicâ pavidus sit. 4. *Annal.*

Nec magnis parcat, qui quantò majore mole prociderint, tantò plus formidinis in alios dispergetur. 11. *Annal.*

*De præcipitatis, Decollatis, Combustis lege off. Text. cap.*18.19.20. *lib.*3.

De Suppliciorum diversis generibus. Text. off. lib. 3. *cap.*13.

Draco apud Athenienses unicuique propter minimum furtum, mortem irrogavit.

Pausanias anchoram ferream eorum cervicibus alligabat, quos crudelius vellet castigari, &c.

Alii *ad bestias* damnari soliti. Cum jejunis & feris congrediebantur. *Bestiarii*, qui præliabantur cum bestiis.

Culeus, saccus erat, in quo simia, serpens, canis, & gallus gallinaceus cum parricida includebantur, ac demum immergebantur aquis. Iuvenal. *Cujus supplicio non debuit una parari Simia, non serpens unus, non culeus unus.*

Gemonia Scala, à gemitu & loci calamitate, sic dictæ. Aliàs *Gemoniigradus* dicti. & absolutè, *Gemonia.*

Gyarios, est insula in mori Ægæo, quò mittebantur noxii. Iuven. *Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, si vis esse aliquis.* Ibid. de Rota, Nervo, &c.

De Suppliciis apud Inferos Damnatorum, vide *offic. Text. lib.* 2. *cap.* 9. ubi *Ixion* Thessalus rota perpetuâ volvitur, quod glorietur se concubuisse Iunoni. *Sisyphus*, quia ex hospitib. alios saxo, alios calce in aquas præcipitaverit, semper saxum volvit. *Tityus* quod stuprum inferre voluerit Latonæ, ab Apolline sagittis confossus est. Ejus jecur vultures quotidie laniant. *Prometheus*, quia Iovi ignem suffuratus, & hominem luto formaverit, à vulturibus roditur sub Caucaso.

Ibidem De *Danai* puellis & *Theseo*, &c.

Atque

Atque Ixionii vento rota constitit orbis. Virg. 4. Georg.

Hic Filius Phlegiæ, qui uxorem duxit Diam filiam Dejonei: cui cum multa pro compensatione dotis pollicitus esset, & ob id pater sponsæ ad eum venisset, ut munus reciperet, Ixion facta scrobe, eaque lignis & stramentis intectâ, patrem sponsæ in eâ fraude peremit. à quâ cæde cum neque homines neque Dii eum lustrare vellent, diuque incertus vagaretur, Iupiter illius misertus in cælum assumptum expiavit. Quumque jam purgatus, apud superos degeret, Iunonem amare cœpit, eamque de stupro interpellavit. Quod cum Iupiter intellexisset, nubem illi sub Iunonis effigie opposuit, ex quâ illi Centauros genuit. Dejectus deinde in terram, quum passim gloriaretur, se cum Deorum reginâ rem habuisse, Iupiter indignatus, fulmine ad inferos Ixionem detrusit, curavitque, ut ibi rotæ volubili alligatus, perpetuò volutaretur. Vnde Ovidius: *Volvitur Ixion, & se sequiturque fugitque.*

Pœna, supplicium, quo quis ob delictum afficitur. à Gr. πένη. Varro à pendendo τίμημα, τιμωρία.

Reus dicitur, quicunque in litem adducitur. etiamsi nihil admiserit. Huic opponitur *Actor*. Reus à Re dicitur, quod rei alicui obnoxius, vel à re, quàm admisit. *Reus agitur*, qui accusatur. *Reus peragitur*, qui damnatur. *Reus voti*: qui voto Numinibus se obligat. Virg. v. Æneid. *Vobu latus ego candentem in littore taurum Constituam votis reus.*

Cicero VIII. genera pœnarum numerat. Damnum. Vinculum. Verbera. Talionem. Ignominiam. Exilium. Servitutem. Mortem.

De *Furcâ veteri & novâ* De materiâ & loco crucis lege *Lipsii Romam illustratam. Ibidem* de modo Crucifigendi.

De Suppliciorum sortitione judiciali legatur lib. 2. Fatid. *Parentis mei.* pag. 538.

De miris suppliciorum generibus agit *Camerar. Cent.* II. *cap.* 87.

PHILO-

Philosophiæ. *Logica. Ethica, &c.* Vide *Doctrina. Artium.*

IN convivio aliquo si adsedisses, non bellaria solum & placentas gustares, credo: sed stomacho fulcimentum aliquod dares cibi firmioris. In hoc publico doctrinarum epulo cur non idem fit?

Solutas per se fluentesque Nymphas temperari volo hoc *severiore*, ut ita loquar, *Baccho* Proci isti apud Hom. non injuriâ ridentur, qui relictâ Penelope convertêre se ad ancillas. Cave, idem tibi fit, neu spretâ rerum Dominâ, adeas tantum in ejus administris. *Lips.*

Licet ad Philosophiam etiam sine viatico accedere. *Seneca.*

Cunæus de Ethices professione in orat. XVI. Logicâ Ethices longè major excellentia, quæ & vitæ hominum ac Reip. magis consentanea, atque ex Aristotelis etiam sententiâ auditores respuit adolescentulos, eos autem recipit demum, quibus ab ætate plus inest prudentiæ. Hæc est illa philosophiæ pars, quam Socrates mortalium omnium in Græciâ olim sapientissimus devocavisse è cælo in terram, & in urbibus collocâsse, atque in domos introduxisse, dicitur, &c.

Seneca: Quantum potes, in Philosophiam secede. Illa te in sinu suo proteget. in hujus sacrario eris tutus aut tutior.

Nemo pejus de mortalibus meretur, quàm qui philosophiam, velut aliquod artificium venale didicerunt. qui aliter vivunt, quàm vivendum esse præcipiunt. *Idem.*

Idem velle atque idem nolle, sapiens sapienti præstabit. *Idem.*

Vt arbores quædam fructum non ferunt nisi aliis velut maribus adsitæ: non item tuæ istæ virgines, nisi cum virili sapientiæ robore conjunctæ. *Lips.*

Zeno sibi felix est visus, quod amissis ad Piræum naufragio mercibus, per fortunam protrusus sit ad Philo-

Philosophiæ studium. Perdidit purpuram, & invenit cunctis opibus pretiosiorem sapientiam. *Erasmus in Epist.*

Nec rejicit quemquam Philosophia, nec eligit. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. *Seneca.*

Vt montium altitudo procul non apparet, sed cum accesseris: non item Philosophiæ splendor, nisi cum pernôris. Pernosci a. non potest sine Christianâ veraque religione: quam prælucentem si tollas, fateor, ecce & clamo, ludibrium illa, vanitas, delirium. *Lips. in Const.*

Nunquam ita colles isti fontesque Musarum totum me ceperunt, ut non oculos idemtidem mentemque reflexerim ad severiorem illam Divam, Philosophiam dico. *Idem.*

Si non recto rigore & lineâ, tamen flexu tetendisse me scio, ad illam sapientiæ metam. *Idem.*

Temere illi, qui in spinis argutiarum, aut laqueis quæstionum omnia subtili quodam disceptationum filo texunt & retexunt. Ætatem totam in aditu Philosophiæ versantur, adyta ejus nunquam vident. *Idem.*

Scilicet ut vinum, quo nihil salubrius, quibusdam in venenum est: sic istis Philosophia, quâ abutuntur. *Idem.*

At mihi illa mens: qui navem semper avertens ab illis argutiarum salebris, velificationem omnem direxi ad unum traquillæ mentis portum. *Idem.*

Sicut medicinæ nullus usus fructusque est morbos à corporibus non depellentis: non item Philosophiæ, nisi vitia ab animo. *Idem.*

Non ut aves, quæ canere aut loqui doctæ, nihil ultra voces sciunt: sic nobis Philosphia discenda aut habenda. Apage. sed illa animo induenda, atque etiam circumdanda est, velut inexpugnabilis murus, quem Fortuna multis machinis lacessitum non transit. *Idem.*

Neque

Neque juvenis aliquid differat philosophari, neque senex defatigetur. non enim immaturus quisquam aut vietus, & effœtus ad animæ sanitatem. *Idem.*

Philosophia adjumenti, non noxæ vicem habet, si pietas adest, & relligio præest. *Idem.*

Vnum hominis & proprium bonum RATIO quæ noscenda & colenda est. *Idem.*

Hæc vera Philosophia est, posse habere, posse carere, non cupere absentes, capere & præsentes divitias: iisdem uti bene, & bonis sublevandis *Lips. in Admirandis.*

Non est Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum. non in verbis, sed in rebus est. *Seneca.*

Philosophia animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum, sine hac nemo securus est. *Idem.*

Nunquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non Philosophiæ nomen venerabile & sacrum maneat. *Idem.*

Philosophia adhortabitur, ut Deo libenter pareamus

Hoc est, quod Philosophia mihi promittit, ut me parem Deo faciat. *Idem.*

De *Philosophiâ Stoicâ* legatur excellens Oratio XVII. HEINSII.

In Sophistam.

Desine pro veris Ænigmata ponere verbis
Heu! nimium doctu use Sophista dolis.
Mera Sybillinis memoras oracula nobis:
Quæ vix Thymbræus solverit ipse Pater.
Tolle animi fucum prætentaque pallia menti:
Sapius hac nobis texitur arte malum.
Et loquere, ut videam, lateat quid corde sub imo
Non decet obscuras pectoris esse notas.

In

In malum Logicum.

Semper te Logicum jactas primumque Sophorum,
Cum tristi glomeras verba supercilio.
Cum verris longo maculosam Syrmate terram,
Cum riget impexus horrida barba comis.
Non animi Virtus Tyrio spectatur in ostro,
Pallia non doctum Forma Virumque facit.
Differe prudenter Latias exculte per artes:
Virtutem Ingenii res ratioque probet.
Tunc magnus Stagyrita suum te dicet alumnum:
Quando erit in scriptis Suada diserta tuis.

PIETATIS. Vide *Probitatis. Virtutis,* DEI *Providentia.*

Pietas est virtus Deum religiosè riteque colendi.

Probitas est virtus, quæ in honestis erga homines functionibus constat.

Omnibus insita relligio quædam. Aristoteles multum circa divina fuit hallucinatus. Platonici & Pythagorici plusculum hac in parte facere. Nos Christiani extra nubem videmus salutem nostram in promisso Dei. Homo aut lignum aut lapidem culturus, priusquam aliquâ careat relligione. Quanto certius fundamentum habet Numinis notitia, tanto verior Relligio.

Cicero dixit tam præstantem Deorum naturam, ut ea debeat ipsa per se ad se colendum allicere sapientem.

Ordo naturæ satis docet Deum esse. Si quidem per gradus ad se invicem referuntur perfectiora & imperfectiora. omnia propter hominem, homo propter Deum.

Pertimescite, *ait Cyrus*, Deos, ô Filii. ut nihil impii, nihil nefarii committatis.

Cicero: Cultus Deorum optimus est, idemque castissimus & sanctissimus.

Poëta apud *Platonem* hac usus fuit formulâ: Iupiter Rex,

Rex, optima quidem & voventibus & non voventibus nobis tribue. Mala etiam à voventibus averte.

Lipsius Pietatem sic definit: Pietas est rectus de Deo sensus, rectus in Deum cultus.

Pulchra hæc laudatio, ô Virum doctum! sed illa melior, ô Virum sapientem! & ista optima, ô Virum bonum! has sectemur, & per tot labores non scire tantum velimus, sed sapere & facere.

Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἂν μὴ νοῦς παρῇ!

At ego ex animo testor, non aliam me viam salutis nôsse, quàm hanc, quæ per unum illum & directum limitem ducat: ad quem tamen percurrendum, humanas etiam literas laxamenti aliquid afferre censeam, imò adjumenti. *Lips. in Const.*

Si mihi Theologum agere propositum, aberravi: si Philosophum cur culpant? *Idem.*

Peccâssem, fateor, si purum & mysticum religionis nostræ liquorem corrupissem veteri aliquâ & olenti fæce. *Idem.*

Hoc testor: nullam me rectam puramque rationem intelligere, nisi à Deo directam, nisi à fide illustratam. *Idem.*

Ratio ipsa, & suis viribus, non ducit nos ad Deum, non ad verum: sed tamen ut in aquâ & pelvi defectum solis intuemur, idque per solis ipsius radios, obliquè & quodam flexu: sic in istâ res divinas. *Idem.*

Sum enim ex iis, quibus Pietas in corde magis, quàm in ore. quique factis exerceri eam acriter malim, quàm verbis. *Idem.*

Bene Tertullianus: Cui veritas cognita sine Deo? Cui Deus, sine Christo? in quâ sententiâ finio, & seriò acquiesco. *Idem.*

Quid Tacitum mihi corrigis, si vita tuâ inemendata est? Quid Tranquillum illustras, cum tu in errorum tenebris? Plauto notas aut maculas studiosè eluis: Cum animum sordescere pateris & squallere? *Idem.*

Sapien-

Sapientiæ studia & virtutis ne omitte. Pietas tibi in mente, modestia ante oculos. & demissio animi: ad quam nunquam satis te horter. *Idem.*

Vt gubernator fluctus assilientes negligit, manum in clavo habet, oculos in astris: sic nos oportet, quod bene agimus, agere, & mentem ad Deum referre. *Idem.*

Verum majores delubra deorum pietate, domos suas gloriâ decorabant, neque victis quicquam, præter injuriæ licentiam eripiebant *Sallust.*

Pietas in parentes. *Val. Max. cap.* IV. *lib.* V.

Venite igitur in manus nostras prospera parentum vota, felicibus auspiciis propagatæ soboles; quæ efficitis, ut genuisse juvet, & generare libeat. *Ibidem.*

De PIETATE nos in Eloquentiæ Tyrocinio Oratione XLIV. XXI.

In Pastorem impostorem.

Audis Mysta sacer Superem cœlique Minister;
Sacrorum; cœli sed tibi nulla fides:
Nulla animo est Pietas, nullus respectus honesti,
Christiadum pascis nec bene Pastor oves.
Impostor meritò dicêre, ac Numinis expers,
Qui non Pastoru munia sanctus obis.

Pietas Lipsii.

ILla causa abstinuit me, fateor, ab altiori initu in sacrarum illud rerum mare: quò materies alioqui & ingenii ventus vocabat. Sed repressit hîc metus, & adnavigare jussit littus. Elephantes ajunt, & amnibus impensè delectentur, haud temere tamen eos ingredi, cum inscii sint natandi. Idem in Theologiâ mihi: quam amo, quam æstimo, & tingo salubribus ejus aquis libens animum, non tamen mergo. Quæstionum enim illos vortices horreo. iisque ne involvar, assideo, & obambulo saltem ejus ripas. Et hinc tamen haurio, & ex tuto sumo, quæ ad usum. Nam acumini & dissertatiunculæ quid juvent? Quod ille de virtute censet:

censet: justius ego de Theologiâ. Cujus verum seriumque finem, scio, vitam. ut melior, non ut doctior fiam, sacra illa volumina tango. ut pectus instruam, non ut mentem acuam. Procul à me isti, qui alti & subnixi ambulant, majorem, quam pro homine sapientiam sapientes. Quique quod Socrati objectum olim, sat agunt inquirentes, & quæ terram infra & quæ cælum supra. Et cum omnia tamen subtilis Ingenii alâ pervolarint, miselli prætervolant ipsi sese. Illud unum, quod scitu est necessarium, nesciunt, *In Cent. Epist.* I

PIETAS.

Quicquid agis, Generose Puer, cole Pallada sacram;
Et Pietas *artes condiat alma tuas.*
Quâ si vita caret rerum ductrice; Salutis,
Pro! iterum amissæ grande laborat opus.
Ingenium frustra formamus Apolline nostrum,
Attalicas nobis & cumulamus opes.
Unum quod possit propius nos jungere CHRISTO,
Una est in CHRISTI *sanguine nixa Fides.*

POETÆ. Vide *Doctrina, Carminis. Eloq. Musarum, &c,*

DE *Poëtis Latinis*, vide Ravisium Textorem *lib.* IV. *cap.* 26. De *Græcis, cap.* 27.

Nos de *Poësi* peroramus in Tyrocinio nostro, oratione XXVII.

Lege quoque de *Poësios* & *Picturæ* comparatione insignem Libellum *Iohannis VVoueri* de Umbrâ cap. XX.

Et Schonborn. lib. 3. *cap.* 43.

Nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, Laurumque momordit
Deserti Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.
Ut dignus ventas ederis, & imagine macrâ,
Spes nulla ulterior. Didicit jam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,

Ut

Vi pueri, Iunonis avem. Sed defluit atas
Et pelagi patiens, & cassidis atque ligonis.
Tadia tunc subeunt animos, tunc seque suamque
Terpsichoren odit facunda & nuda senectus.
Tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & agro in corde senescit.
Nec qui
Communi feriat carmen. triviale monetâ.
Aptusque bibendis
Fontibus Aonidum. Neque enim cantare sub antro
Pieridum, thyrsumque potest contingere sana
Paupertas, atque aris inops, quo nocte dieque
Corpus eget. Satur est, cum dicit Horatius, Ohe.
Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant. Vide plura in Iuvenal. Sat. VII.
Nam, si Virgilio puer, & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes à crinibus hydri. Non potuisset sc. Hydras anguibus crinitas sic eleganter scripsisse. Vide *Ibid.* de *Historicis* & *Advocatis.*
Sed, cum fregit subsellia versu,
Esurit.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt. Idem Ididem.
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.
Excludit sanos Helicone Poëtas
Democritus: bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque Poëta,
Si tribus Antyciris caput insanabile, &c. Horat in Arte Poët.
Castaliosfontes rimatus, in omnia venit
Phœbaa secreta domus.
Pegasias intravit aquas. Mantuanus.
Cui pectus & ora Nectare Castalio redolent.
Petrarcha.
Enthea vittis ac hederis redimita cohors.
Doctique cohors Heliconia Phœbi. Statius.

Te

Te quoquè Pierios fama est potasse liquores.
Et vidisse deas, quibus est custodia sacri
Fontis, & Eurotæ campos & Phocydis arva,
Sæpe Medusæis facunda liquoribus ora
Abluit.
Aonii, fundo tenus, intima fontis
In vada descendens, sese immortalibus undis
Lavit.
Nec tibi Musarum minus intellecta supellex,
Et Phœbea domus. Tibi carminis author Apollo
Omne suum patefecit opus, seu Lesbia pulsas
Barbita & Alcæi numeros. Mantuanus.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miscent superis.
Quod si me Lyricis Vatibus inseras,
Sublimi feriam sidera vertice.

Consule Parnassum & ipsos potius fontes Poëtarum, insigniter disertos super argumento sui genii.

CI.

Pierius WINSEMIUS in oratione suâ de Causis corruptæ Eloquentiæ divino dicendi genere usus plurima de Poëtis & oratoribus differit. Ex ungue Leonem tibi ostendo.

Quippè illorum vetustissimi cælestium aut naturæ res & ministeria canebant, ut ne dicam ad illud humile sæpè & contentiosum oratoris argumentum descenderit, quod felicissima vatum ætas, aut aureæ proxima ignoraret.

Quare & illi procul turbâ & contubernio hominum in nemora ac secessus provoluti, temporum vitiis se subducebant, spirituque, velut ad imitationem siderum, impulso, divinis & supra humanos agitabantur. Inde natum Poëtici furoris miraculum, cum & mystica crederentur, quæ divina, aut ab iis profecta, simplex ætas tunc interpretabatur, post, vergente in deterius sæculo, sub insaniæ titulo traducta. *Idem.*

Neque Poëtam destitueret ingeniosæ fictionis

materies. qui effecit, ut uberrimum illud Oratoriæ eloquentiæ flumen intra alveum suum ac ripas staret, & diffundere se extra metarum spatia solitum, arte quadam & adstricto carmine coërceretur. *Idem.*

Cum supra inscientis plebeculæ negotia Poëtarum animi sui compotes exsurgerent, indictoque profanis rebus propudio, sacris occuparentur. *Idem.*

Poëtæ inter Numinum officia vagi & elevati Spiritus divinitatis quoque contactu effervescebant. Sive æterni ignis luminisque custodiam in solari orbe commendarent, sive Apollinem exhiberent mundum cytharâ temperantem, sive Dianam menstruo cursu annorum spatia metientem, sive in Heliconii montis rupibus pendentem chorum, sive serenas noctes fœcundissimis roribus sidera nutricantes, sive opacantia secessum nemora laudarent, erat aliquid in illo naturæ opere, quod Poëtico ingenio calorem affunderet. *Idem.*

In nigro perustoque arenarum, cantiumque pulvere aliquid invenit, quod & nemorum amœnitate, & miraculo artis fastidito in naturâ laudaret, & quod velocis animi exercitatione raptus Poëta divinitati inscriberet. *Idem.*

Quorum perpes meditatio naturæ opera, tanquam æterni conditoris, efferebat. Quamvis neque illorum quies occupatio, neque negotiosum otium dicenda fuerit, sed potius vita sanctissimis contemplationibus vacans, & cum maximè occuparetur; tantò plus tranquillitatis, minus molestiæ & fatigationis inventura. Adeo, ut illorum conditio proximè ad statum divinitatis accessisse mihi videatur, quæ cum inter sempiternos motus indefessa quiescat, nec lassitudinem patitur, nec fastidium operis sentit. Ita Poëtæ animus, cum quàm maximè se exercebat, tam maximè feriabatur. *Idem in* divinâ illâ Oratione:

Aut prodesse volunt aut delectare Poëta.
Aut simul & jucunda & idonea dicere verba. Horat.

POPU-

POPULORUM. *sive Veteris Germaniæ Synopsis. Ex Atlante majore.* Vide *Terræ. Flum. &c. Aquarum.*

R*Hætia*, quæ dicta Romanis *Germania prima*, Alpes continet, quæ nunc Grisonum dicuntur, sive Rhætica juga. His contermini *Norici*, *Pannonii*, *Helvetii*, *Sequani*, *Hædui*: ubi nunc Burgundia. Post Helvetios habitabant *Rauraci*; quorum caput Augusta Rauracorum, Basilea.

Mediomatrices ad Galliam Belgicam pertinent: quorum metropolis fuit *Metz*. Finitimi *Tribocchi*, quæ nunc Alsatia dicitur. In Tribocchis sunt mons *Brisacus*, *Argentoratum*. *Vangiones*, qui nunc VVormatienses, *VVorms*. His *Nemeti* adhærebant: quorum fines ad Treviros extendebantur. Proximi *Treviri*, qui usque ad Mosam & Menapios excurrebant. *Ubii*: quorum etiam civitas est Colonia Agrippina. *Menapii*, populi ad Mosam, quorum ditionis erant Namurcum, Ducatus Limburgensis. Menapiis adhærebant *Morini*, quorum portus Gessoriacum, *Cales*.

Tungri sedem habuêre inter Mosam & Scaldim: quorum civitates Namurcum, Leodium, Maestrichtum,&c. Hos *Batavi* sequuti: qui obtinebant quicquid à sectione Rhéni inter Mosam & Rheni ostia comprehendebatur. Sunt hîc Vltrajectum, Vetera, *Santen*, Neomagus. Colonia Trajana, *Keysersvveert*. Lugdunum Batt. *Busacteri*, vel *Bructeri* post Batavos sequuti. Ea loca, quæ nunc VVestphali, Benthemii, insident. Inter Bructeros & Frisios Vidrus fluit, hodie *Suarte-vvater*. His vicini *Sicambri*: in tractu ditionis Meursensis. Geldriæ populi.

Tencteri, dicti & *Ingriones*, inter Rhenum & Montes, ubi Hassia cum Rheno jungitur. ut & Nassaviæ ditio, usque Francofurdiam. *Invegri* erant versus Heydelbergam. *Vargiones* ad Diœcesim VVirtsburgensem. Iuxta Oceanum supra Bructeros *Frisii* colebant, quæ gens non solum ad Amisium, sed Ptolomæo teste, usque ad Albim pertingit.

Chauci minores juxta Visurgim. Majores ad Albim, nunc pars Saxoniæ, & pars Episcopatus Bremensis. Illis *Saxones, Pharodeni, Sideni* ad Oderam, *Ruticlii* ad Vistulam, adjacent. *Angrivarii*, VVestphali & Monasterienses sunt. *Dulgumnii*, Marchia antiqua & Episcopatus Meydenburgensis. Illis confines *Teutomari, Viruni, Teutones, Avarpi*, quorum civitates nunc *Berlin*, & civitas Brandenburgensis, &c.

Cherusci inter Albim & Visurgim. *Chamavi*, ubi nunc Misnia. In proximo, *Bonochamæ, Batini, Luti, Buri, Sidones, Cogni. Visburgii, Causari, Turoni, Catti, Tubanti.* Sub sylvâ Hercyniâ *Quadi* erant, &c.

Marsi non procul à Rheno. *Mattiaci* sunt Marpurgenses. *Usipii* Zutphanienses. *Hermunduri* ad Albim, pars Bohæmiæ. *Peucinos, Bastarnas* Plinius Dacis conterminos facit.

Terræ partitionem in varios populos, eorumq; mores vide in *Fatidicis sacris lib. 1. cap. XI.*

POENITENTIÆ.

NOstri vosmet pœnitet. Pol jam aderit, se quoque cum oderit.

Ego nunc totus displiceo mihi. Meritò nunc ego succenseo mihi. Propalam testatur pœnitentiæ correctionem.

Plebs redacta est in pœnitentiæ verecundiam.

Initium est salutis, peccati notitia.

Sera in fundo parsimonia. Atqui non est apud aram consultandum.

Utile propositum est sævas exstinguere flammas,
Nec servum vitiis pectus habere suum.
Talia cælestes fieri præconia gaude.
Ut sua quid valeant Numina teste probent.
Sæpè levant pœnas ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.

Subitæ largitionis comes, pœnitentia.

POLLICITATIONUM.

DO fidem ita futurum. Aurium tibi operam dico.

Promissa jam perfeci. Benè promittis, multa ex multis : omnia in cassum cadunt.

Polliceri quid bona fide. Promissis iis, quæ ostendis, non valdè pendeo.

Quo abiit promissorum fides? Dare Sponsionem.

Aureos montes polliceris; plumbeos ne præstas. Polliciti sincera fides.

POTESTATIS. *Copia*.

QVibus ea res in manu est. Vt mihi potestas primum evenit. Integra est nobis judicandi potestas.

Exire ex alicujus potestate. Quâ digitum proferat non habet. Facere alicui potestatem.

PRÆMIORUM. *Doctrina*. Vide *Eloq. Litt. Doct. Mercedis.*

BOnæ artes honore nutriuntur, atque hoc specimen est florentis Reip. ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur.

Gratis pœnitet esse probum.

Stoici dixerunt; *virtutem sibi ipsi esse præmium.*

Excitat auditor studium, laudataque virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Spes præmii solatium est Laboris. Seneca.

In *Rep. benè constituta præmia benè meritis; pœna delinquentibus statuuntur.*

Vides toto die, totis noctibus laborantes ad incudem fabros; ad sudorem & extremum spiritum se fatigare in agris colonum; Maria & longè dissitas terras & ad extremos Indos currere impigrum mercatorem; Cives quotidianis operis intentos. Vides ut vitam periclitetur miles, audax in hostem. Congrediatur, nihil penè pensi, nihil curæ habeat. Dic so-

des, quid sic miseros mortales ad Industriæ instrumenta impelleret, sublatis laborum præmiis, gloria, pace?

Alexander magnus viros doctos summâ semper liberalitate ornavit.

Cæsar Augustus sui temporis Poëtas & Oratores magno in honore habuit.

Athenienses *Demetrio Phalerao* sexcentas & sexaginta statuas erexerunt.

Alphonsus Aragonum & Siciliæ R. abhorrentes illa ætate à Literis Hispanos ad Literarum cultum magnis multisque præmiis revocavit.

Ælius Hadrianus illos, qui per multos annos docendis literis præfuissent, amplissimis divitiis ac muneribus honestavit.

In *Euripedem* poëtam Syracusani; in *Anacreontem* Samii; in *Pindarum* Alexander singulari amore propendit.

Fecit Eruditio, quod olim *Pythagoras* pro Deo coleretur; ipsius domus pro templo haberetur; quod *Georgiæ Leontino* Delphis aurea statua erigeretur; quod *Platoni* in Siciliam venienti vittata navis obviam mitteretur.

Solon illam civitatem optimè habitari dixit, in qua viros bonos honoribus affici: contrà autem, improbos pœnis, mos fuerit.

Isocrates dixit: Oportet magistros multas mercedes capere à discipulis: ab ingeniosis, quia multa discunt; à rudibus, quia multos labores exhibent.

Theophrastus interrogatus, quid conservaret Remp. respondit: Præmium & pœna.

Merces verò & præmium incitamentum ingenii adferunt. 14. *Annal.*

Sublatis studiorum pretiis etiam studia peribunt, ut minus decora. 11. *Annal.*

Ac ut corpora lentè augescunt, citò exstinguuntur: sic ingenia oppresseris facilius, quàm revocaveris. *Agric. Tac.*

Convenio vos, *Principes*, voce Anaxagoræ: qui senex

ſenex & æger decumbebat, nunciatumque Pericli, ex ejus diſciplinâ. Is accurrit & ſolatus eſt, & precatus nec ſic deſereret. Sed ibi opportunè Anaxagoras: *At enim ô Pericle, quibus opus eſt lucernâ, oleum infundant.*

Infundite bonis meritiſque. Et cum *Leone* Græcanico Imp. Eunuchum non audîte dicentem: *Hæc in milites debere abſumi.* Cui ille repoſuit: utinam! meis temporibus eveniat, ſtipendia militum in doctores artium abſumi. utinam! utinam! ſed meis non fiet. & inſcitiæ caligo aut tenebræ (falſus ſim) imminent Europæ.

Lipſ. in fine Mon. & Exempl. Polit.

Rude donari. Virga erat lignea ſive ferrea. Rudibus quoque depugnabant gladiatores. Hinc ad *rudem compellere.* Illi etiam, qui relatis multis palmis & ſtipendiis, & libertate digni, rude à prætore donabantur. Iuvenal. *Ergo ſibi dabit ipſe rudem.* Cic. *tam citò rudem accepiſti? Rudiarii* erant, qui miſſionem artis gladiatoriæ acceperant.

In cava ducuntur quaſſa navalia puppes,
Ne temerè in mediis diſſoluantur aquis.
Ne cadat, & multas palmas inhoneſtet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
Miles ubi emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares.
Sic igitur tardâ vires, minuente ſenectâ,
Me quoque donari jam rude, tempus erat. Ovid. 4. Triſt. El. VIII.

PRÆSENTIA.

ADſum præſens præſenti tibi. Hirundines æſtivo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt.

Iſtud eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt proſpicere.

Compotem aliquem facere præſentiæ ſuæ. Oro jam venias & præſentia tua honorem augeas feſtorum dierum.

PRÆCEPTORIS. Vide *Litterarum. Magistri. Docendi. Schola, Præmiorum. Artium.*

APud *Lacedæmonios*, si puer à præceptore vel alio castigatus ob commissum delictum, querelam ad Patrem detulisset: turpe erat patri, si, hoc audito, non iterum Filium virgis erudiisset. Si quidem ex institutione majorum habebant hanc fiduciam de se mutuo ut crederent, neminem esse, qui cujusquam liberis, quos quisque pro suis habebat, quicquam imperaret inhonestum.

Scholarum Magistri animorum generatione Deum æmulantur, pubis formatione Naturam perficiunt, amoris studio parentes æquant, virtutis sapientiæque præceptis Remp. conservant. Quod ut præstent ô Herculeæ virtutis animosa pectora!

Quod Scholasticæ functionis munus etsi vulgus profanum aspernetur, & despicatui habeat, regno tamen proximum est. Quod cum obire cum dignitate *Dionysius* non posset à Sceptro ad ferulam dejectus non immeritò hunc Cynicæ mordacitatis ictum ipsi Diogenes intulit: *Quàm malus olim Populi Rex fuisti: tam nunc es malus Puerorum Rector. Vide Theatrum Ingenii, De Ludi magistris* cap. 9. lib. 1.

Non est majus docenti adminiculum, quam si sanctam Virtutis atque Ingenii existimationem apud pubem præceptor sibi pararit: quâ offensâ perditaque in magno sui contemtu irrito laborat conatu.

Erasmus, inquit, Haud scio an quicquam discitur felicius, quàm quod ludendo discitur.

Modica & levis Castigatio præceptori concessa est. L. 4. & 6. ad L. Aquil.

Præceptorem oportet his esse Virtutibus præditum, quas postmodum à discipulis sit exacturus. *Theophylactus*.

Quemadmodum pictor lineamenta ducit, priusquam coloribus rem illustret: sic pueritiam quoque prius Virtute decet formare, quàm ornare literis.

Est

Est terra quædam asperior duriorque quæ tamen culta protinus ferax reddatur: sic ingenia duriora naturæ institutione mansuescunt.

Diogenes: Olim in Scholis pingi solebant Musæ, ceu studiorum præsides: ingressus igitur Scholam Diogenes, cum videret multas musas, Discipulos admodum paucos, dixit præceptori: *Cum Diis multos habes discipulos.*

Æschines Phil. à Socratis latere nunquam discedebat, tantaque observantia eum coluit, ut Socrates dicere soleret: Solus nos colere novit Æschines.

Crito Phil. ita Socratem amavit, ut nunquam aliquid ex his, quæ ad vitam necessaria, ipsi deesse passus fuerit.

Platonem tanti fecit *Aristoteles*, ut nomini ejus aram in Templo construxerit: in qua scriptum erat, hunc esse illum, quem probi omnes meritò debeant imitari & commendare.

Dionysius cum Platoni diceret, aliquis auferet tibi caput; Xenocrates, qui illic aderat præceptori, *Non prius*, inquit, *quàm hoc*, suum ostendens.

Q. Fulvius nobilior, ut animi grati specimen ederet, Ennium præceptorem civitate donavit.

Alexander plus se debere Aristoteli quàm patri Philippo dixit: quoniam ab altero vitam cum brutis communem, ab altero virtutem & Doctrinam accepisset.

Achilles, quo inter Græcos vix fuit Vir & armis constantior, & consilio major, Phœnicem suum præceptorem ab Agamemnone ad se Legatum missum adeò honorificè tractavit, ut ei dimidium regni deferret, & dimidio honoris sui frui vellet.

Ad discendum, quod opus est, nulla ætas sera videri potest: quod etsi senes magis decet docere, quàm discere: magis tamen decet discere, quàm ignorare. *Augustinus.*

Lectio certa prodest, delectat. Vnam sequatur viam, & non per multas vagetur: non ire istud; sed

errare eſt. *Seneca.* Vide Epiſt.3. ubi copiosè de rectâ authorum Lectione.

Quid eſt ſtultius, quàm quia non didiceris, non diſcere? Omnis ætatis homines Schola admittit. Tam diu diſcendum eſt, quamdiu neſcias: ſi proverbio credas; *Quamdiu vivas, etiam ſeni diſcendum eſt.*

Nulla res ita pernicioſa eſt diſcipulo, ſicut vita Magiſtri contumelioſa.

Qui vult amari, languida regnet manu. *Seneca.*

Præceptor hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animam, modò admonitionibus diſcuſſit inſidiam. Ingenium pigrum & latens injecta, ut ſic dicam, manu extraxit. Ingratus ſum, niſi illum inter gratiſſimas neceſſitudines diligo. *Idem.*

Qui juventutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopiâ virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque curſu ruentes prenſat ac retrahit, ſi nihil aliud, certè meretur, in privato publicum negotium agit. *Idem.*

Alcibiades Homerum valdè admiratus eſt, & in pretio habuit. Proinde cum aliquando in ludum literarium veniſſet, Iliadem petiit: Cumque Ludimagiſter ſe nihil Homeri habere affirmaret, inflixit ei pugnum ſatis durum, atque eum imperitum eſſe, & ſimiles ſui pueros efficere dixit.

Antiſthenes rogatus, cur eſſet in Diſcipulos tam ſeverus? Et medici, inquit, ſuos ægrotos ſimili modo objurgant, ſignificans ſe in vitia ſævire.

Diogenes aliquando rectà ad præceptorem accurrit, cum videret Diſcipulum male ſe gerentem.

Protagoras quidam fuit, qui gloriabatur, quod per quadraginta integros annos juventutem perdidiſſet. Dignus, meo judicio, cui aquâ & igne interdiceretur. Malo veſtro fato perite ſic mali Magiſtri.

Nunquam Reſp. majore vulnere labefactatur, quam ſi rudis & ignara juventus, malis & ineptis Magiſtris con-

concredatur. Prô dolor! quàm in talibus vapulat Magistratuum sæpè authoritas.

In malum Præceptorem.

Formatù primo lubricam qui à lacte juventam,
Pravia ab exemplis cuncta docere decet.
Non benè virtutum tradit præcepta Magister,
Si non virtutis præferat ipse facem.
Nec quid deterius turpi Natura Parente
Adspicit: hinc summi fons & origo mali.
Affricat teneræ scabiem pestemque juventæ:
Quâ res in casum publica tota ruit;
Et sese in patriam latè diffundit Erynnis.
Mortali nunquam pœna luenda satis.
Hanc semper, Proceres, Musis impendite curam
Vt bene quæ docta est, Pallas honesta fiat.

In malum Discipulum.

Quid mihi vobiscum est infelix turba juventæ,
Infames Scopuli, fexque maligna Scholæ?
Nequicquam celsas ad Divûm tenditis arces,
Turpe recusantes te quoque, Phœbe, sequi.
Et benè formantes vos vitâ & lege Magistros
Mactatis toties tristibus obsequiis.
Ponite difficiles mores animosque rebelles.
Placato rursum Numine, mitis ero.

PRINCIPIS, *Regum.* Vide MAGISTRATUS, *Imperatoris. Majestatis. Imperii. Regni. Iustitia. Aula.*

VErum est, ut video, vetus illud: *Omnes bonos Principes in uno annulo posse perscribi.*

Suspectum Senatus populique imperium, ob certamina potentium & avaritiam Magistratuum. *Tacitus.*

Sparta vix quingentos annos libertatem tenuit. Athenæ sæpe mutarunt. Roma CCCC paulo plus an-

nos liberum illum statum servavit. Regib. & regnis diuturnior est felicitas. *Lips.*

Ægyptii Reges millia plura annorum numerant. Sic & Sinarum Reges, qui in continuatâ serie fuerunt CCXLIII.

Gallorum regnum potens & florens à Farmundo primo R. ad. Henr. IV. LXIII. Reges. idque per annos. ∞ CXC.

Gothorum Reges ab anno Christi CCCVIII. ad Rodericum & Maurorum invasionem XXXIII.

Sola *Veneta* est, quæ ævum millenarium jactet. Felix Fati. sed & legum atque institutorum, quibus velut vinclis formata est adhuc contra lapsum maneat, floreat. *Lipsius.*

Natura commenta est Regem, & ex aliis animalibus licet cognoscere. Vt ex apibus, quarum Regi amplissimum cubile est, medioque & tutissimo loco. *Lips.*

Idem in ovibus, in avibus & alio genere congregum animantium est videre.

Homines autem primi, & origini suæ h. e. Deo proximi, malis artibus fraudibusque nondum corrupti, censendi sunt optima elegisse. elegerunt Principatum. *Lips. de hisce pluribus in cap. I. lib. 2. Mon. & Exempl. Polit.*

Rex ipse, aut per eum delecti jus dicunt, ubi minus obnoxii corruptelæ.

Si ad Optimates is, factio & agnati & amici occurrunt, & alternis inter se jus & aut injuriam gratificantes.

Si ad populum magis peccabitur, & ira aut affectu damnatos passim videbis; aut dimissos. Ad Romanos & Athenienses leviter transi. Ostracismi optimorum sunt & exilia & mulctæ. *Ibid. Lipsius.*

Princeps diutius imperat, unus & idem semper manet. aliter in magistratibus. annui ferè. abeunt imperio, cum discere imperare cœperunt. *vide hac in eodem cap. apud Lips.*

Plerum-

Plerumque regiæ voluntates ubi vehementer immobiles, ſic ſæpè ſibi adverſæ. *Salluſt.*

Ait Panegyriſtes: Neque enim ſpecie tenus ac nomine, fortunâ imperii conſideranda eſt.

Cogitet ſecum princeps, ex Seneca: *Ego ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum, qui Deorum vice in terris fungerer, &c.*

Græci ἄνακτας Reges dixerunt. ut Plutarchus interpretatur, ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς ἔχειν, quod eſt curam gerere & tueri.

Seneca: Admittere in animum totius Reip. curam, & populi fata ſuſcipere, & oblitum quodammodo ſui gentibus vivere. Accipere innumerabiles undique nuncios, totidem mandata dimittere. de tot urbibus, nationibus & provinciis cogitare. noctes omnes dieſque perpeti ſollicitudinem; pro ſalute omnium cogitare. En breviter tuum munus, & in fine Finis, populi ſalus.

Tiberius Imp. teſtatus eſt in pleno Senatu: Bonum Principem Senatui ſervire debere. & univerſis civibus, etiam ſingulis.

Trajanus Imp. cum præfectum ſuum prætorio, de more, gladio ſuccingeret, daretque vitæ & necis poteſtatem: *Cape hunc*, inquit, *& ſiquidem rectè & ex utilitate omnium imperavero, pro me, ſin aliter, contra me utere.*

Hadrianus Imp. quoties auditus eſt dicere: ita ſe Remp. geſturum, ut ſciret rem populi eſſe, non ſuam.

Veſpaſiani cæleſte quoque dictum. Qui ſanus valenſque ſemper in publicis occupatus, etiam æger perſeveravit, & revocantibus amicis, utque ſibi parceret.

Imperatorem, inquit, *ſtantem mori oportet.*

Rudolphus Imp. per Deum, inquit, ſinite homines ad me venire. *non enim ideò ad imperium ſum vocatus, ut in arculâ includar.*

De Principum Virtutibus vide *Schonborn. Polit. lib. 2. cap. 22. 22.* &c.

De

De Electione Principis.

Lipsius cap. III. Mon. & Exempl. Polit. *lib.* 2.

BRASILIENSES quidam cum ad Carolum IX. Gall. R. Rhotomagum venissent, valde mirabantur, quomodò validi illi & proceri viri, Helvetii, parerent parvo & tenello Regi.

Nam generari ac nasci Regibus, fortuitum, nec ultra æstimatur: cooptandi judicium integrum, & si velis eligere, consensu monstratur. I. *Hist.*

Eligere possumus optimos. succedunt sæpe pravi & improbi. Electio optimum quemque invenit. I. *Hist.*

Regnum moderatius videtur, quando nec innutriti sunt potentiæ.

Aperitur & virtutibus campus, & multi ad eas adspirent vel spe Principatus.

Sanè ubi interregnum est, justitia & leges silent: licentia & vis valent.

Ego v. amplius dico: ubicunque laudabile & bonum regnum fuit, in Perside, in Macedonia, in Ægypto, in Sinensibus, in Hebræis ipsis, successionem valuisse.

Iterum amplius dico: nec fuisse ulla Comitialia regna, nec fore diuturna.

Nicetæ verba: ô quantò deterius est multorum suffragium & electio, quàm unius. Tu inclytum Romanum imperium & gentibus adoranda majestas, quos tyrannos pertulisti! Variè hæc disputat *ibidem Lipsius.*

AURUNCANI populi Barbari solis viribus Corporis ductores legere soliti. Experti hoc in gravi aliquo ligno, qui diutissimè humeris hoc bajulat, putatur par oneri futurus. Melius, qui ab animi virtutibus, aut præstantia, quod Romani olim veteres in suis Regib. &c.

REGILLIANUS Dux Illyrici erat, & milites malè in Gallienum animati, res novas agitabant. Fuitque Valerianus Tribunus, qui in joco & vino diceret:

Regilliani

Regilliani nomen unde credimus dictum? subjecit statim alius: à Regno. Et milites communiter: *Ergò potest Rex esse.* & occasione solâ temerarii dicti, fecerunt. Vide plura *in Lips. Mon. & Exempl. Polit. lib. 2. cap. 3.*

Felix urbs, quæ jussa unius Principis audit. *Solon.*

De Successione Principis *cap. IV. Lips. in Mon. & Exemp. Pol.*

Proceres regni eligi, anceps. si unum, cæteros offendis, ut spretos.

Successio, melior Electione, quia nullum hic interregnum, nec competitio.

Caritas multò major in genitum & sanguine principem.

Vt fraus absit, cautiones adhibitæ. Sicut in OGINA Lucenburgicâ, quæ penè quinquagenaria, in matrimonio *Balduini Pulchro-barbi* Fland. Com. gravida est facta. Circa dies partioni jam solennes, maritus in medio Atrebatium foro tabernaculum jussit tendi. &c. Edixitque omnibus fœminis famâ & loco honestis, fas esse adsistendi & oculis arbitrandi, verus, an suppositius ille partus esset. *Vide plura ibidem.*

Qui in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere ita maxima fortuna minima licentia est. *Sallust.*

Alphonsus R. Arrag. & Neapoleos cum de subditorum moribus disputaretur, dixit: *Vt herbas quasdam ad solis motum: sic populares in Principum mores verti.*

Vide quoque de hac materia Electionis & Successionis Politicam *Schonborneri cap. 1. 2. 3. &c. lib. 2.*

Monita ad Principem De

RELIGIONE.

REx summus hominum & omnia mortalia infra magnitudinem ipsius jacent. Supra verò ipsum

DEUS.

DEUS. Cujus benignitati referenda gratia. 11. *Annal.*

Simul illud reputet, arduum & subjectum fortunæ regendi cuncta onus. 1. *Annal.*

Quantoque plura adeptus sit, tanto se magis in lubrico. 1. *Annal.*

Magis famâ, quam vi stare res suas. 6. *Annal.*

Quod si læta quidem in præsens sint omnia, grates Deo agat. 11. *Annal.*

Nec ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterentur. 11. *Annal.*

Vt sunt ingenia Regum, dubiis ad formidinem prona, ubi securitas redierit, voluptatum, quàm religionum appetentia. 4. *Histor.*

Quin exemplum det populo, religionibus ac divino jure illum devinciendo. 3. *Annal.*

Mathematicos verò fugiat, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. 1. *Hist.*

Nam quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. 1. *Hist.*

Detestetur profanos, qui Dei imaginem mortalibus materiis, in species hominum effingunt. 5. *Hist.*

Veneretur Princeps unum illud summum & æternum, neque mutabile, neque interiturum NUMEN. 5. *Hist.*

Adest Deus justæ vindictæ, nec durant longè, qui ex paternâ fortunâ tantùm licentiam usurpant. 14. *Annal.* & *in Agric.*

Alia Monita.

Sit ante oculos *Nero*, nam alium exemplo non adsumam. quem longâ Cæsarum serie tumentem sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere. 1. *Hist.*

Quin imò Principes ipsi ideò facinora atque flagitia sua in supplicium vertunt. 6. *Annal.*

Initia Principatus sunt meliora fermè, & finis inclinat. 15. *Annal.*

Adeoque acribus, ut fit, initiis, incurioso fine, vi dominationis quisque convellatur & mutetur. 5. *Annal.*

Deinde nihil intermissa rerum curâ, negotia pro solatiis accipiens munia imperii obeat. Libellumque habeat, unde possit callere, quot opes publicæ contineantur. quantum civium, sociorumque in armis, quot classes, provinciæ, tributa aut vectigalia, & necessitates ac largitiones. 1. *Annal.*

Ea enim conditio imperandi, ut non aliter ratio constet, quàm si uni Principi reddatur. 1. *Annal.*

Nec tamen aliud discordantis Patriæ remedium est, quàm ut ab uno regatur. 1. *Annal.*

Omne jus, dominatio, potentia, arma in Augustum cessere, qui cuncta civilibus discordiis fessa nomine Principis sub imperium accepit. 1. *Annal.*

Id Deo placitum, ut arbitrium rerum penes unum maneret, quid daret, quid adimeret, neque alium judicem, quàm se pateretur. 13. *Annalium.*

Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur. 4. *Hist.*

Ferenda ergo Regum ingenia, neque usui mutationes. 12. *Annal.*

Quomodo sterilitas, aut nimii imbres, & cætera naturæ mala: ita luxus & avaritia dominantium patienda. 4. *Hist.*

Subditis obsequii gloria relicta. 6. *Annal.*

Veneretur semper Deum Princeps, ut Consilia sua Reip. prosperet. 3. *Annal.*

Cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu probet.. 2. *Hist.*

Tantò magis unum Reip. corpus unius animo regendum esse probatur. Quia insociabile regnum: & arduum est, eodem loci potentiam & concordiam esse. *Tac.* 4. *Annal.*

Illud quoque ex plebe vitium, quod non simul, nec jussi conveniunt; sed multi dies contatione coëuntium absumuntur. *M. Germ.*

Fermè

Fermè periculosiores inimicitiæ juxta libertatem *M. Germ.*

Proinde non aliud discordantis patriæ remedium quàm omnium potestatem ad unum conferri. 1. *Hist.*

Princeps se talem civibus præstet quales sibi deos velit. *Seneca.*

Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipse sine aculeo est. *Seneca.*

Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. *Idem.*

Quod si Regum Principumque animi virtus in pace ita, ut in bello, valeret, æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent. neque aliud alio ferri, neque mutari, ac misceri omnia cerneres. *Salust.*

Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt. Semperque his aliena virtus formidolosa *Idem.*

Callidè *Tiberius* dabat famæ, ut vocatus potius electusque à Rep. videretur, quàm per uxorium ambitum, & senili adoptione irrepsisse. 1. *Annal.*

Consule ad hunc locum *Goulartii* Historica: qui de illo pluribus agit, &c.

PRÆLIORUM. Vide *Belli. Victoria. Pugna. Armorum.*

AN *noctu prælium incipiendum?*

Tenebræ aliquando deliguntur ad augendam fomidinem. 4. *Annal.*

Nam nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna. 4. *Annal.*

At tum incerti ictus, vulnera improvisa, suorum atque hostium ignoratio. 4. *Annal.*

Nil prodest virtus, sors cuncta turbat, & ignavorum telis fortissimi cadunt. 4. *Hist.*

Non certè oppugnationem inchoabit princeps adempto omni prospectu. quis æquus locus, quanta altitudo mœnium, tormentisne & telis, an operibus &

& vineis aggredienda urbs sit. *Tac.* 3. *Histor.*

Princeps ante agmen, quo cæteris par animus simili periculo sit, incedat. *Tac. Agric.*

Nullum interim constantis ducis, aut fortissimi militis officium omittat. occurset paventibus, retineat cedentes: ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis. 3. *Hist. Tac.*

Velut *Corbulo* aliquis cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens, laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus præbeat. *Tac.* 13. *Annal.*

In Militia Romanâ *Principes* dicti, secundæ aciei milites, ex robustiore ferè ætate collecti, & armis maximè insignes. Apud Romanos hoc modo acies instruebatur: Primò manipuli *hastatorum* ex flore juvenum hostem aggrediebantur. Qui si non sufficerent, à *Principibus*, qui omnes scutati, in intervalla ordinum recipiebantur, Principesque in eorum locum succedebant. Hastati eos subsequebantur. Si quoque à Principibus non feliciter pugnaretur, à primâ acie paulatim ad Triarios referebantur, unoque agmine facto, nullaque spe post se relictâ, unà omnes in hostem procedebant. *Livius.*

Vide plura in *Goulartii Hist. Philos.* hoc Tit.

Dehinc clamori pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus, pauca sine vulnere mala,
Vix cuiquam. aut nulli toto certamine nasus
Integer. adspiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis. plenos oculorum & sanguine pugnos. Iuvenal. Sat. XV.

PRECANDI. *Precum.* Vide *Vovendi. Sacrific.*

ROmani bellum gesturi contra hostem, primum solenni more diem supplicationis instituerunt, ut ne quid temere sine Deorum auspiciis inceptarent.

Scipio

Scipio Africanus Deos suos oraturus noctu Capitolium ascendit. Magi & Persæ sacrificiis atque precibus singulariter studebant. Indi & Gymnosophistæ mirâ cum diligentia Diis suis immolabant.

Romulus Iovi Statori sacram ædem dedicavit. *Numa Pompilius* divinum auxilium imploravit. *Græci* Iovem, Herculem, Apollinem, ut prosperos rerum successus obtinerent, præfari solebant.

Moyses deplorandam ab Ægyptiis plagam amovit, Israëlitis pacem, & libertatem invenit.

Illo divinæ orationis zelo flagrans *Helias* exspectatam de cælo pluviam extorsit; *Halisæus* noxias potantibus aquas salubres fecit. *Iosue* continuæ orationis fervore solem & lunam commovit.

Iudas Machabæus precibus, quàm armis munitior fuit. *Paulus* per preces noxium à muliere spiritum expulit, afflictis valetudinem restituit, se ipsum carcere & vinclis exsolvit.

Clamavit ad Deum *Ionas* & exauditus est. Habuit piam orationem *Azarias* stans medias inter flammas illæsus. Oravit obnixè suppliciterque *Susanna* & indictam sibi mortem repulit. Precata est ad Deum *Iudith*, tot inter millia armatorum Holofernem obtruncans.

Petiit à Domino sobolem *Anna* & opprobrio sterilitatis liberata est. Illo tutus præsidio *Ionathan* secundo cum hostibus Marte pugnavit; *Iosaphat* ingentem inimicorum copiam profligavit. *Samuel* Israëlitas contra Philistæos defendit

Velatis manibus erant: Plaut. in Amph. Velati dicebantur, qui caput cinctum licio laneo habebant. Virg. quoque de manibus dixit: *Præferimus manibus vittas & verba precantum.* Deo pia vota & preces castæ. Vide nobilem tractatum *Philippi Camerarii Cent.* I. *cap.* I.

PRODI-

PRODIGIORUM. Vide *Auguriorum. Ominis. Somniorum. Monstrorum. Vaticiniorum. Spectr.*

AMbrosius Mediolanensis Episcopus diem mortis suæ prævidit, Fratribus indicavit. dictavit ergo enarrationem Psal. 44. Atque inter dictandum conspecta est Clypei figura, quæ cum evanuisset, mirifico fulgore faciem Ambrosii illustravit. Quid hoc aliud, quàm Christianæ fidei clypeum Ambrosium, contra Hæreticorum insultus paullò post obiturum, & veluti disparriturum, cujus tamen scriptis assiduè devoratis, novus splendor Ecclesiæ accessurus esset?

M. Brutus cum in Europam trajiceret, noctu solus in tentorio terribili aspectu umbram vidit, & quænam esset intrepido animo rogavit. Respondit illa: *Cacodæmon tuus sum, in Philippicis campis iterum me videbis. Videbo*, inquit, Brutus. Umbra mox disparuit. Eandem postea in Macedonia, ea nocte, quæ vitæ fuit postrema, iterum vidit, ab Octavio enim victus vitâ privatus fuit.

Cum Rex Philippus Græciam invasit Cælum sanguinea specie apparuit. L. Martio & Sex. Iulio Consulibus in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes & recedentes.

Quo anno *Saguntbus* deleta est ab Annibale, puer in eadem urbe reversus est in uterum matris. Annotatum est in antiquis prodigiis canem, bovem, locutum fuisse, serpentem latrâsse.

Laodicea adventu *Xerxis* platanus in oleam mutata est. Ante mortem Caligulæ simulachrum Iovis Olympii tantum cachinnum repentè edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. M. Lepido & Q. Catulo Consulib. locutus est gallus gallinaceus.

Secundo bello Punico bovem dixisse: *Cave tibi Roma.*

Iulius Cæsar eo die, quo purpurea veste velatus, aureâ in sella consedit, priusquam civium oculis conspectum

ſpectum ſuum offerret, cultui religionis vacavit, mactatoque opimo bove, cor in extis non invenit. Reſponſum ei à Spurina Aruſpice, pertinere id ſignum ad vitam & conſilium, quod utraque hæc corde continerentur. Nec multo poſt vita illi à conjuratis adempta fuit.

Mors *Auguſto Principi* prænunciata. Sub extremum tempus, tabula, in qua nomen ejus inſcriptum erat, de cælo tacta, & prima nominis litera dejecta eſt. Hinc reſponſum, centum eum dies, non amplius victurum, qui per convulſam ſignificarentur literam: Se verò inter Deos referendum, quod reliquum percuſſi nominis indicaret. Quoniam ÆSAR Deus Tuſcorum lingua diceretur.

Nullum magis unquam in cælo apparuit oſtentum, quàm quod citra Naturæ legem die, quo *Chriſtus Theanthropos* in Iudæâ cruci eſt affixus. Sol à ſexta diei hora ad nonam obtenebratus eſt. Stupuerunt miraculum ſapientes: & in his Dionyſius Areopagita, qui ad tale oſtentum exiliiſſe dicitur, atque exterritus exclamâſſe: *Aut mundus ſolvitur, aut Deus patitur.*

Hem, hem! hæc portenta ſunt, quæ nullus expiet, aut explicet ab Etruriâ aruſpex. *Lipſ.*

De *Gigantibus* vide *off. Text. cap.* 37. *lib.*2.

De *Centauris cap.* 39. *Ibid.*

De *Prodigiis* vide Text. off. lib.7. *cap.*53.

Et Parentem meum in ſacris Fatidicis.

Servio Tullio etiam tum parvulo dormienti, circa caput flammam emicuiſſe domeſtici oculi annotaverunt. Quod prodigium Priſci Tarquinii regis uxor Tanaquil admirata, Servium ſervâ natum, in modum filii educavit, & ad regium faſtigium evexit. *Val. Max. cap.*6. *lib.*1.

In Exercitu Xerxis equæ partu leporem editum conſtat; Quo genere monſtri tanti apparatus ſignificatus eſt eventus. Nam qui mare claſſibus, terram pedeſtri operuerat exercitu, ut fugax animal, pavido regreſſu regnum ſuum repetere eſt coactus. *Ibidem.*

PRO-

PROSAPIÆ. *Nobili vel obscuro loco nascendi.* Vide *Nobilitatis. Affinit.*

GEnus tibi nobilissimum & antiqua stirpe decorum.

Fumosis avorum imaginibus clarus. Excelso loco, antiquo sanguine, claris parentibus, lautâ & benè auctâ familiâ oriundum esse.

Imi subsellii & imi lecti vir. Scis tu me esse imi subselli virum? Infimitatis infimus ego.

Cappadocum de grege. Ex venalium abstractus grege. De lapide emptus.

Obscura, humili, plebejâ stirpe natus. Ex vili casa & tuguriolo.

Nullam refert familiæ lucem, splendorem, claritatem.

Quem ego infra infimos omnes esse puto homines.

Nemo est hominum, qui vivat, inferior.

Non enim *ubi prognatus*, sed *ut moratus* quisque sit spectandum est, nec qua ratione vitam vivere inierit considerandum est.

Vide Paupertatis.

Pythagoras Samius Phil. in tenui fortuna est natus. Patrem habuit annulorum sculptorem.

Socrates Apollinis oraculo sapientissimus, matre obstetrice natus & patre marmorario.

Æschines vir omni famâ major Athenis patre inopi atque abjecto Athenis natus.

Euripidis Principis Tragicorum mater olera vendit, pater incertus.

Demosthenis pater cultellos factitavit,

Horatii Flacci pater Libertinus fuit.

Bonosus Imp. peregrino sanguine natus, patre inopi ac Magistro ludi literarii.

Tarquinius Priscus Mercatore genitus. *Servius Tullius* Rom. Rex ex serva captiva natus.

Phocion Patrem habuit, qui cochlearia confecit.

C. *Marius* humili loco natus, septies tamen Romæ Consul.

Exer-

Exerceamur ad paululum & ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securi divites erimus, si scierimus, quam non sit grave pauperes esse. *Seneca.*

Quis fuit *Marius*, si illum in suis inspexerimus majoribus? humilis. *Pompejum* si hereditariæ extulissent imagines, nemo Magnum dixisset. *Servum* Regem tulit Roma: in cujus virtutibus humilitate nominis nihil clarius. Quid tibi videntur illi ab aratro citati, qui paupertate suâ Remp. beatam fecerunt? Quemcunque volueris revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. Inter hæc tam effusa mænia nihil est humili casâ nobilius. *Seneca.*

De numerosa & præternaturali pro se, lege *Camerar. Cent.2. cap.67.*

Ibidem. De favore sobolis propagandæ & multitudine Civium Romanorum. *cap.65.*

PROCRASTINANDI.

RES omnes serias extollo ex hoc die in alium diem.

Saltem aliquot dies profer, dum proficiscar aliquò ne videam,

Protendere Comitia in longum tempus. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit, *id est*, differtur.

Dolores longinquitate producti vehementius torquent homines.

Convivium ad multam noctem vario sermone produximus.

Impetrat à Senatu ut dies sibi prorogaretur. Longa comperendinatione non licet proferre.

Id agis, ut rem extrahas, producas, protrahas, proferas, proroges, protendas; ut rem suspendas.

Vide ne res longius ducatur. Ne ad hoc negotium fiat accessio temporis. Diem de die trahere: Rem extrahere.

PRO-

PRODITIONIS. Vide *Insidiarum, Doli.*

PRoditio grata, sed proditor exosus. *Camerar. Cent. 1. cap. 7.*

De proditione lege *Gaulartii* Philosoph. Hist. hoc titulo.

Nihil proditoribus, aut iis, qui res novas moliuntur, tutum est. *Polyb.*

Nullæ leges Proditoribus, seu profugis securitatem præstant. *Xenophon.*

Proditores, etiam iis quos anteponunt, invisi sunt. *Tac. lib. 1. Annal.*

Fidem nemini servare potest, qui patriæ non pepercerit. *Fl. Vopisc.*

PROBITATIS. Vide *Pietatis. Virtutis. Dei. Iustitiæ.*

ARistide inter Græcos quid probius? qui cum gloriæ & nominis causâ periclitaretur, in exitium decennale mitti, quod à genere suffragii *Ostracismum* Græci dicunt. Ille, cum in suffragium jam iretur, ipse quoque aderat, & stabat permixtus plebi. Rogabatur ab aliquo, ut in testulam nomen Aristidis inscriberet, damnandi sc. *Ergò eum nôsti*, inquit, *aut alibi is te læsit, nocuitque*? Neutrum, inquit, alter. sed hoc malè habet, & damnatum eo, quod passim vocari audio justum. Testam accepit, Aristides & paruit, ac nomen suum promptè inscripsit. ô summa probitas, & alio, quàm populari illo theatro digna! *Lips. in Mon. & Exempl. Pol. cap. 7. lib. 1.*

Epaminondæ vita quoque tota nil nisi Probitas, adeò ut ne joco mentitus unquam. Hic cum bello præfectus non esset, invidiâ premente, & necessitate talem ducem postulante, & alius imperitus jam delectus esset, ipse nihil motus, pro gregario milite nomen dedit. Cum mox in grande periculum ignaviâ ductoris ventum, cunctis requirentibus Epaminon-

dam, ille alacris prodiit, & exercitum obsidione ereptum incolumem in patriam reduxit, *Ibidem.*

Porcius Cato nemini parcere, aut amicus esse didicerat, qui Reip. non esset.

Brutus, fallor, aut unicum exemplar est in omni vitâ benignæ & mansuetæ Probitatis. Quàm compositus ille animus fuit, qui instante Pharsalicâ pugnâ, ipso vespere ad multam noctem legit & scripsit, Polybii epitomen commentans. unde ea quies, nisi ab animo introrsum quieto & puro? Qui nec Cæsarem quidem cum perturbatione aut odio occidit: testante M. Antonio, cujus hæc vox fuit: unum se putare M. Brutum exsortem affectus, Cæsarem adortum patriæ & legum amore. *Ibid.*

PROVIDENTIÆ. Vide *Deus. Fatum. Necessitatis, &c.*

Mirus providentiæ ordo, & cælestis ille Agricola has illasque partes excolit, & velut novales quosdam agros alternis serit. *Lips.*

Vt statua in basi, sic nixus ego sto in providentia divina. Providentia gubernaculum rerum humanarum. *Idem.*

Nihil ritè, nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicantur.

Nulla gens tam barbara, tam immansueta, tam ferrea, quæ non etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.

Sophocles. Ἔστι μέγας ἐν οὐρανῷ
Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.
Qui inspicit omnia & regit.

Nec curare Deum credis mortalia quenquam?

Neque multitudo, neque robur in bello victoriæ causa est, sed Deus. *Xenophon.*

Socrates dicebat, si quid cura potest, illud cures: at si Deus ipse te curat, cur tu sollicitus tibi sis?

Plato, Virtus, inquit, nec sub doctrinam cadit, nec

nec est naturalis; sed divino fato inest iis, qui eam habent.

Idem. Deus omnia & secundùm Deum fortuna & occasio humana gubernant omnia.

Antisthenes dicere solebat, sapienti nihil esse novum aut subitum: eo quod quicquid homini potest accidere, sit tam præmeditatus, ut nunquam dicat: Non putâram.

Regitur Fatis mortale genus
Nil sibi quisquam spondere potest
Firmum & stabile. Seneca.

Fata nos ducunt, & quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. *Seneca.*

Præbere se Fato, boni viri est. Grande solatium est cum universo rapi. *Idem.*

Est profectò aliquid supra nos, potens omnium rerum, patens per omnia.

Fundit, inquam, æterna illa mens suæ lucis radios quoquò versum, *per omnes terrasque tractusque maris.*

Illa enim ipsa provida mens, quæ cælum hoc quotidie volvit, revolvit, solem ducit, reducit, fruges promit, recondit; casus istos & vicissitudines omnes rerum peperit, quas miraris aut indignaris, πάντων enim ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ, omnium rerum dispensatores in cælo.

Est aurea quædam veluti catena demissa supernè, ut per fabulas Homerus voluit, ad quam omnia hæc inferna alligat.

Quod illic labes terræ oppida aliquot absorpsit, à providentia est. quod alibi pestis multa millia hominum demessuit, ab istâ. quod cædes, bellum, tyrannis apud Belgas, ab eâdem ista.

Fluxus & refluxus hîc rerum humanarum ab illâ Lunâ dependet. Ortus regnorum & occasus ab illo sole.

Vt papiliones & minuta quædam animalcula vesperæ lucernæ lumen identidem circumvolitant, do-

nec amburantur: sic humana mens lascivit circa arcanam illam flammam. *Lipſ.*

Non me cepit unquam cæleſtis illa curia, nec ego ejus decreta. Salvianus ait: *Summa juſtitia eſt voluntas Dei.* Lipſ.

In divinis ſuperiſque unum acumen eſt, nihil cernere. una ſcientia eſt, nihil ſcire. *Idem.*

Evolvam eâ nubeculâ te breviter, & hærentem quoque transferam per hoc flumen. Tu cæleſtis & arcana mens, pacem veniamque mihi da, ſi quid in his arcanis minus pium purumque dicam, adfectu tamen pio. *Idem.*

Vim divini illius juris quia non capis, carpes; & terræ hujus incola temerè damnabis ignotas cæli leges? *Idem.*

De *Providentiâ* lege Goulartii Philoſoph. Hiſt. hoc Tit.

Cæca mortalitas! Sol, Luna, ſidera, elementa, & omnia hæc ſæcla animantum parent non invita, & obaudiunt ſupremæ illi legi. nobiliſſimum rerum, Homo ſolus in conditorem ſuum calces jacit & reſiſtit.

Rideamus, ſi is, qui cymbam ad rupem alligavit, & funem idemtidem trahat, rupem ad ſe accedere cenſeat, cum ipſe ad illam. Et non major noſtra ſtultitia eſt, qui ad ripam illam æternæ Providentiæ nexi trahendo & reluctando volumus eam nobis obſequi, non nos ipſi? *Lipſius in Conſt. cap.* XIV.

Verto proram, & removeo me ab hac charybdi, quæ multorum ingenia abſorpſit. Ciceronis hîc naufragium video, qui Providentiam maluit tollere, quam delibare aliquid de humanâ libertate. Ita dum homines liberos fecit, fecit ſacrilegos. Euclides olim interroganti multa de Diis, per commodè reſpondit: cætera quidem neſcio, illud ſcio, quod odère curioſos. *Idem.*

PUDICITIÆ. Vide *Pudoris*. *Castitatis*.

PEnelope viginti integros annos, absente Vlysse, in pudicitia degit. Cum verò multis procis solicitaretur, egregio illos astu elusit. Primum permitterent illi telam inchoatam pertexere. Illa, quod de die texerat, dè nocte retexit, donec reversus Vlysses omnes ad unam procos interfecit.

Apud *antiquos*, Mulieres, quæ uno matrimonio contentæ fuerant, Coronâ pudicitiæ donabantur.

Lacæna interrogata num ad Virum accessisset? Non, inquit, sed ille ad me.

Lydis moris erat, ut mulieres antequam eum maritis decumberent, corpus prostituerent. Cum autem semel laxatæ fuissent, deinde omni tempore continentes essent. Quæ verò postea cum alio rem habuisset, sine venia & misericordia plectebatur.

Melanione castior. Hic nuptias fugiens in solitudinem venit, & in montibus habitavit, cane suo venatus lepores. adeò mulieres detestabatur.

Lucretia ob acceptum à Tarquinio stuprum temeratamque pudicitiam facinus sua morte vindicavit.

Hippolytus Thesei filius, quum à Phœdra noverca adameretur supra fidem, nullis tamen precibus adduci potuit, ut congrederetur.

Sophronia Romana mulier, quum vim & stuprum Decii Principis non posset effugere, gladium mariti consensu arripuit, eoque corpus sibi confodit.

Spurina adolescens, quum egregia forma decoroque aspectu viros &mulieres ad libididem concitaret, faciem & pulchritudinem oris sponte vulneribus deformavit.

Euphrosyna virgo Alexandrina virum mentita, domum patris Pannutii reliquit, ne ad nuptias cogeretur.

Raræ quippè tales, qualis *Germanici conjux*, pudicitiâ

citiâ impenetrabili, quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerat. 6. *Annal.*

Aliter Agrippina, quæ puellaribus adhuc annis stuprum cum Lepido spe dominationis admisit, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, 14. *Annal.*

PUDICITIÆ exempla habes in *Val. Max. lib.* 6. *cap.* 1.

PRUDENTIÆ. Vide *Sapientia. Doctrina. Consilii, &c.*

POst virtutem, cujus caput est Relligio sive Pietas, Prudentia est necessaria.

Prudentia non aliud est, quàm notitia rerum eventuumque & judicium in iis rectum.

Tria pariunt prudentiam, *Natura, Usus, Doctrina.* usus si accesserit etiam mediocris natura attollitur. ubi doctrina conjungitur, mirum, quàm valida illa mixtio!

Historia valde opus, rerum sc. memoriâ. Disces, si oculos mentis in illo velut speculo defigis exemplorum.

In Solone Nat. Usus, Doct. viguerunt. Ægyptum, Asiam, Cyprum lustravit. gloriabatur tamen, cottidie addiscentem senem fieri. Nobilem quoque illam vocem edidit: ut, *cum illud sciero, doctior moriar.*

Epaminondas dux militiæ peritissimus, philosophatus, sed ἄνευ μαλακίας, ut loquitur Thucydides, sine desidiâ.

Alexander habuit præceptorem Aristotelem. Quem virum! ipsius sapientiæ prolem aut alumnum. Homerum qui adeò amavit, ut cum in Darianâ prædâ scrinium gemmis & auro cultissimum, repertum esset, aliique aliò destinarent. *Imò*, inquit, *Homeri carminibus reservetur.*

Iulius Cæsar sic acer & militiæ pullus. scribere & legere simul & dictare & audire. Epistolas verò maximarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut

ſi nihil aliud ageret, ſeptenas. *Lipſ. in Mon. & Exempl. Polit. cap. ult. lib. 1.*

Sertorius, quamvis meditatâ oratione, perſuaſit inconditæ Luſitanorum multitudini: ne cum Romanis copiis univerſâ acie Martis aleam experirentur. Exhibitis duobus equis, altero validiſſimo, altero imbecilli, huic admovit juvenem viribus præſtantem, illi ſeniculum invalidum, *juſſit ut uterque caudam equi velleret.* Id cum juvenis totam equi caudam complexus, fruſtrà tentando defatigaretur, ſenex paulatim revellens facilè totam caudam depilavit. *Eraſm. in Linguâ.*

SAPIENTIA eſt virtus intelligentiæ, quâ intellectus noſter ad integritatem verâ Sciendorum Scientiâ informatus rectè ſapit. Quare *Plato* illam animi affectionem vocat.

Sapientiſſimus homo ad Deum collocatus ſimia apparet.

PRUDENTIA eſt virtus intelligentiæ, quâ intellectus Agendorum rectâ ſcientiâ informatus, rectè agit.

Prudentia eſt vis, quæ per ſe ipſam ad beatitudinem humanam perducit. *Plato.*

Si prudens eſt animus tuus, vitæ actiones tribus temporibus diſpenſa, præſentia ordina, futura prævide, præterita recordare. *Seneca.*

Nam qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit. qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Idem.*

De pudicitiâ Veterum & libidine quæ oritur ex nuditate corporum & luxuriâ. *Camerar. Cent 2. cap. 41.*

De Prudentia vide qnoque plura in Hiſt. Philoſ. *Goulartii.*

Si vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi. multos reges, ſi ratio te rexerit. *Seneca.*

Sapiens ſcit, ſibi omnia reſtare. Quicquid factum eſt, dicit, Sciebam. *Idem.*

PUDO-

PUDORIS. Vide *Verecundiæ. Pudicitiæ. Castitatis.*

EJus color pudoris signum indicat. Erubescit, salva res est. Rubor in vultu, pudor in animo.

Cui periit pudor, penitus periisse videtur.

Pudor veluti vestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur.

Mihi autem suffusus rubor, sudorque toto passim vultu deciderat.

Ubi non est pudor, nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile Regnum est.

Custos virtutum omnium dedecus fugiens & laudem maximam consequens, verecundia est. Adeò ex alto illi suffusus est rubor. *Seneca.*

Pythias Aristotelis Filia interrogata, quis color omnium colorum esset pulcherrimus; *Respondit*: quod sit ille, qui provenit ex verecundia.

Est verecundia bonum, ut dicit *Seneca*, in adolescente signum, & ut dicere solebat *Diogenes*: Rubor virtutis est color.

Nihil fuisse mollius ore *Pompeji* annotaverunt eruditi, qui nunquam non erubuit coram pluribus.

Quintilianus verecundiam vitium esse dicit, sed amabile & quod virtutes generet.

Verecundia, à vereor, quod est timeo, dicitur.

Seneca: Nutriendus est pudor, qui quam diu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus.

Verecundia parens est omnis honesti consilii.

Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quàm metus superat, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor.

Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam consequens, verecundia est. *Cicero.*

Bonum in adolescente signum est, cum ille rubor ex alto suffunditur.

Quicquid

Quicquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare.

Diogenes videns adolescentulum inhonesto dicto erubescentem: *Confide*, inquit, *Fili, hicce color virtutis est*.

Alcibiades tantâ fuit verecundia, ut publicè de rebus forensibus facere sermonem erubuerit.

Ex instituto *Lycurgi* Sponsus noctu clam accedebat ad Sponsam, extincto lumine, atque cum ea quadam religione timidus verecundusque coibat.

Diogenes Cynicus Phil. Adolescenti cuidam erubescenti, atque ob id perturbato: bono animo es, inquit, *Fili! istiusmodi est virtutis tinctura.*

Pudor vocatur virtutis anteambulo, vitiorum pedissequus.

Romanorum Censor gravissimus *Cato*, sibi magis placere juvenes, dicebat, qui rubescerent, quàm qui pallescerent: quod rubor probam indolem arguat, pallor perversam.

Quod honestatis vestigium *Demades* in muliere pulchritudinis arcem appellavit. Vide *Theatrum Ing. Hum.* cap.4. lib.1.

Iulius Cæsar Pompejam uxorem repudiavit, quod rumor esset, illam à Clodio vitiatam, inquit: *Decet Cæsaris uxorem etiam rumore sinistro calumniaque vacare.*

Aliis oculis virginem leno adspicit, aliis pontifex. *Seneca.*

Evulgatus pudor non satietatem, sed incitamentum adfert. 14. *Annal.*

Pudicitiæ Ethnicorum exempla vide in *Camerarii Cent.* 1. *cap.* XXXIV.

PULCHRITUDINIS. Vide *Corporis. Vultus. Deformitatis.*

DIstorto in corpore, inquit *Pythagoras*, anima distorta & nequam habitat.

Forma lepida & liberali. Forma præter cæteras honesta & liberali. *Terent.*

Nimium lepidè lepida, nimisque nitida fœmina.

Formæ amœnitatem, faciem, pulchritudinem alicujus collaudare.

Satis scita est. Forma regia virum delectat. Eia quàm elegans est.

Ejus elegantia meam speciem spernit. Sat ædepol concinna est facie. Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis? O faciem pulchram!

Deleo omnes dehinc ex animo mulieres: tædet harum quotidianarum formarum.

Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt. *Plaut.*

Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illicò itidem olent, quasi quum unà multa jura confudit coquus.

Amator Meretricis mores sibi emit auro & purpura.

Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt: Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata, pulchrior. *Idem.*

Tum mulieres advocat supra politissimas imagines cultas.

Forma mulieris incauta præcordia subito trajecit. Oculi sideribus pares vivido splendore vibrabant.

Os illud vide ut sibi detorsit carnifex! Monstrum hominis.

Homerus sentit virilem pulchritudinem plerumque conjunctam esse virtute. Quare *Achillem* & *Hectorem* singulariter pulchros magno in pretio habuit.

Auget famam decor oris cum quadam majestate. 2. *Hist. Tac.*

Imperatores quoque formâ ac decore corporis comparare. 1. *Hist.*

Pulchritudo magna sæpe ratio emergendi. vide *Parentem meum Fatid. lib. 3. cap. V.*

Socrates pueros forma elegantes ad Philosophiam instituit, quia liberalitas in vultu specimen est boni Ingenii.

Scipio

Scipio Africanus cum nondum innotuerat Hispanis, statim decentia formæ & rectis moribus miram sibi conscivit benevolentiam. Hinc in Amatoriis Poëta:

Moribus & forma conciliandus amor.

Δύσμορφ@ εἴην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.

M. Lælius in Galbam Oratorem, sed gibbo deformem sic lusit; ut diceret ingenium Galbæ malè habitare.

Formosa facies muta commendatio est. Seneca.

Socrates jubebat sæpe suos Discipulos in speculo se contemplari, ut si essent deformes, eam corporis deformitatem pulchritudine animi compensarent: si formosi, ut nihil indignum egregia forma committerent.

Si mihi difficilis formam Natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ. Ovid.

Venit aliquando cum habitu contemptibili in Principis aulam *Philosophus*: sed diu frustra pulsatis foribus, non admittebatur. Postea mutato habitu & elegante vestitu ornatus, ad primam vocem venienti janua patuit. Qui procedens ad Principem, pallium quod gestabat, venerans exosculabatur. Quam rem, ut insolitam admirans Princeps, quid hoc ageret, exquisivit. *Resp. Honorantem honoro, quia quod virtus non potuit, vestitus & pulchritudo obtinuit.*

Iocatus fuit *Cicero* in Lentulum longo accinctum gladio, cum staturæ esset exiguæ: *Quis generum meum ad gladium alligavit?*

Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. *Proverb.* Quæ pulchra bis terve repete.

Nôsti complures juvenes, barba & coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. *Seneca.*

Quippe in formosæ conjugis vultum tam constanter oculos defixerat, ut putares inibi latere magnetem, qui ferrei senis aspectum in eam partem cogeret.

Haud similis est Virginum nostrarum, quas matres

ſtudent demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles fient: Si qua eſt habitior paullo, pugilem eſſe ajunt: deducunt cibum: tametſi bona eſt natura, reddunt curatura junceas. *Terent.*

Quid tua iſthæc? nova figura oris, color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum.

Novi hominis faciem, magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, cæſius, cadaveroſa facies.

Mulier rectè olet, ubi nihil olet. *Plaut.*

Formæ dignitas coloris bonitate tuenda, color exercitationibus corporum.

Forma Dei munus: Forma quota quæque ſuperbit.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit;
Idaliæ ſimilis ſit licet ille Dea.
Non ſum adeo informis, nuper me in littore vidi.
O Formoſe Puer nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Vah! pudeat, quæ buccas tam pulchrè purpuriſſatas habeas.

Buccas rubricâ, cerâ omne corpus intinxti tibi.
Quid ceruſſâ opus eſt?
Non iſthanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere. Plaut.

Calcei Sicyonii. de re admodum pulchrâ. ſed quæ parum deceat virilem ſapientiam. Ideo, cum Ciceroni lecta Oratio Licii, reſpondit: Si mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non tamen uterer. quamvis ad pedem apti, tamen viros minimè decent.

Pulchritudo hominum res fragilis *Cent.* 1. *cap.* x. *Camerar.*

De *Pulchris* conſule Offic. Textoris lib. 2. cap. 49. De *Deformib. cap.* 50.

Omnia formoſam propter Bryſeida paſſus. Propert.
Mille proris placuit bis ſeptem nubilis annis. Ovid.
Regina ad templum formâ pulcherrima Dido Inceſſit. Virg.
Ut pura nocturno renidet
Luna mari Cnydiuſque Gyges. Horat.
Floridior prato, longâ procerior alno,

Splendi-

Splendidior vitro, tenero lascivior hœdo.
Levior assiduo detritis æquore conchis.
Solibus hybernis, æstivâ gratior umbrâ.
Nobilior pomis, platano conspectior altâ.
Lucidior glacie, maturâ dulcior uvâ. Ovid.
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno
Cum suos ignes coëunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exerit vultus rubicunda phœbe. Sen. in Hippol.
Hæc cum virgineo constitit in choro,
Unius facies pravit et omnibus.
Sic cum sole perit sideribus decor;
Et densi latitant Plejadum greges;
Cum Phœbe solitum lumine non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niveus Phœniceo color
Perfusus rubuit. Sic nitidum jubar
Pastor luce nova roscidus adspicit. Seneca in Med.

PUGNÆ. Vide *Belli. Præliorum.*

ROmani pro ingenio quisque pars eminus glande, aut lapidibus pugnare, evadere alii, alii succedere, ac murum modò suffodere, modò scalis aggredi; cupere prælium manibus facere. contra ea oppidani in proximos saxa volvere, sudes, pila, præterea pice & sulphure tædam mistam ardentia mittere. *Sallust.*

Adversis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem. Neque alius in alio magis, quàm in sese, spem habere. avidius alteri alteros sauciare, quàm semet tegere. clamor permixtus, hortatione, lætitiâ, gemitu. item strepitus armorum ad cælum ferri, tela utrinque volare. *Idem.*

Tum spectaculum horribile in campis patentibus; sequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri afflicti. ac multi, vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati, niti modò, ac statim concidere. Postremò, omnia, quà visus erat, constrata telis,

armis, cadaveribus, & inter ea, humus confecta sanguine, *Idem*.

De Duello duorum Hispanorum & Certamine memorabili lege *Camerar. Cent.* 2. *cap.* 20. 21.

Q.

QUÆRENDI. *Investigandi. Scrutandi:*

NE quæso quæstioni mihi sis. Quærendo alicui operam dare.

Is amicum quæritabat circum omnes oras. Quem ego nunc credo toto me oppido exanimatum quærere.

Nescis me ab illo omnia expiscatum. Exploratores & speculatores in omnes partes dimittere.

Non est meum famæ incerta sectari. Hostium itinera explorare. Aucupemur ex insidiis clanculum, quam rem gerant.

Hac abiit, si vis persequi vestigiis. Ibo odorans tanquam venaticus canis, usque donec persequutus ero vulpem vestigiis.

Quod nihil refert percunctari desine. Venaturam oculis, auribus aucupium facere. In quæstione mihi fuit.

QUIETIS. *Tranquillitatis.* Vide *Somnii.*

HAbere quietum animum. De isthac re in oculum utrumvis conquiescito.

Tranquillum est, Alcedonia sunt circa forum. Pausam facere. Remigrat animus nunc denuo mihi.

Animo liquido & tranquillo es. Liceat quietamente consistere. Sapiens non omni perturbatione animi potest vacare.

Ab omni mentis concitatione vacare. Animum suum ab omni contentione disputationis laxare.

In utramvis aurem somnum capessere.

Chilon dicebat, semper damnandam esse quietem, quoties

quoties datur honestum otium. Nihil enim est, quod assiduum laborem perferre possit.

Quod caret alternâ requie durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra levat, Ovid.

R.

RECONCILIANDI. Vide *Amicitiæ. Ignoscendi. Excusandi.*

CUm eo reveni ex amicitia in gratiam. Neque alio pacto potest componi inter illos gratia.

Redigere aliquem in gratiam. Præceptor tam placidam quàm ovem me reddidit.

Inibis à me solidam & gradum gratiam. Florere gratiâ in Rep. Virtutum similitudo concordiam facit.

Si placidum mare ex aspero, cœlumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur, si bellum pace mutatum plurimum gaudii affert: Offensarum etiam acerbitas deposita, candidâ relatione celebranda est. *Val. Max. lib.4. cap.1.*

Marcus Æmilius & *Fulvius Flaccus* inimicitias in campo deposuerunt. Existimantes non oportere eos privatis odiis dissidere, qui publicè summa essent juncti potestate. *Ibidem.*

Clarum in *Africano* majore ac *Tito Graccho* exemplum. Non contentus Scipio authore Senatu, in Capitolio, Iovis epulo cum Graccho concordiam communicâsse; Filiam quoque ei Corneliam protinus ibi despondit. *Ibidem.*

Cicero quoque A. Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat.

Talis in *Vatinium* fuit, suæ semper dignitati infestum: quem duobus publicis judiciis tutatus est. *Quia speciosius aliquantò injuria beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinaciâ pensantur,* Ibidem.

R E-

RECREANDI. Vide *Gaudii.*

DAre gutturi suo gaudium. Oculis epulas dare. Omnes miserias ex animo exspuere.

Animum occupatione relaxare. Perfundere aliquem voluptate.

Estne aliquid in verbis meis quod aures tuas sospitet? quod medicinam sensibus faciat?

Plato ludos probat, qui non multum discedunt à seriis actionibus.

Anaxagoras publicè decretis honoribus animo magno repudiatis, id sibi omnino postuláſſe commemoratur, ut quo die obiret, pueris, qui disciplinis & artibus operam darent permitteret feriatos otiari & ludere. Sensit enim vir doctiss. ingenia adolescentium nimio studio frangi, refocillatione ad novos labores agiliores fieri. *Plut. in Politicis.*

Blando plausu gestire medullas.
Intrarunt imas ingressa medullas
Gaudia.
Permulcent alacres præcordia flamma.
Sincerá voluptas Corda aperit, blandoque movet præcordia plausu.
Et tacitum pertentant gaudia pectus. Mantuanus.
In tacito cohibet gaudia clausa sinu. Propertius.
Gestire voluptas Incipit, & latas vegetant nova gaudia mentes.

Adi Parnassum Poëticum.

REDEUNDI. Vide *Eundi. Festinandi.*

QUid tibi huc ad me receptio est? Reversionem ad aliquem facere.

Quid huc reditio est? Adornare reditum. Cum tibi fors in patriam reditum secundaverit.

Utinam bonis avibus ad tuos revertare. Dextris auspiciis ad nos redieris.

In reditum tuum omnes anhelamus. Sine malâ scævâ peregrè reversus.

Fac-

Fac velis remisque iter tuum conficias. Pegaseis utere pennis, nosque recrea jucundissimi reditus amœnitate.

Albo calculo signandus dies adventus tui. Quantum nos abitus tui dolor afflixit, tantum reditus tui gaudium nos exhilarabit, &c.

REFUTANDI. *Convincendi.*

PUlchrè dictum, & sapienter jugulâras hominem.

Dictis aliquem confutare.

Eum suis conditionibus in ipso articulo temporis adstringit.

Nullum illius argumento erat robur. facilè percussus & victus. Nedum unico verbo ad auxilia instructus.

Passus se levi brachio invadi. Sponte manus dedit, nihil contra niti ausus.

Hic vir est, qui masculè in adversarium intendit manus.

Nihili ingenuus est, qui omnia in fugâ ponit, &c.

Indecorum est obtrectare, quod non obtineretur, 3. *Annal.*

REGUM. REGNI. Vide *Principis. Magistratus. Imperatoris. Imperii. Coronæ. Majestatis.*

IN *Principatu* Viri fœminis præferendi. Vir ad virtutem & regimen natus. animo, corpore, voce, visu robustior, & quem magis vereare aut venerere. *Lips. in Mon. & Exempl. Pol. lib. 2. cap. 2.*

In fœmina omnia levia, mollia, quæ amorem, non reverentiam creent. à naturâ magis timidæ, quàm timendæ. Septies in dies mutant fœminæ. in decretis sensibusque Euripus. *Idem.*

Duæ etiam Virtutes Principum primæ, *Iustitia* & *Fides*. Firmiter vix sunt in istis. non prior, quia inclinant facilè & miserantur. facillimè quoque gratiæ aut affectui obsecundant. Non altera, qua mobiles ingenio sunt, & mutant, ut ventus, &c. *Idem.*

O quale

O quale regnum, ubi *Cleopatra* aliqua, *Messalina*, aut *Ioanna Neapolitana* imperat.

CLEOPATRA in theatrum veniat, à parvula ad nequitias, Libidines, & luxum facta. Tyrocinium fuit in I. Cæsare, qui cum Alexandriæ obsideretur, illa, velut fati præsaga, fratrem Ptolomæum & potiores partes deseruit. ad Cæsarem translata. Nam & hunc astum ad fallendum excogitavit. Portæ servabantur atque exitus. Illa Apollodorum quemdam inducit, culcitâ se involvere & adstringere, ut sarcinam. ac sic in regiam, ubi Cæsar, deferre. Factum est. deponitur ante pedes ejus, & ecce soluta emergit Venus, non è mari, sed è culcitâ. & culcitellam mox se Cæsari substernit. &c. *Lips. in Mon. & Exempl. Pol. cap. 2. lib. 2.*

EADEM Cydno fl. subvehi se molliter jussit, navi auratâ, remigio argentato, velis purpureis, ad modos tibicinum & cytharœdorum Ipsa recumbebat sub cœlo aureo, gemmis distincto. pueri formosuli adstabant & ministrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ, instar Nympharum, per foros & tabulata navium disponebantur. Quid verbis opus? passim voces: *Venerem ad Bacchum venire comessatum.* Hem! M. Antoni, quid facis? ictus es, habes. & omisso bello omni, aliam militiam militas, & cum tuâ rea in Ægyptum h. e. in casses & carceres ejus ultrò abis. Non Fulvia tua abstrahit, mori in angone & æmulatione adacta. *Idem.*

Quid *Messalina* in Romanis? illa sævitiæ, avaritiæ, impudicitiæ, impudentiæ, omnium flagitiorum cloaca. Hæc uxor erat Claudii Imp. in libidine, non credo, ab ævo tale monstrum fuisse. Quotidie adulteria, novæ conditiones & admissarii. nec clam, sed in ipso palatio, coram matronis & viris veneriabatur. Quin noctu, veste tectâ & Messalinam dissimulans, ad publicum Lupanar ire solita. prostare inter infelices illas victimas, cellam suam & titulum habere. accipere æra & poscere. & explere libidinem, nec satiare. *Lipsius ibidem.* plura ibidem de eadem.

Vivo

Vivo marito, vivo Principe C. Silium Romanæ juventutis pulcherrimum maritum capit. Flos Senatorum & Equitum adſunt. Menſæ apparantur, lectulus genialis ſternitur, auſpices adhibentur, & *Claudius* tandem excitatur. Romam venit; tollito æmulum & mox Conjugem.

Quandoque etiam Muliebris imperii felicitas depradicanda. Talis fuit PHILE, uxor Demetrii R. Filia Antipatri, qui Macedoniam & Græciam vivo mortuoque Alexandro gubernavit. Hæc populi verè mater, &c.

Talis ZENOBIA, Palmyrenorum regina, quæ ſtirpem & ſanguinem à Ptolomæo & ipſa Cleop. ſed non mores ducebat, &c.

Talis PULCHERIA Theodoſii Iun. Soror, vitam & virginitatem Chriſto devovit, &c. *Ibid. Lipſ.*

Rex ille ſubtilis judicii, quem ferunt traditum ſibi diadema, priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe: ô nobilem magis, quàm felicem pannum! quem ſi quis penitus cognoſcat, multis ſollicitudinibus & periculis & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. *Val. Max. ex Stobao.*

De *Regibus* vide multa in *Goulartii* Philoſoh. Hiſt. hoc Tit.

Regni Societas infida. Vide de hoc Orationem xv. in Eloquentiæ Tyrocinio.

Regna & Reges à Deo *Edo. Neuhuſius lib. 2. Fatid. pag.* 68.

Ibidem de Reip. mutatione.

Reges & Principes ſæpe privatam degere vitam optavère. *Camerar. Cent. 3. cap. 92.*

Iulius Caſar. Quum ex Gallia provincia adverſus Pompejum tenderet. Rubicone amne tranſmiſſo, dixit: *Omnis jacta ſit alea*, ſignificans ſe de ſumma rerum periclitari. Is enim fluvius Galliam ab Italia dirimit.

Idem. Africam petens, in egreſſu navis in terram pro-

prolapsus, omen sinistrum vertit in melius, dicens *Teneo te Africa.*

Leonidas, cuidam dicenti, Excepto regno nullâ re nobis præstas: *At*, inquit, *ni vobis fuissem melior, non essem Rex.*

Plato, Neminem regem dicebat non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus.

Socrates optimum Regem dicebat esse, qui affectibus moderari posset.

Diogenes Philosophus Lyræ, nervis suis omnifariam instructæ, comparat legibus bene constitutam Remp.

Plato aliquando derisit Dionysium, quod multis custodibus esset circumseptus: *Quòd tantum malum,* inquit, *fecisti, ut à tam multis satellitibus necesse habeas custodiri?*

Cinesias videns Alexandrum M. à pharmaco, quod sumpserat, vehementer turbatum: *quid*, inquit, *nobis faciendum est, cum vos Dii talia patiamini?* Alexander ægrè attollens oculos: *Quales*, inquit, *Dii sumus? Metuo, ne diis invisi.*

Hoc Reges habent magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies. Prodesse miseris, supplices fido lare Protegere. Sen. in Med.

Plato tum beatum terrarum orbem prædicabat, cum aut sapientes regnarent aut Reges sapere cepissent.

Non bene cum sociis regna Venusque manent.

Alexander interrogatus, quis optimus princeps esset? *Qui*, inquit, *amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit.*

Vt canicula pestilens est omnibus sidus; Principis mali potestas omnibus nocet.

Vt Ranæ ultra solitum vocales tempestatem significant imminentem: ita cum valet apud principes plurimum malorum oratio, bonis tacentibus, tum instat rerum perturbatio.

Vt Medici ægrotantibus sunt Servatores: sic & reges iis, qui injuriam patiuntur.

Princeps

Princeps quid aliud est, quam Medicus Reipublicæ?

Sicuti Leo citius sævit in virum, quam fœminam, pueros non nisi summa fame coactus attingit, supplicibus ac prostratis parcit: sic potentiores infirmioribus debent ignoscere, vires in alios experiri, quos vincere pulchrum.

Væ illi Regno cujus Rex est puer,

Iniqua regna nunquam perpetuo manent. Seneca *in Thyeste.*

Nescitis cupidi arcium, Regnum quo jaceat loco. Regem non faciunt opes, non vestis Tyriæ color, non frontis nota regiæ, Non auro nitidæ trabes.

Rex est, qui posuit metus, Et diri mala pectoris: Quem non ambitio impotens, Et nunquam stabilis favor Vulgi præcipitis movet.

Qui tuto positus loco, infra se videt omnia, occurritque suo libens Fato, nec queritur mori.

Mens regnum bona possidet. Rex est qui metuit nihil. Stet, quicunque volet, potens Aulæ culmine lubrico. Me dulcis saturet quies, Obscuro positus loco, Leni perfruar otio.

Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, Ignotus moritur sibi.

Aut Regem, aut fatuum nasci oportere; Facetè hoc à Seneca dicitur. Sola enim Libertas constare solet fatuis & regibus.

Sed & vim Principatus sibi firmat Princeps, si imaginem antiquitatis Senatui præbeat. 3. *Annal.*

Tanquam vetere Rep. eadem magistratuum vocabula retinendo, & munia senatus in se trahendo. 11. *Annal.*

Quid refert? cum Resp. & Senatus & populus vana nomina sint 1. *Hist.*

Ius ergo imperii valeat, inania transmittantur. 15. *Annal.*

Quo intuitu *Augustus* tribunitiam potestatem summi fastigii vocabulum repperiit, ne Regis aut Dictatoris

toris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret. 3. *Annal.*

RELIGIONIS. Vide *Auguriorum, Precandi. Concionis. Dei. Theol. Monach. Pietatis. Sacrificiorum.*

NUnc Venerem hanc veneremur. Religio mihi est hoc facere.

Quæ te nunc nova Relligio incessit? Dignus es cum nova Relligione odio. Religione sibi aliquem obstringere.

Deos pura, integra, incorrupta & mente & voce venerari. A Diis quasi traditam Religionem tueri.

Diogenes cum in phano cœnaret, eique panes sordidi essent appositi, abjecit illos è phano, dicens: *In templum nihil oportet ingredi sordidum.*

Fulcrum imperiorum est servare Religionem & pietatem.

De Religione satis multi loquuntur, pauci vita exprimunt, & mores à professione discordant. *Lipsius.*

Varietas Religionis, dissolutio Religionis.

Relligio quæ friget non est Religio.

Ambitio & Avaritia sæpe velatur Religionis mantello.

Nulla res magis animos & mores componit, quàm Relligio. & illa ubi in pectus demissa, virtutum agmen sequitur. inprimis mansuetudo quædam animi tranquillitas, bona imperantibus, & quæ faciles obnoxiosque. præceptis reddit. *Lips. in Mon. Pol. cap.* 2.

Agesilaus Spartæ R. venerabatur delubra in hostico sita, ab iisque vim militum & injuriam abstinebat. quod existimaret auxilia divina non minus in hostili, quàm amico solo imploranda esse. *Ibid.*

Carolus Quintus Imp. multâ vitæ sanctimoniâ, præsertim jam senior. Preces ipse componere, noctu sub ipsum prælii tempus, observavit imaginem Christi in

cruce

cruce affixi, plumbeâ glande ab impio milite recenter trajectam. *Ibid.*

Philippus Macedo suos omnes lauru coronari jussit (sacræ Apollini eæ frondes) atque ita velut Deo duce & Deo dicatum exercitum manus conserere. Factum & alacriter & feliciter. Cum Phocenses ipsis ignibus violati Numinis conspectis, in fugam consternati, armis abjectis, abeunt, & temeratæ Religionis pœnas multo sanguine suo pendunt. *Idem. Ibidem.*

Alexander Severus Imp. tanti fecit Sacrorum Antistites, ut judicatas à se causas à Pontificibus atque Auguribus retractari, atque aliter, quàm ipse censuisset terminari, æquo animo pateretur. Principale culmen infra Religionem posuit. *Lips. in Mon. Pol. cap.* 11. *lib.* 1.

Pisistratus in recuperandâ tyrannide, quam amiserat, simulatione reducentis se in arcem Minervæ est usus. *Val. Max. cap.* 2.

Scipio Africanus non ante ad negotia publica vel privata ibat, quàm in cellâ Iovis Capitolini moratus esset. Et ideo Iove genitus credebatur. *Ibid.*

L. Sulla quoties prælium committere destinabat, parvum Apollinis signum, Delphis sublatum, in conspectu militum complexus, orabat uti promissa maturaret. *Ibidem.*

Majores nostri omnia Etrusca disciplina explicari voluerunt. *Val. Max.*

Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur. Cum aliquid commendandum est, precatione; Cum exposcendum, voto. Cum solvendum, gratulatione; cum inquirendum vel extis vel sortibus, impetritò. Cum solenni ritu peragendum, sacrificio. *Idem lib.* 1. *cap.* 1.

Tantum studium antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, ut è florentissimâ civitate decem principum filii S. C. singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratiâ, traderentur. *Ibidem.*

Metellus

Metellus Religioni summum imperium concessit. *Ibid.*

A *Sulpitio* inter sacrificandum apex à capite prolapsus sacerdotium abstulit. *Ibid.*

Occentus soricis auditus *Fabio Max.* dictaturam, *C. Flaminio* magisterium equitum deponendi caussam præbuit *Ibid.*

Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax deorum indulgentia semper excubuit. quod tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinare videtur. *Vide Ibidem plurima.*

Religionis contempta & neglecta Exempla. Ibidem.

RIDENDI. Vide *Recreandi.* *Gaudii.*

AEgrè nimis risum continui. Haud decorum facinus facis, ut me derideas.

Duos vetulos decrepitos ludibrio habuit. Is deridiculo, quaqua incedit, omnibus est.

Ludificavit me homo indignis modis. Albis dentibus me derisit.

Cachinnis & sibilis me excepit. Subsannare aliquem.

Pro delectamento habere aliquem. Tum illa fluentes senio genas turpissimo risu contraxit.

Risus Chius, *Risus Ionicus*, sunt molles & lascivi.

Naso adunco me suspendit? *Putantur enim illi, qui aduncum habent nasum, irrisores & calumniatores esse.*

Αιαντειος γέλως. Risus Ajacis de his qui insipienter rident. Ajax enim duos maximos arietes apprehendit, alligavitque perinde ac Agamemnonem & Menelaum, quos cum flagro cæderet, deridebat.

Ille Risus est cavendus, qui Græco proverbio dicitur σαρδόνιος γέλως. *Sardonicus risus*, ab Insula Sardinia, in qua nascitur herba quædam apiastro similis

lis, nomine Sardonia: quæ si in edulio fuerit, nervos contrahit, diducit ora risu.

Sardonius risus, *hoc est*, simulatus.

Sint modici risus, parvaque utrinque lacuna. Ovid.

Antiqui, quod & Augustinus memorat singulis rebus singulos Deos attribuerunt: ut *Vagitanum*, infantium vagitibus. *Agenoream*, quæ ad agendum excitaret. *Murceam*, quæ faceret hominem murcidum. Sic & Deum *Risum*, hilaritatis præsidem.

Sic *Averruncus* Deus dictus, quod mala averruncaret & averteret. Vide Dei.

Ridentem dicere verum
Quis vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint, ut discere prima. Horat. Satyr. I. Serm. lib. I.

ROBORIS. Vide *Fortitudinis.*

Corporis.

Et rigidum ferri semina pectus habet. Ovid.

Cui triplex æs circa pectus. Horat.

Et inhospitalem Caucasum mente indue. Seneca in Med.

Vide egregium locum p. m. Parentis. *in Fatidicis Cap.* XVI. *Lib.* 2.

Corbulo apud Tacitum III. Annal. De quo Iuven. in Satyris.

De Robore & Fortitudine ac Gigantib. vide *Cent.* I. *Camerar. cap.* 82.

Quicquid circa te rerum jacet, tanquam hospitalis loci sarcinas specta. veniet, qui te revelet dies. & ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. *Seneca.*

Detrahetur hæc tibi circumjecta, novissimum velamentum tui, cutis. detrahetur caro, & suffusus sanguis, discurrentque per totum. Detrahentur ossa nervique firmamentum fluidorum ac labentium. *Idem.*

ROGANDI.

IUstam rem ac facilem à vobis oratum volo. Vos omnes opere magno oratum volo.

Nunc te per genua obſecro. Per hanc te ego dextram ad fidem oro, & ingenium tuum.

Orando ſurdas jam aures reddideras mihi. Alicujus orata promovere.

Multo opere te obſecro. Laborem rogandi in lucro habere debemus.

Ad vos ſalutaria Numina convolamus, & opem largam imploramus ærario.

Non ſum religioſi deſiderii longus precator. Impenſius quæſo. Impendio deprecor.

Petitio ab æquitate non diſcrepat. Per Manes & mortuorum cineres aliquem orare.

RUINÆ. *Lapſus. Mortis, vita Temporis, Pereundi, Viciſſitud. &c.*

Nolite ſinere per vos artem Muſicam recidere ad paucos.

Ferre ſubſidium labenti ac inclinatæ Reip. Noſtra acies inclinata eſt.

Inclinato jam in poſtmeridianum tempus die.

Ædes malè materiatæ, ruinoſæ. O gens Infelix! cui te exitio fortuna reſervat.

Hoſtis habet muros; ruit alto à culmine Troja.
Nunc ſeges eſt, ubi Troja fuit.
Emoti procumbunt cardine poſtes.
Venit ſumma dies & ineluctabile Fatum
Dardaniæ. Fuimus Troës, fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum.
Omnis humo fumat Neptunia Troja.
Iacent opera interrupta, Minæque murorum ingentes.

Per *minas* intellige partes illas murorum, in quibus ſunt propugnatores, quæ ad emiſſionem telorum feneſtratæ ſunt.

Longævum aliquid in hac machinâ eſt, nihil æternum. Vide rerum humanarum alternas vices, ut in Oceano æſtus. *Lipſ.*

Quod amplius, & nunquam ſatis miramur, hic à quinque annorum millibus & quingentis habitatus orbis

orbis senescit, & ut Anaxagoræ olim explosæ fabulæ iterum applaudamus, surgunt alibi succrescuntque novi homines & novus orbis. *Idem*.

Tu surge, tu cade, tu impera, tu servi. tu occultare, tu emerge. & eat hic rerum in se remeantium orbis. &c. Germani feri olim fuistis? Britanni inculti & inopes? Græcia olim floruit? nunc jaceat &c. *Idem*.

De cladibus Græcorum & Romanorum, novique orbis vastatione, vide *Lipf. lib.2. cap.*XXI.*de Conft.*

De præsagiis ruinæ Rerump. *Camerar. Cent.* 3. *cap.*30.

Incendium meum ruina exstinguam. *Salluft.*

Tutò movetur, quicquid extremo in loco est. Sen. in Oedipo.

Et citò casurus jam perlucente ruinâ. Iuvenal. Sat.XI.

Numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompejos evertit? & illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nullâ non arte petitus.
Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine cade & sanguine pauci
Descendunt reges & siccâ morte tyranni.

Iuvenal. Sat.X. Gener. Cereris, Pluto.

Olim oriens floruit & Assyria, Ægyptus, Iudæa, valuere armis ingeniisque. Ludit in rebus humanis magnus ille architectus, & velut plastes varias sibi formas & imagines fingit ac diffingit ex hac argillâ. *Lipf.*

Vnus sub Tiberio terræ motus duodecem celebres Asiæ urbes evertit. totidem Campaniæ oppida alius. Et unum aliquod Attilæ bellum plus centenas. Veteres Ægypti Thebas vix fama retinet. centum Cretæ urbes vix vides. Cadavera Carthaginis, Numantiæ, Corynthi prisci viderunt & mirati sunt. Nos Athenarum, Spartæ & tot illustrum urbium ignobiles ruinas? Illa ipsa rerum gentiumque Domina, &

falsò æterna urbs, ubi est? Periit. non uno letho, & ambitiosè hodie quæritur, nec invenitur in suo solò. Byzantium illud vides, quod sibi placet duplicis imperii sede? (sc. Turciæ & Romani) Venetias istas, quæ superbiunt mille annorum firmitate. Veniet illis sua dies. *Lips. in Const. cap.* XII.

RUMORIS. Vide *Fama.*

VOx mihi ad aures advolavit. Fecisti modò ex proclivi planam rem.

Vulgare aliquem vulgo. Conclamitare tota urbe & prædicere.

Continuo palam est, plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

Vides tuum peccatum illatum esse foras. Rumores malevoli famam meam distulerunt.

Serpit hic rumor. Hæc cantata jam est Fabula. Omnes rumorum ventos colligere.

Levitatis est inanem rumorem aucupari. Ipse jam rumor raucus est factus.

Est hominis ingenui velle benè audiri ab omnibus. Percrebuit, atque in sermone omnium esse cœpit. Rumorem habebis & sermonem omnium.

Processu dierum rumor intepuit. Fama res tuas tota urbe celebrat.

Tua facta in vulgus emanarunt. Sermones dissipati sunt. Iactantur hæc sermonibus incertis.

S.

SACRIFICANDI. Vide *Funeris, Exsequiarum. Religionis.*

REm divinam facere. O Fides! Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. *Plaut.*

Genio suo sacrificare. Veneri me inferre jentaculum novi.

Quid antepones Veneri à jentaculo. *Idem.*

Litationi addo donarium. Aut mola salsa hodie aut thure comprecatum oportuit.

Ad rem divinam quibus est opus Samiis vasis utitur.

Porca

Porca præcidanea dicebatur, quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset h. e. glebam non injecisset. Præcidaneus idem, quod præcidendus. *Præcedaneæ* feriæ, quæ solennes legitimas ferias præcedebant. *Præcidaneæ hostiæ*, quæ ante sacrificia solennia pridie cædebantur.

Ara quasi *ansa*, ut Varro. Dicta à Tripodibus, quod sacrificantes ansas tenerent, vel quia precantes manibus ansas apprehenderent. Hinc Aræ. Sunt, qui aras ab *ardendo*, quod illic victimæ arderent. Alii ab ἀρᾶσθαι oro: unde & ἀρά, oratio quod in sacrificando oretur. Iurantes etiam aras tenebant. *Ad aram amicus* h. e. nemo ut pejeret, aut inhonesta faciat amici de causâ.

Altare. Antiqui in ædificiis à terrâ elevatis sacra faciebant Diis superis. In terrâ Diis terrestribus. In effossâ terrâ Diis infernalib. Hinc altare ab altitudine dictum.

Sistrum. Instrumentum erat Ægyptium è metallo arguto, quo in sacris Isidis utebantur, ab agitatione nomen habet. Nam agitatum & concussum argutos sonos edit.

M. Tull. auctor est, *Mysteria* appellari initia, quibus ex agresti vita exculti ad humanitatem sumus, tanquam ea sint vitæ principia: unde initiari est, ritu sacrorum institui, & sacris divitiis adscribi. *Dies initiorum* dicuntur à Livio, quibus solennia sacrificia celebrabantur, quibus nefas esset interesse non initiatos.

Non bove mactato cælestia Numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

Socrates Sacrificia quàm minimis impendiis volebat constare.

Vestæ sacrificare. De iis, qui arcana peragunt. Vestæ enim sacra facientes nihil de hostia efferebant.

Casta Deo mens est, casta vult mente vocari,
Et jussit castas pondus habere preces.

Mola salsa: quà ante sacrificia hostia conspergebatur.

tur. significantur per hoc ferè omnes fruges molitæ: ut inquit *Turnebus*.

Horatius: *Farre pio & saliente mica*: quod est salis grano saliente. *Dant fruges Manibus salsas*. *Mola salsa* est igitur tanquam molitura salsa.

Litat, non quisquis sacrificat, sed cujus sacrum Deo placuit.

Libare, hoc est, leviter degusto: quasi primis labris attingo. Alii volunt idem esse quod labiare.

Hostiæ dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt.

Victimæ dicuntur, quæ post post victoriam fiunt. Sed confundit hæc autoritas.

Parentalia erant sacra funesta, quæ fiebant ab antiquis in honorem parentum mortuorum.

Consualia sacrificia in honorem Consi, qui habebatur Deus Consiliorum. *Ludi Equestres dicti*.

Holocaustum sacrificium erat, in quo exta victimarum aris superposita comburebantur. *Virg*.

Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Quid sint *Agonia, Hecatombe, Dapsa, Lucaria, Nudipedalia*, &c. Vide apud Ravis. Text. in Officina de generibus Sacrificiorum.

Sacrificia inferorum vide in officinâ *Text. cap*.IV. *lib*.I.

Sacrificia Marinorum Deorum. *Ibid. cap*.VIII.
Sacrificia humano cruore facta. *Ibid. cap*.XVI.
Sacrificia mortuorum. *Ibid. cap*.XV.
De Lustrationibus *Ibid. cap*.XVI.
De victimis *cap*.17. *Ibid.*
De Deorum festis diebus. *Ibid. cap*.XX.

Cereri sacrificare. Sic veteres dicebant Lari sacrificare. pro quo Plautus: Cereri sacrificare. quod fieri dicebatur, quando in convivio vinum deesset. nam in sacris Cereris nefas erat vinum adhibere.

Vide *Val. Max*. cap.I. lib.I.
Et *Natalem Comitem* cap.13. Lib.I.

De

De Sacris nocturnis & vario ritu lege *I. VVouerium* in libello de umbrâ cap.IX.

De Sacrificiis & diversâ Religione Ethnicorum agit *Ph. Camerarius cap.58. Cent.I.*

SALTANDI. Vide *Nugarum.*

NEmo saltat sobrius. Ionicus aut Cinædicus saltator.

Fortuna saltatorium versat orbem. Tu ex tenebricosa popina Consul extractus cum illa saltatrice tonsa.

Ad saltationem cantu & Cymbalis domum personabat.

Turpium deliciarum comes est extrema saltatio. Probè Ionica perdidicisti.

Augustinus ait ; omnis motus & saltus petulantiæ est saltus in profundum cloacæ.

Romani saltationes omnes repudiarunt, nec ulla penes eos honesta Matrona saltâsse laudatur.

M. Cato L. Murenæ quod in Asia saltâsset pro crimine objecit. Et dixit *Cicero: Nemo saltat sobrius.*

Salustius vitio dedit Semproniæ quod saltasset. *Gabinio & Cœlio* nimia peritia saltandi probro data est.

Demetrius Cynicus, damnabat artem Saltatoriam velut inutilem gesticulationem.

Quidam ex *Patribus* dixit, *Tripudium quod sit circulus, cujus centrum Diabolus.*

Saltatur inconditis gestibus & monstroso pedum strepitu, ad molles pulsationes, ad lascivas cantilenas, ad obscœna carmina.

Moyses videns canentes & saltantes Iudæos prope vitulum, iratus projecit tabulas, in quas Dominus præcepta & leges scripserat. *Exod.34.*

Disertè saltare: Tacitus in sui temporis oratores, qui lasciviâ verborum & sententiarum histrionales modos exprimebant.

David saltans ante arcam Domini à Michal derisus est & convitiis adspersus. 2.*Reg.6.*

Indorum Reges ad solem orientem, pro salutatione & votis, soliti saltationem adhibere.

Demades Orator, quum vidisset Philippum Regem largius potum, cum amicis saltasse per mediam captivorum turbam, liberè dixit: *Quum ô Rex fortuna Agamemnonis tibi personam imposuerit, non pudet te factu agere Thersitem?* Ea vox totum Regem in diversum vitæ genus immutavit.

Cyrenæus quidam mirificè currens & recurrens, ut eandem in procursu & recursu orbitam teneret, Platoni se obtulit. Fieri nequit, Plato inquit, qui in parva re tantum curæ impendat, seriæ quicquam rei didicisse.

SALUTANDI. Vide *Affabilitatis. Morositatis.*

EXspectatum eum salutat magis haud quisquam quàm canem.

Limen inferum superumque salve. Hanc salutem toto animo tibi voveo, & me totum tibi devoveo.

Per ceram & linum salutem mihi misit, *hoc est*, per literas cerâ obsignatas, & lino obligatas.

Quam salutem remittam? P. S. Argenteam. R. P. pro ligneâne salute vis. argenteam remittere illi? *Plaut.*

SAPIENTIÆ. Vide *Prudentiæ. Doctrinæ. ac Philosoph.*

SApit hic pleno pectore. Tu corpus es sine pectore.

Ita cata & callida est, cor habet. Nunc experiar sit ne acetum tibi peracre in pectore.

Dii vestram fidem, quanti est sapere! nunquam accedo ad te, quin fiam doctior.

Istuc est sapere, qui ubicunque opus est, animum possis flectere.

Tu quantus, quantus es nihil nisi sapientia es.

Pectus munitum habere egregia sapientia. Pavor mihi omnem sapientiam ex animo expectorat.

Homo

Homo prudens futuri. Multipatens pectus, ubicunque usus fiet, pectore expromat suo.

Satis ego rectè jam rem sapio. Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est. *Plaut.*

Magna sapientia est, interdum decedere vel per speciem de recto sapientiæ cursu.

Σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον.

Sapientiæ pars est leviter desipere & paullum extra viam rectam ire, ad vitandum violentum incursum. Videsne ut nautæ vela sinuent & obliquent, & teneant nihilominus suum portum? *Lipsius.*

Mihi cordolium est, hoc est, nulla sum præditus sapientia.

Ille sapit solus, volitant alii velut umbra.

Solon Atheniensis dixit, quotidiè addiscentem se aliquid senem fieri. Nam cum langueret & assidentes amici aliquid inter se differerent; ille caput sustulit & flexit ad audiendum. Interrogatusque, quo fine aut fructu, nobilem illam vocem edidit: *ut cum istud sciero, doctior moriar.*

Philopœmen dicere solitus: Doctrinam debere ad facta tendere, non otii aut inutilis loquacitatis causa usurpari.

Cato Uticensis ita studiis se dedidit, ut & in Senatu, objecta leviter toga, libros legeret.

Iulius Cæsar, Martis verè pullus, ne in itinere quidem vacuus amanuensem in vehiculo apud se habuit, dictansque aut legens.

Robertus Rex Neapolitanus dicebat: *Cariores sibi literas regno esse. Vide* Lipsium.

Hæc præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.

Bion dixit: prudentiam tantò cæteris Virtutibus antecellere; quanto reliquis sensibus præstaret visus.

Nec quicquam potest esse diuturnum, cui non subsit ratio.

Vis Consilii expers mole ruit sua.

Parvi sunt foris arma, nisi sit domi consilium.

Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi. A fronte simul & occipitio oculatus.

Socrates hæc tria discipulos suos monebat, ut in animo haberent Prudentiam, in lingua Silentium, in vultu Verecundiam.

Periander quærenti, quid in minimo maximum esset? *Resp. Prudentes cogitationes in parvo corpore.*

Lycurgus Lacedæmoniorum Rex, perconctanti, quam ob causam non uterentur legibus scriptis: Quoniam, inquit, eruditi qui sunt beneque educati, probant, quid pro ratione temporis expediat.

Multorum festorum Iovis glandes comedit. De sene longoque rerum usu edocto, quasi dicas, multas Olympiadas vixit.

Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam nec enunciem, rejiciam. *Seneca.*

Sapiens est, qui plenus gaudio, hilaris & placidus. cum Diis ex pari vivit. *Idem.*

Sapiens à nullo contemnitur, magnitudinem suam novit. *Idem.*

Hæc est sapientia, hoc est sapere, non disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. *Idem.*

Legatur super hac materiâ elegantissima oratio *Dan. Heinsii* XV. *De Doctrina & Moribus Socratis.*

Sapientiam mederi morbis animi *Horatius docet Epist. lib.* I. *Sat.* 2.

De sapienter dictis & factis Cap. 2. *Val. Max. lib.* VII.

Quis erit ille dies, qui me solutum his Curis in sapientiæ veræ orbitâ sistat? Non enim, ut Cæneus ille in fabulis è fœminâ in virum transiit, optando: sic tu &c. *Lips.*

Illa sapientiæ tuæ domus. Pergulam hanc dico: quæ mihi quidem velut templum est, & mensula in eâ tanquam ara: ad quam sedentes ritè faciamus huic divæ.

Vt ii, qui in tabernâ aromatum, aut unguentorum sederunt,

federunt, in vestibus ipsis referunt secum odorem loci: sic mihi spes, ut halitus aliquis sapientiæ animo adhærescat, ab insessâ hac ejus officinâ. *Idem.*

Dii boni! quæ occasio tibi hîc discendi & ditescendi! quot gazas legere quotidie & recondere poteris latentium literarum. *Idem.*

Epicurus ait: Sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, & ad me non pertinet. *Seneca.*

Sicut ingruente nube sub tectum confugimus: sic in calamitate ad sapientiæ arcem, quam Fortuna nullis machinis subvertit. *Idem.*

Sapiens ad omnem incursum munitus & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. *Idem.*

Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam: semper illic serenum. *Idem.*

PRUDENTIA.

Præterea solers teneat PRUDENTIA *Fasces,*
Quæ sola in rebus sit Cynosura tuis.
Prosperat hæc omnes felici numine casus,
Et certâ humanas res ratione regit.
Despice Fortunam, vulgi commenta profani.
Non est Fortunæ firma tenaxque fides.
Hæc semper fallax, levibusque simillima ventis,
Vertitur in crebras ingeniosa vices.
Sed solido in saxo Vatum prudentia fixa est,
Fortuna instabili sistit in orbe pedem.

SATIETATIS. Vide *Edendi. Bibendi.*

Mensa surgunt saturi, distenta cute. Explere diuturnam sitim.

Explere inimicitias, & saturare odium. Omnium rerum satietas, vitę facit satietatem.

Postquam exempta fames & amor compressus edendi.
Iamque cibo vinoque graves somnoque jacebant.
Postquam prima quies epulis mensæque remotæ.

SENECTÆ. Vide *Ætatis. Temporis. Vita. Senecta. &c.*

VAlerius Corvus centesimum annum complevit. Cujus inter primum & sextum consulatum quadraginta septem anni intercesserunt.

Fabius Max. duobus & sexaginta annis auguratus sacerdotium sustinuit, robustâ jam ætate id adeptus.

M. *Perperna* omnibus, quos in senatu consul rogaverat, superstes fuit. Toto ordine amplissimo diuturnior.

Appius fessus jam vivendo lectica se in Curiam deferri jussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet.

Horatius: *Ætas animusque virilis*
Quærit opes, & amicitias, inservit honori:
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.
Vel quod res omnes timidè gelidéque ministrat.
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri.
Difficilis, querulus, laudati temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum

Lætitia juvenem, frons decet tristis senem. Sen. in Hippol.

Sed quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis: deformem & tetrum ante omnia vultum
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem
Tendenteisque genas, & tales adspice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus.
In vetula scalpit jam mater simia buccâ, &c.
Una senum facies, cum voce trementia labra.
Et jam læve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi. &c.
Non eadem vini, atque cibi torpente palato
Gaudia: nam coitus jam longa oblivio, vel si
Coneris, &c. Iuvenal. Sat. x.

De mirè provecta Senectute legatur quoque *Camerarius Cent. 2. cap. 68.*

Val.

Val. Max. de Senectute memorabili agit. *cap.* 13. *lib.* 8.

Et *Pater meus* in Fatidicis suis, *lib.* 2. *cap.* XIV. XVII.

Multa ferunt anni venientes commoda secum:
Multa recedentes adimunt. Horat. in Arte.

SCHOLÆ. *Institutionis. Discendi. Discipl.* Vide *Præceptoris. Educationis.*

SOcrates: qui cum ex cultu corporisque lineamentis summæ improbitatis argueretur, *Talem*, inquit, *me natura formavit; at emendavit correxitque Disciplina.*

Idem cum interrogaretur, quare non administraret Remp. ipse, in tanta tegendæ civitatis peritia? *Resp. Utilior est Reip. qui multos efficit Reipubl. gerendæ idoneos, quàm qui ipse rectè gubernat.*

Crates aliquandò ad Athenienses: *Quorsum ruitis Cives, qui omne studium in pecuniis collocatis; liberorum vestrorum curam nullam suscipitis?*

Thuriorum erat institutum, ut pueris, publica impensa, studiorum Magistri præficerentur.

Mos *Laconum* patrius erat, cibi potionisque modum liberis præfinire, humili cultu & sobrio cum æqualibus convictu illos educare, horrida disciplina sævissimis moribus assuefacere; ne qua rudem mentem improbitas inficeret.

Sabini suos Liberos patruorum disciplinæ committebant, ne parentum indulgentia lascivirent.

Cicero inquit: *Nullum profectò majus meliusve afferre Reip. munus poteris, quam si doceas atque erudias juventutem*, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrœnanda atque coërcenda sit.

Fateor, aliquorum Ingenia tam ab institutione & divino docendi dono abhorrere, ut subinde Græca illa eructent: χολὴ χολή.

Et oportet cælo ducant Spiritum, & divinitus sint instituti,

instituti, qui proclivi quadam naturæ habitudine optimis artibus informant alios.

Quid est stultius, quàm quia diu non didiceris, non discere? Omnis ætatis homines schola admittit. Tam diu discendum est, quandiu nescias. Si proverbia credis, quamdiu vivas, etiam seni discendum est. *Seneca.*

Debent homines viaticum Senectutis Literarum eruditione parare: *Nam Litera, tanquam baculum infirmo corpori reperta sunt.*

Præceptoris commendationem vide in Gymnasio Eloq. Parentis mei cap. XI. lib. I.

Iuventus primò obsequium virtutemque parendi discet. Hoc enim uno Pop. Romanus excelluit, quod nullum militem conscriberet, qui non, solo Imperatoris nutu, se libenter devoveret. Cujus rei confirmandæ gratiâ jussit milites aliquos, se ex turri altissimâ dare præcipites.

Igitur & *Lacedæmonii* gloriabantur, quod soli inter Græcos bene parendo & obsequendo, virtutem imperandi mererentur.

Scholarum & Gymnasiorum fundationem vide in *Emundo Richenio cap.* 3. *Sect.* 6.

De Præceptorum meritis in Remp. *Ibid. Sect.* 7.

Puerili ætati VNA LAUS & SOLA OBSEQUII GLORIA RELICTA.

De Scholis trivialibus agit in *Polit. lib.* 4. *cap.* 3. *Schonborn.*

Ibidem de Academiis. *cap.* 4.

SERVORUM. Vide *Liberandi. Manumiss.*

SErvi à serviendo propriè. Aut à Servando: quia Imperatores, *hoc est*, belli duces, captivos vendendo aliis servabant, nec occidere solebant. *Iustinianus.*

Alias *mancipia* vocantur, quod ab hostibus manucapiantur.

Mancipia, quæ adolescentiora sunt & recentiora, longè

longè majore pretio distrahuntur, quàm veterana. Ea enim mancipia, ut scribit Vlpianus, quæ rudia sunt dociliora esse.

De lapide emptos quoque dicimus, qui publica auctione à prætore erant venditi. Nam prisco more præcones ex lapide & loco altiore facere præconium colebant: ubi mancipia quoque venalia præconis voce proclamabantur.

Servitus est constitutio juris Gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur.

Cicero in paradoxis disputat: stultos omnes servos esse, contrà sapientes liberos.

Aristoteles inquit: *Servitus imbecillitatem Ingenii significat.*

Idem in Politicis: Legum idcirco omnes servi sumus ut liberi esse possimus.

Mancipium sale emptum. In barbarum ac vilem hominem. Mercatores enim Mediterranea ingressi, salem importabant & servos pro eo accipiebant.

Servilior Messenâ. Messenii sæpius rebellantes in servitutem à Spartanis redacti sunt, duriusque ab illis, quàm Servi ulli habiti.

Servilis pilus. De fatuis dictum. *Plato*: Serviles adhuc pilos in animo gerens, præ inscitia. Fuit & tonsura quædam peculiaris Servorum, quam Athenis manumissi mutabant.

Omnium quidem occupatorum conditio misera est: eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant, ad alienum dormiunt semper, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odisse, res omnium liberrimas, jubentur. *Plaut.*

Pater olim Filium ter vendere poterat & lege 12. Tab. sic sancitum: *Si pater Filium ter venundabit, Filius à patre liber esto.*

Hodie non licet nimium in servos sævire. Qui enim servum occiderit non minus punitur, quâm si alienum. Nam patria potestas magis in pietate, quàm

in

in authoritate consistit. Interest etiam Reip. ne quis re sua malè utatur.

Dominus bonis conditionibus servum cogitur vendere si ad statuas principum aut Ecclesiæ profugerit. Statuæ enim principum in tanta veneratione fuerunt, ut confugientes ad eas inde extrahere & rapere non licuerit.

Servilis capillus. dicuntur præ se ferre capillum servilem, qui insulsis & agrestibus sunt moribus. Inde deductum, quod Athenis servi manumittendi, capitis pilos deradebant. Plato pulchrè scribit, quosdam *serviles pilos in animo gestare.* de stupidis.

Alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit per clunes & pectus, certis ductibus circumferens eruditam manum in frustra excutit. *Seneca.*

Infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet; nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quàm qui necessitatis discit. *Idem.*

Aureæ compedes. significatur hoc splendida & amabilis servitus. talis vita aulicorum. Sic *Diogenes* Aristippum in aulâ regia aureis teneri compedibus dixit. Et *Seneca*: stulti est compedes suas, quamvis aureas amare. *Horat.* idem de formosâ uxore: tenetque gratâ compede vinctam.

SERVORUM fides erga Dominos. *Val. Max. lib.* VI. *cap.* VIII.

SENTENTIÆ. Vide *Opinionis. Animi. Consiliorum. Iudicii.*

Sic ego oculis rationem capio. Interponere judicium suæ voluntatis.

De sententia decedere. Detrudere aliquem de sententia.

Sententiam alicujus studiosè defensitare. Sententias agitare in Senatu.

An non sex mensibus totis prius olfecissem. Etsi subsensi id quoque.

De

De hac ſententia non dimovebor. Limatulum & politulum judicium.

Omne tulit punctum. Tranſlatum hoc proverbium à conſuetudine comitiorum, ubi tabula circumferebatur, in qua puncto appoſito ſignificabant, cui candidatorum dediſſem ſuffragium. Horat. *Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.* h. e. qui voluptates cum utilitate conjungit, is omnium ſuffragio laudabitur.

Pedibus in ſententiam ire, & pedare ſententiam. Livius: Vbi ſententiam meam vobis prælegero, tum, quibus eadem placeant in dextrã partem taciti tranſibitis. *Idem*: quibus hæc ſalutaria videntur, agite in dextra partem pedibus tranſite. *Cic.* in Hortenſii ſententiam multis partibus plures ituros. *Vopiſcus* oſtendit. *Manuum* quoque *porrectione* ſententiam alicujus comprobari. Aliis, inquit, manus porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, conditum eſt S.Conſultum. Apud *Salluſt.* alioſque plura de his.

SEDITIONUM. Vide *Tumult. Belli.*

QUo validior animum militis mitiges, dicendi artem aptâ trepidatione occulta. 1.*Hiſt. Tac.*

Prudenter *Galba*, ne diſſimulata ſeditio in majus crederetur, ultro aſſeveravit quartam & duodeviceſimam legiones, paucis ſeditionis authoribus, non ultra verba ac voces erràſſe. 1. *Hiſt. Tac.*

Mitte interim bonis artibus in vulgus gratos. *Tacitus.*

Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo conſeneſcant. *Tacitus.*

Vitellianos exercitus ſpargi per provincias & externo bello illigari pars conſilii paciſque erat. 3. *Hiſt.*

Incipiens & nondum adulta ſeditio melioribus conſiliis flecti poteſt. Et modicis remediis primi motus conſidunt. 14. *Annal.*

Conſtans quoque ſit adverſus metus princeps, nec inania famæ pertimeſcat. 2. *Annal.*

Nec

Nec *Tiberium* probo, tristissima quæque occultantem & in securitatem compositum. Et *Vitellium* arguo, qui auditâ defectione militum curis luxum obtendebat. *Tacitus.*

Causâ Provincialium motuum avaritia Magistratuum, vel obsequii impatientia *Tac.*4. *Annal.*

Qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habent. 11. *Annal.*

Alii non tam præmiis periculorum quàm ipsis periculis læti, pro certis & olim partis, nova, ambigua, ancipitia malunt. 2. *Hist. Tac.*

Libertatem & speciosa nomina jactant. 3. *Annal.*

Periculosa interdum severitas est, & si nihil militi concedas, in ancipiti Resp. 1. *Annal.*

Crebrisque expeditionibus hostem potius odisse doceantur. 1. *Hist.*

Dux egregiæ famæ militaris, ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio fossam produxit. 11. *Annal.*

Id verò saluberrimum ad continendam militarem fidem, ut longis spatiis discreti exercitus nec vitiis nec viribus misceantur. 1. *Hist. Tac.*

Nam quanto plures, tantò violentius turbantur: Quare cohortes turbidas ac si una forent prævalidas disperge. 2. *Hist.*

Qui postquam in ædes irrupêre, diversi regem quærere; dormientes alios, alios occursantes interficere. scrutari loca abdita, claustra effringere, strepitu & tumultu omnia miscere. *Sallust.*

In seditionibus si omnium culpa fuit, paucorum esse pœnam. nec omnes velut uno ictu exhauriantur. *Tac.*

Quo plus authoritatis consiliis tuis insit, eadem velle simula. 2. *Hist. Tac.*

Nemo adeo in arma promptus, ut non idem pretium quietis, quàm periculi malit. 4. *Hist.*

Misce & minas. cunctos infamiæ, se ipsos morti eximant. in pace causas ac merita spectari. ubi bel-

lum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere. 1. *Annal.*

Sæpe furor & rabies, causæque incertæ, eoque difficiliora remedia. 1. *Hist.*

Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod mutatus Princeps, licentiam turbarum & ex civili bello spem præmiorum ostenderet. 1. *Annal.*

Laboratur quoque discordiâ, cum assuetus expeditionibus miles otio lâscivit. *Agric. Tac.*

Quantumque hebes ad sustinendum laborem, tantò ad seditionem promptior. 2. *Hist.*

At ubi periculosa severitas, flagitiosa largitio, da verba, quæ plurimum valent, spem offer, metum intende. blanda promitte, speciosa verbis & re inania aut subdola. Ita mox irrita facturus es, quæ per seditionem expresserint.

Mittatur aliquis, qui eadem velle simulet, quo plus authoritatis insit consiliis. *Tacit.*

Nonne Majestatis postulatus fuit *Granius Marcellus*, Bithyniæ prætor, quod statuam suam altius, quàm Cæsarum posuisset. *Potius ad Invid. Tac.*

Idem *Torquato Silano* contigit. Hic morti adactus, quod haberet nobiles, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellavit, nomina summæ curæ & meditamenti, tanquam disponeret jam imperii curas. *Idem.*

Alterum, qnod inter imagines majorum etiam Caii Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam: DUCI PARTIUM. *Idem.*

Vide plura in *Phil. Hist. Goul.* hoc Tit.

SEVERITATIS. *Tyrannidis.* Vide *Crudelitatis. Morositatis. Clementia.*

Titus *Manlius* Torquatus, ideo consulatum recusavit, dixitque neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse ferre.

L. Cassius Prætor Rom. tantâ severitate fuit, *ut tribunal ejus scopulus reorum diceretur.*

Antisthenes

Antisthenes Philosophus interrogatus, quam ob rem tam severus esset Discipulorum objurgator? Et Medici, inquit, erga ægrotos. Significans se vitia objurgare, non homines.

Aristippus Philosophus, incusante quodam, quid filium sic abjiceret? *An non*, inquit, *& pituitam & pediculos è nobis natos procul à nobis abjicimus?* sensit eos non habendos pro Filiis, qui à Parentum virtute degenerant.

M. *Torquatus* in bello Latino Consul. Filium T. Manlium abripi à Lictore & in modum hostiæ mactari jussit, quod ad dimicandum descendisset. Non obstitit Victoriæ magnitudo. Hinc proverb. *Manliana Imperia.*

Stulpitius Gallus Vxorem suam nullam aliam ob causam repudiavit, quàm quod aperto capite foris fuisset. Contra legem, quæ Vxori unius viri oculos præfiniebat.

Terrarum dominum pone supercilium.

Vnde S*upercilium Censorium*, pro gravitate majestateque accipitur: & superciliosus dicitur austerus, Supercilium pro fastu & gravitate sumitur.

Alphonsus admonitus ab amicis, ne nimium lenis erga suos esset, & ob id in contemtum incideret: magis, ait, hoc cavendum est, ne nimia mihi severitas invidiam conciliet.

Severitas in civitate nonnunquam salutaris est, sævitia nunquam.

De Severitate tractat *Val. Max. lib.* VI. *cap.* 3.

Hannibalem ajunt dixisse, cum fossam humano sanguine plenam vidisset: ô formosum spectaculum!

Sors ista Tyrannis
Convenit: invideant claris, fortesque trucident.

Thales interrogatus: quid difficile vidisset? *Tyrannum*, inquit, *Senem.*

Apud Tyrannos, Ius est in armis, opprimit leges timor.

Sub

Sub Tyrannis, Quam quisque pessime fecit, tam maximè tutus est.

Tyranni adimunt per inquisitionem loquendi audiendique commercium,

Seneca de Clementia: Nam reges consenescunt, liberisque ac nepotibus tradunt regna: Tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est.

Attollere supercilium; *ponere supercilium*. Plinius ait in superciliis partem animi positam: quod illis annuere & negare soleamus, & in superciliis fastus inprimis locum habeat. In corde nascitur superbia; sed superciliis se ostendit. Quisquis supercilium attollit, videtur indicare fastidium. Ponimus supercilium, quando à fastu recedimus. Sic fastuosos homines vocamus *superciliosos*.

Ne Princeps gravior remediis, quàm delicta sint, nec offensionum avidus. Et illum clementiæ simul ac severitatis non pœniteat. 3. *Annal.*

Quosdam in exilium projiciat, quibus inopibus quantò longior vita, tantò plus supplicii erit. 12. *Annal.*

Et privatim miseriores, & publicæ clementiæ exempla futuri. 14. *Annal.*

Ad generum Cereris, sine cæde & funere pauci
Descendunt reges, & siccâ morte tyranni:

Græci Deorum honores tribuerunt iis, qui tyrannos necaverunt.

Seneca.

Victima haud ulla amplior,
Potest, magisque opima mactari Iovi,
Quam Rex iniquus.

Cicero: Moriendum potius, quàm vultus adspiciendus tyranni.

Indigna, digna habenda sunt, rex quæ facit. Plaut.

Interrogatus quispiam: Quid ita Sparta floreret. Quiane reges rectè imperare scirent? Imò, inquit, quia cives parere.

Severitatis exempla vide in *Officinâ Textoris cap.* 34. *lib.* V. & *Val. Max. lib.* V. *cap.* VIII.

De

De Censorea Severitate *Val. Max. cap.* IX. *lib.* 2.

In Morosum.

Quid matutinâ semper mortalia fronte
Despicis, & tetricum nubila pectus habent?
Martius ille animi vultus, Bessosque Getasque
Qui decet, in Belgas non cadit iste rigor.
Ergò nunc rugas facie depone seniles;
Sarcina curarum, nec grave mergat onus,
Triste Supercilium rigido permitte Catoni:
Cui riget assiduo mens animusque gelu.

SERENITATIS. Vide *Tempest.*

CÆlum defæcatum. Sine nubibus. dies illustris. Amœna cæli temperies. cælum invitat ad deambulandum.

Aëris magna serenitas. Ecce, ut aureum cæli jubar, nulla nebula contraxit cælum. Nihil est, quod sudo interspergit maculam.

Poëtarum inprimis genius hæc pulchro colore depingit: quibus perpetuum opera magni artificis Dei proximè imitari.

Lucidus æther
Nubibus expulsis vultu ridebat aperto. Mantuan.
Purgatusque nitet discussis nubibus æther.
Læta serenati facies aperitur Olympi. Silius.
Fusca repurgato fugiebant nubila cælo. Ovid.
Iam cæli frons læta sereni
Panditur. Mantuan.
Semper & expulsâ ridens caligine cælum.
Mundoque dies caligine liber.
Totumque repulsis
Nubibus exitur cælum.
Præsagus obibat
Cuncta nitor, risitque novo Natura sereno.
Sparge diem meliore comâ, crinemque repexi
Blandius alato surgant temone jugales,
Efflantes roseum, frænis spumantibus ignem. Claudianus.

SIMU-

SIMULANDI. Vide *Adulandi. Doli.*

NOn mea est simulatio. Non utor dissimulatione. Fœnerató verba funditare.

Simulare magnum Pietatem. Aliud clausum in pectore habere, aliud promptum in lingua. *Terent.*

Sinuoso pectore loqui. Ex uno ore calidum & frigidum efflare.

Nullum simulatum diuturnum. Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt. Novercæ ad tumulum plorare. In eos, qui fingunt lacrymas.

Tyberius, nullam, ut rebatur, ex Virtutibus suis magis, quàm dissimulationem diligebat.

Hinc hodie multi loquuntur, quamvis impie:
Scire tuum nihil est, si te scire, hoc sciat, alter,
O vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audentem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulatque mollis dura.

Ut Camelo-pardalis collo equum refert, pedibus bovem, capite camelum, maculis tigrim: Ita homines invenias, qui varias sub simulationum velo formas exprimunt; Si cultum inspicias, sanctum existimes; Si orationem audias, Satrapam loqui putes; si vitam expendas, militem arbitreris; si scripta, bubulcum.

O Asini Cumani, quam turpem ignaviam sub virtutis stragula reconditis.

Hoc de vobis dici conveniat, quod de *Antipatro Alexander, quem foris albo uti pallio dicebat, cum intus sanguinem purpuramque referret.*

Qualem Hominem conspicatus *Diogenes*, *Non desinis*, ajebat, *Virtutis stragulam pudefacere.*

Simulationum artes vide in *Theatro Ingenii humani*, cap. 3.

Tatius Sabinorum Dux in Tarpejam Virginem, quæ Tarpeiam arcem prodidit, stipulata præmium, quod

Sabini gestarent in lævo brachio, conjectis armillis & scutis puellam obruit. *Erasmus*.

Vides illum Scythiæ Sarmatiæve regem insigni capitis decorum? Si vis illum æstimare, totumque scire, qualis sit, fasciam solve. multum mali sub illâ latet. *Seneca*.

Catilina ut erat paratus ad dissimulandum omnia, demisso vultu, voce supplici, postulare à patribus, ne quid de se temerè crederent. *Sallust*.

Facundus, callidus & amicitiâ facilis. ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis. *Idem*.

Vnde *Tiberius* Libonem, sibi infensum, ornat præturâ, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, cunctaque ejus dicta factaque cum prohibere posset, scire malebat. 2. *Annal*.

Sincerum vas incrustare. Persius: At non virtutes ipsas invertimus, atque sincerum cupimus vas incrustare. hoc est, rebus fucum & tectorium inducere, quo nativum decus obscuratur. Quicquid lenocinium habet & falsam speciem, *incrustari* dicitur.

Asperum, incultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversâ viâ sequitur devita. *Seneca*.

De Formæ similitudine. *Val. Max.* cap. XIII. lib. 3.

De Crispo Sallust. Tac. lib. 3. Annal.

Diversus à veterum instituto, percultum & munditias; copiaque & affluentiâ luxu propior: suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par eo acrior, quo somnum & inertiam magis ostentabat.

Inter instrumenta Regni *Dissimulatio*: quâ *Nero* factus naturâ, & consuetudine exercitus. noverat velare odium fallacibus blanditiis. 14. *Annal*.

Tiberium jam jam moriturum & viris & corpus, nondum tamen dissimul·tio deserebat. 6. *Annal*.

Speciem venturi simulet Princeps, ut jam jam iturus, ut *Tiberius*, legat comites, conquirat impedimenta, adornet naves, mox hyemem aut negotia variè causatus.

causatus. Primò prudentes, dein vulgum diutissimè provincias fallat. *Tac. 1. Annal.*

SILENTII. Vide *Lingua. Taciturnitatis. Garrulitatis.*

Themistocles apud populum Atheniensem cum diceret; sese habere præclarum consilium, sed, quod tutum non esset efferri apud multitudinem, permisit populus, *ut Aristidi diceret in aurem*, & ejus unius judicio vel probaretur vel rejiceretur. Erat autem de classe Græcorum exurenda. Id cum esset factum, Aristides ad populum: *Nihil*, inquit, *audivi utilius consilio Themistoclis, sed eodem nihil injustius.*

Quod facinus celebrius, quam *Papyrii* prætextati? qui non minis matris, non blanditiis adduci potuit, ut effutiret, quid in magistratu esset actum. *Cumque illa jam adornaret virgas*, puer extemporali commento parentem elusit. at illa fabulam protinus in vulgus efferens, ridiculos concitavit tumultus, suamque futilitatem denobilitavit. *Eras. in Linguâ.*

Simile apud *Plutarchum*. Cum Romæ compluribus diebus serium quiddam & arcenum ageretur, mulier quædam maritum precibus solicitabat, ut arcanum impertiret tacituræ. silentii fidem lacrymis, jurejurando, dirisque imprecationibus pollicens. Romanus, quo mulierculæ stultitiam reprehenderet, simulat se victum precibus. Audi igitur; sed tacitura portentum horribile, quod à sacerdotibus nunciatum est. *Coturnix auream galeam in capite gestans, lanceamque ferens, volare visa est.* Quâ de re consultat Senatus. Ambigentibus Auguribus, utrum boni quippiam an mali monstrum hoc portendat. Mulier velut urgeret abortus, statim in forum, Heu! patria, heu! mi vir, quid calamitatis nobis imminet. *Ibidem.*

Cum aliquando *Lysimachus* Rex dixisset Philippidi: quid rerum mearum tibi impartiam? scitè respondit: Quidvis ô Rex, modò ne quid arcani. *Ibidem.*

Cecilius Metellus dixit: Si scirem hanc vestem esse

conſciam mei conſilii, protinus exuerem & igne exurerem.

Eumenes fucum addidit ſilentio. cui cum eſſet indicatum, Craterum adverſus eum in aciem venire, nulli ſuorum rem indicavit, ſed finxit Neoptolemum advenire. nam hic ignavus habebatur. Non ſcivere milites Craterum ducem fuiſſe, antequam inſcientes interfeciſſent. *Ibid. Eraſ.*

Phocion ad aliquem de bello differentem: quid hic faceret in prælio thorace & galea onuſtus? quum loquens tantum de bello laboret, ut periclitetur, ne animam exhalet. *Ibid.*

Puer aliquis apud Laconas vivam vulpeculam furatus. Latus illi uſque ad inteſtina dilaceraverat. Cum reprehenderetur, Præſtat, inquit, cruciatibus immori, quàm furtum prodere per ignaviam. *Ibid.*

Quâ fronte de ſilentii fide cum aliis expoſtulat, qui ſibi ſilenti fidem non ſervavit?

Nulla debetur gratia prodigo, qui largitur non ex benignitate, ſed animi morbo. ita non debetur ſilentii fides ei, qui primus ſilentii fœdus violavit? *Eraſmus.*

Nulli fidere, tyrannicum eſt, quibuſlibet credere, ſtultitiæ & levitatis. *Idem.*

Majore cum periculo à potentibus accipimus arcanum, quàm ad illos deferimus. *Idem.*

Quos Homerus egregios viros proponit, eoſdem facit & ſilentii tenaces.

Anſeres laborant infamiâ garrulitatis. & tamen hi quoties ex Ciliciâ demigrantes Taurum montem aquilis differtum tranſmiſſuri ſunt, guttur obturant hauſtâ arenâ, ore lapidem geſtant, atque ita ſilentes noctu tranſmittunt. ubi montis medium ſuperarunt, dejiciunt lapidem. *Eraſ. Ibidem.*

Fidum erat, & altum Reip. pectus *Curia*, ſilentiique ſalubritate munitum & vallatum undique: cujus limen intrantes, abjectâ privatâ charitate publicam induebant. *Val. Max. lib. 2. cap. 2.*

Qui

Qui ſponſam ambiunt, citius eâ potiuntur, ſi nôrint ſilere. *Eraſ.*

Cervus ſi tacitus paſci poſſet, haberet plus dapis. *Ibid.*

Quidam etiam cariſſimorum conſcientiam reformidant, & ſi poſſent, ne ſibi credituri, interius premunt omne ſecretum. *Seneca.*

Ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet. Horatius.
Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces. Vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgârit arcana, ſub iiſdem ſit trabibus, fragilemque mecum
Solvat faſelum. Od. 2. Lib. 3.

SIMILITUDINIS. *Comparandi. Diſſimil. Æqualitatis.*

HÆc *elegantia* cum longiſſimè pateat, & variorum hortuli has roſas & lilia miſceant, nolo, niſi paucis oſtendere, quantum valeat lepida hæc doctrina: quæ in *Cicerone*, in *Seneca*, in *Lipſio*, aliiſque magnis viris ſemper utramque paginam facit. Habes Flores Lipſianos, *Eraſmi*, Ciceronis aliorumque in compendiis. Hîc locus anguſtus, nec ex profeſſo ſingulis deducendis vacat typus & tempus.

Similium Doctrina utilis, neceſſaria. inprimis Poëtæ & Oratori, quibus hinc majeſtas & fama veniunt.

LIPSIANA QUÆDAM.

VT *amantes* in domina ſua nunquam non inveniunt, cur eximia ea ante omnes: ſic dolentes in ſuo luctu.

Vt labor cum pluribus communicatus levior fit: ſic itidem dolor.

Vt *flumen* in rivos plures ſparſum minuitur: ſic noſter dolor, communicatus cum aliis, levior minorque fit.

Vt *arbores* altius radices agunt ventis agitatæ: ſic boni

boni in virtute magis comprehendunt, impulsi aliquoties adversitatum flabris.

Clades sunt veluti Gymnasium, in quo Deus suos ad robur instituit & virtutem.

Vt *flumina* ad maria feruntur perpeti & prono cursu: sic res omnes humanæ, per cladium canalem labuntur ad suam metam.

Herculis cothurnos aptare infanti. In illos qui res humiles oratione tragicâ prosequuntur. In parvis litibus tragœdias movere, tale est quasi Herculis personam & cothurnos infantibus aptare. *Quintil.* Sic *Agesilaus* Sophista negavit sutorem bonum sibi videri, qui *parvo pedi* magnum induceret calceum.

Vt *medici* postquam usserunt & secuerunt satis, non omittunt statim ægrum aut deponunt, sed benigna fomenta adhibent doloribus mitigandis: Sic Deus illos, quos ferro & igne sapientiæ suæ purgasse satis videtur, lenibus quibusdam alloquiis fovet & tractat manu, quod dicitur, molliore.

Deus publicas clades immittit, alit, fovet; tum finiet, cum earum causas. eæ autem peccata sunt.

Quem *Deus* diligit, per æqua, per iniqua, per fluxus & refluxus perveniet ad suum portum.

Vt *vitis*, nisi amputes, latissimè se spargit: sic affectus quibus aura aliqua velificatur popularitatis.

Vt *oculi*, ubi glaucoma obsidet, puriter non vident: non item mens, ubi adfectus.

Vt *oculus*, in quem humor aut Phlegma illapsum, parum videt: sic animi acies, quem amor inumbrat.

Vt *aqua* igni admota calescit: sic nostrum frigus ad amici ardorem.

Vt *ignis* sine materie languescit: aut deficit: sic amor sine honesti alimento.

Adi egregium Libellum, *Lector*, Qui inscribitur FLORES LIPSII. Hinc cum fructu tibi licet decerpere allegoriam excellentissimam incomparabilis Authoris.

Et

Et LYCOSTHENEM, qui ex professo hæc tractavit.

SIDERUM. Vide *Solis. Astrorum. Cœli. Serenitatis.*

ITaque ut nautis solitarium Helenæ sidus non placet. non item mihi ista. Gemini illi sunt, qui cum apparuere tranquillitatem nunciant nautis. *Lips.*

Dum Lunam, Stellas, orbes tanquam pollice filovè metiuntur, dum Fulminum, ventorum, Eclypsium ac cæterarum inexplicabilium rerum causas reddunt. Nihil usquam hæsitantes, quasi naturæ rerum architectrici à secretis fuerint. Quos interim natura cum suis conjecturis magnificè ridet. *Erasmus in Moriâ.*

Solem illum pulcherrimum, fateor. sed gratiorem tamen eum roriflua nox facit, & pallium obductum nigræ matris. *Lipsius.*

Mahumetes solem & Lunam vehi in equis asserit. illum autem in aquam calidam vesperi mergi, & bene lotum ascendere & oriri. Stellas in aëre è catenis aureis pendere. terram in bovini cornu cuspide stabilitam esse, & agitante se bove ac succutiente, fieri terræmotum. Hominem autem ex hirundine, aut sanguisuga nasci. *Vide Lips. in Mon. & Exemp. Polit. cap.* 3. *lib.* 1.

Stellarum species, vide *in Fatid. lib.* 3. *cap.* 1. Ibidem de Siderum significatione.

De signis Zodiaci, consule Locos communes Poëticos. *Parnassum, Thesaurum, Apparatum Poeticum. &c.*

Ego tibi spondeo, non fore hîc Numantiam aut Saguntum. Cometam & nos per hos dies vidimus, immanem, dirum, & facie haud sæpe visitatâ. Quid portendat, quæris? Chaldæus non sum, nec cæli signa cognovi, tamen hoc vetus cognovi. οὐδεὶς κομήτης ἄστις οὐ κακὸν φέρει. *Lips. in Epist.*

SITIS. Vide *Famis. Edendi. Bibendi.*

Sitim siti restinguere oportet. Sitis arida guttur urit.

Rapido fervens sitis urget in æstu.

Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Flagrat dira sitis, quam non exstingueret Hebrus.

Æstivamque sitim sedare fluentibus undis. Ardentemque fugax non levat unda sitim.

Xerxes Persarum R. cum nullum remedium inveniretur pellendæ siti, proclamatum est, si quis aquam ex Choaspo haberet, ut Regi eam bibendam daret. Et inventus est quidam, qui pauxillum haberet, idque putridum. Bibit illam Xerxes magno beneficio affectus.

Darius Rex Persarum multis antea poculis & epulis fastiditis, cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam in fuga bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius.

Pejus inventum est siti arente in undis; aliquid & pejus fame hiante semper?

SOBRIETATIS. *Abstemii.* Vide *famis. Temperantiæ. Parsimoniæ. Abstinentiæ.*

CYrus senior cum ad hospitem divertisset rogareturque, quid sibi cœnæ vellet apponi. *Resp.* panem tantùm, & *sperare se prope fluentem aquæ rivulum cœnaturum.*

Quis nunc ille tam diligens antiquæ Sobrietatis cultor, qui cum Lycurgo conviviorum apparatus; cum Solone & Lacedæmoniis nimiam in veste superbiam damnet, prohibeat? Qui cum Platone, Cyro, Lysandro; cum Fabricio, Diogene, Socrate, stomachi sui desideria sobriis naturæ legibus terminet, definiat? Optimè meo judicio Lacedæmonienses, qui obesos & corpore pingues, ut magnarum rerum securos, in

jus

jus vocabant. Romani Alcæum & Philiſcum Epicureos ex urbe ejecerunt.

Inanima Caſtimonia dicitur frugalitas edendi, quâ ab animantibus abſtinentes cibariis veſcimur anima carentibus. Inanimis contentus cibis, qui victus eſt Orphicus & Pythagoricus. Sed malunt multi eſſe Creophagoi, quam Carpophagoi.

Parco victu & tenuiculo opus eſt ſtudioſis Diſciplinarum.

Singulariter differit de ciborum regula & ſalubritate Commentator *Beroaldus in Apuleii librum* XI. ad calcem.

Plato lib. 2. de legibus, adoleſcentes abſtemios eſſe vult uſque ad annum ætatis 18. *Anima ſicca ſapientiſſima.*

Galenum perhibent annos 120 vixiſſe, quod à menſa nunquam ſatur abierit.

Cum *Xantippe* Socratem virum ſuum increpat, quod tenuiter ſe ad amicos accipiendos præpararet, dixit, *Si noſtri fuerint; nihil curabunt; ſin alieni, nos de illis nihil curabimus.*

Diſcite quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Lucanus.

Abronis vita. Dicitur in homines molles quales fuit Abron.

Democrit. Πατρὸς σωφροσύνη, μέγιστον
Τέκνοις παράγγελμα.

Val. Max. de Frugalitate & innocentiâ lib. 2. cap. V.

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, ſi ad opiniones, nunquam eris dives. Exiguum natura deſiderat; opinio immenſum. *Seneca.*

Scitote hominem tam bene culmo quam auro tegi. *Seneca.*

Non ſplendeat toga, nec ſordeat, quidem. non habeamus argentum, in quo ſolidi auri cælatura deſcenderit; ſed non putemus frugalitatis judicium auro argentoque caruiſſe. *Seneca.*

Hoc contra naturam eſt, faciles odiſſe munditias,

& squallo rem appetere, & cibis non tantum utilibus uti, sed tetris & horridis. quemadmodum delicatas res desiderare luxuriæ est; ita usitatas & non magno parabiles fugere, dementiæ. *Seneca.*

Tantum cibi & potus sumendum, ut corporis vires alantur, non opprimantur. nihil enim ad tuendam sanitatem, profligandosque morbos efficacius, quàm moderatè vesci, & fame sitique condire omnia. *Cic.*

Durius tractandum est corpus, ne animo malè pareat. cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aversus infesta corpori. Hanc utrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest. *Seneca.*

Hoc in se aliquando suisque expertus *Cyrus* Persarum R. immodicos ciborum apparatus & fastidiosas cupedias, quæ voluptatis fines longius proferunt, sustulisse legitur, suosque ad laborem & moderatam victus rationem assuefecisse. *Xenophon.*

Luxu ante capere, dormire priusquam somni cupido sit, vescendi causâ terrâ marique omnia exquirere. *Sallust.*

Artaxerxes, qui cum in fugâ direpto commeatu, aridis ficis, & pane ordeaceo vesceretur, *Dii boni*, inquit, *Cujusmodi voluptatis hactenus fui expers!*

Darius, qui quum aquam turbidam ac cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam bibisse se jucundius.

Nec unquam *Ptolomæus* esuriens ederat. Cui quum peragranti Ægyptum cibarius in casa panis esset datus, nihil visum est eo pane jucundius.

Alexander quum solitos obsoniorum artifices ablegasset, longè se commodiores circumferre dixit, nempe matutinam profectionem ad condiendum prandium, ad cænam verò prandii tenuitatem.

Socratem ferunt, quum ad vesperam contentius ambulasset, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, quò melius cœnaret. sitim enim ac famem obsonii vice esse, & condire omnia.

Dionysius

Dionysius tyrannus, qui cum apud Lacedæmonios cænavisset, negavit, se jure illo nigro, quod primis mensis inferri solet, delectatum. Tum is, qui coxerat, *Minimè mirum*, inquit: *Condimenta enim defuerant*. Quæ tandem, inquit ille? Labor in venatu, sudor cursus, delassatio, fames, sitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. *Lev. Lemmius de honesto animi & corporis oblectamento.*

Diogenes cum vidisset puerum cavâ manu aquam bibentem, fregit protinus exemplum è perulâ calicem hac objurgatione sui: *Quam diu homo stultus supervacuas sarcinas habui.*

Simplici curâ constant necessaria; in deliciis laboratur. *Seneca.*

Nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus. *Idem.*

Platonis frugales erant cænæ. Propterea dicebat Timotheus, bene cum his fore, quos Plato excepisset convivio. Delicatiores epulas respuebat, contentus olivis Academicis.

Socrates tantâ fuit animi continentiâ, ut omnia ferè vitæ tempora valetudine inoffensâ vixerit.

Epaminondas ita inimicus erat obesis, ut quendam aqualiculo portentoso submoverit ab exercitu, quod ad tegendum ejus ventrem vix clypei tres sufficerent, &c.

Lycurgus dicebat non esse utendum majore cibo, quàm qui ad repellendam famem sufficeret.

Lacedæmonii nullam disciplinam abstinentiâ habuerunt potiorem.

Porus R. Indorum aqua & pane vixit contentus.

Sacrum sine fumo. De tenui convivio, in quo nihil certi obsonii apponitur, à pauperculorum sacris translatum, qui tantum molas, thus, lac aut corollas offerunt, cum Dii nidorem exspectent, unà cum fumo subvolantem. Sic dici solet: *meus caminus propter te majorem fumum non videbit.* Quod in Poëtas quoque quadrat; nam Poëtæ sacra sine fumo sacrificant.

Esurio: edendum est. utrum hic panis sit plebejus an siligineus, ad naturam nihil pertinet. illa ventrem non delectari vult, sed impleri. *Seneca.*

Vtrum sit aureum poculum, an cryſtallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix an manus concava, nihil refert. *Idem.*

Bucca

Noscenda est mensura tua, spectandaque rebus
In summis, minimisque: etiam cum piscis emetur,
Nec mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. Quis enim te, deficiente crumenâ,
Et crescente gulâ manet exitus, are paterno
Ac rebus mersis in ventrem?
Talibus à dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo, Iuvenal. Sat. XI.

Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
Pinguissimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inscius herba,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti.
Qui plus lactis habet, quam sanguinis, & montani
Asparagi.
Ova adsunt ipsis cum matribus.
Signinum, Syriumque pyrum, de corbibus iisdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis.
Et crudi posuere pericula succi.
Hac olim nostri jam luxuriosa senatus
Cena fuit. Curius parvo qua legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula: qua nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor. Iuvenal. Sat. XI.

Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalium cognatis ponere lardum. &c.
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus; ad has epulas solito maturius ibat.
Erectum domitore ferens à monte ligonem, &c.
Talis ergo cibi, qualis domus atque supellex.

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Templorum quoque majestas præsentior.
Nullo violatus Iuppiter auro.
Adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessella, nec calculus ex hac
Materiâ: quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula, haud ideo pejor gallina secatur. Satyra XI. ubi plura in hanc materiam.

SOLIS. Vide *Siderum. Cæli. Astrorum.*

LEge *Ioh. VVoueri* tractatum de umbrâ. *& Macrob. lib* I. *cap*.XX.

Qui lucis & umbræ Rector, apud superos duodena perambulat. Mantuan.
Bissena cursu signa qui vario regis.
Qui tardâ celeri sæcula evolvis rotâ. Seneca.
Tuque ô sereni maximum mundi decus.
Planeta, Qui nocturna suis removet splendoribus astra. Mant.

De *Planetis* cap.6. Magiri lib. 2.

De *Solis* & *Lunæ* Eclipsi vide *cap*.VII. *Phys. Magiri.* & cap.VI. lib.2.

Eclipsis est ablatio seu prohibitio luminis in sole & Lunâ, quo minus ad oculum feratur.

De *Stellarum numero* cap.7. lib.2.

Defectumque pati, nigraque in veste sororem
Inter nocturnos ignes incedere mœstam.
Phœbe venit obvia fratri
Vitalesque premit radios Phœbum indignata
Luna erat in coitu, solemque amplexa, vetabat
Ferre orbi vitale jubar. Mantuanus
Iam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subitâ percussa expalluit umbrâ.
Lunam fraterna prohibebat imagine tellus,
Inseruitque suas, flammis cælestibus, umbras. Lucanus.

Sol caput obscurâ nitidum ferrugine texit. Virgilius.
Si Luna terris propioris imago obstiterat. Ovid.
Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo
Condidit ardentes, atrâ caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit
Desperare diem. Lucanus.
Territat assiduus Lunæ labor atraque Phœbe
Qua linea Thæben
Damnat, & excluso pallentem fratre relinquat.

SOLITUDINIS. Vide *Modestia.*

CRates cum vidisset adolescentulum secretò ambulantem, interrogavit, Quid illic faceret solus? *Mecum,* inquit, *loquor.* Cui Crates: *Cave*, inquit, *ne cum homine malo loquaris.* Seneca in Epist.

Nemo ex imprudentibus relinqui sibi debet. Tunc mala consilia agitant; tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt. tunc cupiditates improbas ordinant. tunc quidquid aut metu, aut pudore animus celabat, exponit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat. *Seneca in Epist.*

Sævæ quippe cogitationis indicium est secreto suo nimis satiati. *Tac. in Agric.*

Legimus *Tiberium*, iis annis, quib. Rhodi specie secessus exulem egit, non aliud quàm iram & simulationem & secretas libidines meditatum. 1. *Annal.*

Huc ergo Princeps intendat, diem ædificationibus trahere potius, quàm solum & nullis voluptatibus avocatum, mœstam vigilantiam exercere. 3. *Annal.*

E. Neuh. lib. III. *Fatid. cap.* I. ô decoram, splendidam, gratam siderum lucem! ô speciem astrorum elegantem, dignitatem eximiam, vim admirabilem, utilitatem incomparabilem! Quam cælestis theatri architectura sine vestro lumine dignitatem obtineret? Quid Terra non irrigata vestris radiis commodi hominibus præstaret? Quæ animantes tolerandæ vitæ & sustentandi corporis præsidia haberent; nisi benignis

luminum

luminum vestrorum flammis Terra mater illustraretur?

Non sciret sementis messisque faciendæ tempus opportunum agricola; non teneret rectum in mari cursum navita; non anniversariæ tempestates; nullæ temporum commutationes; nulla dierum noctiumque vicissitudo cognosceretur, si vos terris lucem vestram subtraheretis. &c.

SOMNI. Vide *Quietis. Dormiendi. Auguriorum. Spectrorum. Fati.*

Arctior somnus ipsum occupavit. Mirum atque inscitum hac nocte somniavi somnium.

Non bonus somnus est de prandio. Vbi somnum sepelivi omnem, atque edormivi crapulam.

Postremum injecta somni nebula, eoque in profundam quietem sepulto. Velut ex altissimo somno animum & oculos eruens.

Veteres *Græci* sumpto cibo meridiabantur. Nam ipsos Deo sic facere existimabant. Locus quietis illis assignatus in templo ad januam. Quâ de causâ nefas meridiè templum intrare. quod Deos in via esse crederent, eòque ire meridiandi gratiâ. Tunc & quisque sibi sedulo cavebat à cantu, omnique alio strepitu, ne sui quisque Dei somnum interturbaret. Exemplum in Theocrito, ubi Caprarius nefas dicit fistulâ canere, quia meridies sit & metuendum, ne Pani Deo suo somnum excutiat.

Romani isto tempore soli atram hostiam immolabant, ut temperaret immodicos calores: eaque *Medidialis* dicta. quia *Medidies* antiquis dictum.

De *Insomniis* vide *Edonis Neuhusii* sacra Fatidica lib. 3. pag. 299.

Et Macrobium lib. 1. cap. 3.

Somnus ut est mortis, sic Lectus imago sepulcbri.

Et bene profanus, qui non in ista quietis statione sæpius de morte cogitet, quàm spiret.

Poëtæ fabulantur *Endymionem* beneficio Lunæ, à qua amabatur, impetrasse, ut perpetuum dormiret somnum.

somnum, immortalis & expers senii. Hinc adagium: *Endymionis somnium dormire.*

Poëtæ propterea somnum & soporem vocant Endymionæum.

Iubet *Plato* sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo & *Pythagoras* interdixit, ne faba vescerentur, quia is cibus habeat inflationem & insomnia gravia facit.

Socrates in somnis discipuli Platonis Eloquentiam atque philosophiam prævidit. Nam pridie, quam ad Socratem à patre Plato puer adduceretur, *visus sibi est è sinu suo videre candidum Cygnum egredi, qui aërem totum miris concentibus replebat.* Quod somnium, perspecto Platone puero, statim enarravit. *Vide Auguriorum.*

Æschylus Atheniensis, puer adhuc, dum uvas custodiret in agro dormiens Bacchum vidit hortantem, vt tragœdias scriberet. Cum primum illuxisset periclitans, quid in ea re posset, omnia minimo negotio consequutus est.

Ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.

Somnus est corporis salus.

Stulte quid est somnus gelida nisi mortis imago?

Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Plutarchi hæc est sententia: Cum exiguum vitæ tempus datum sit hominibus, somnus, velut Publicanus, dimidium ejus aufert,

Canterino more adstans somniat. Plaut.

Dormiunt autem equi stantes plerumque. Magis tamen canterii, quod castrati sint.

Somnus dulcis abesto oculis. De iis, qui philosophari volunt.

Quos somnos somnias, hoc est, quas nugas blateras. Et sic sumitur somniare pro ineptire.

Olli dura quies oculos & ferreus urget Somnus.

Quod ex Homero sumptum, qui mortem somnum ferreum, *hoc est*, ὕπνον χάλκεον nominavit.

Seneca Tragicus. *Tuque ô domitor Somne laborum, requies*

requies animi, Pars humana melior vita. Frater dura languide mortis. Pater ô rerum, portus vita, Lucis requies, noctisque comes, qui par regi famuloque venis.

Somno opus. Somnus dolore nos liberat. pulchrè de his agit *Ioh. VVouerus*, in libello de umbrâ cap. XXIV.

De Somno & ejus generat. commodo,&c. Consule *Cap.2. Fatid. Parentis mei. lib.2.* Ibidem de Noctambulonibus.

Petrarcha. Erat aliquis, qui somniârat morderi se lethaliter à Leone marmoreo, quales in templorum vestibulis cerni solent. Die postero, cum templi fores casu præteriret, non sine risu somnium suum inter comites narravit & manu in os Leonis injecta *En*, inquit, *nocturnus hostis meus*, Scorpio vero qui in imis Leonis faucibus delitescebat, lethaliter hominem vulneravit. *Val. Max.*

Val. Max. cap. VII. lib. de somniis.

Carthaginensium Dux *Amilcar*, cum obsideret Syracusas, inter somnium audisse vocem credidit nunciantem, futurum ut proximo die in eâ urbe cænaret. sed, vinctus intra mœnia illorum fuit protractus. Itaque magis spe, quàm somnio deceptus, cænavit Syracusis captivus, non ut animo præsumpserat, victor. *Val. Max. Ibid.*

Mirabile somnium *Antigoni* super Mithridate. visus videre noctu Antigonis, *sementem auream in magno campo se facere*, eam surgere, adolescere, & maturescere. Sed mox omnia demessa item videre, & culmos spicasque jacere inanes. vocem ad hæc audire: Mithridatem in Pontum Euxinum fugere, auream messem secum apportantem. Rex exterritus tollere Mithridatem statuit, & cum filio Demetrio communicat fidem silentii. sed familiaris Mithridati Demetrius, tacet; sed cum seduxisset illum, scribit in pulvere: Fuge Mithridates. Fugit in Cappadociam, & mox potens Ponti regnum condidit.

Nobile est, quod *Astyagi* ultimo Medorum Regi factum. Vidit per quietem *ex naturâ filia vitem enasci,* &

& sic mox diffundi, ut totam Asiam palmite suo obumbraret. Consulti vates ajunt, nasciturum ex filiâ, qui Asiæ regnum occupet, suo eum nudet. Tertius hoc filiam extero Cambysi despondet. eam partui vicinam ad se traducit, ut quod natum esset, se teste, necaretur. Traditur Harpago occidendus. hic veritus imperium ad filiam venturum, mortuo Astyage, puerum pastori dat alendum. Fortè uxor ejus peperat, quæ, re audita, puerum ad se deferri rogat. Maritus indulget, it in sylvam. repperit canem fœminam, quæ mammas præbebat. Crescit in virum, in Regem, qui Astyagen vicit, sceptrum ad Persas transtulit. *Lips. in Mon. Pol.*

SPEI. *Fiducia.*

SPes prorogatur in alium diem. Est mihi illic una spes cænatica, si ea decollabit, redibo huc. *Plaut.*

Bonam spem ejurare. i. e. nullam spem reliquam habere. Mihi nulla spes in corde certa est.

Nescia spe sumus. Animus in spe atque timore attentus est.

Ego spem pretio non emam. Quicquid præter spem evenit, id omne deputare in lucro debemus.

Spem in manibus habere. Spem rei alicui præcidere. Ad spem Libertatis exarsimus.

Extenuari spem nostram & evanescere vidimus.

Nemo confidat nimium secundis, Nemo desperet meliora lapsus.

Animum inducere in spem. Iam spes melior vultum meum serenat. Bonæ spei plenum esse.

Quanta de spe decidi miser! Facula bonæ spei allucet.

Omnis nobis speratæ rei longa dilatio est. Ibo ad te fretus tua Fides fiducia.

Sperat quidem animus: quò eveniat, Diis in manu est.

Noli ad credulam spei perplexæ auram antennas solvere.

Qui

Qui nihil poteſt ſperare, deſperet nihil.

Thales ſciſcitans, quid maximè commune eſſet omnibus? Spes, reſpondit.

Socrates dixit; ſpem abſque labore nihil utile ponere.

Ἐλπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν.

Spes alit homines.

Cur deſperes fieri poſſe, quæ facta ſunt?

SPECTRORUM. Vide *Ominis*, *Somn. Auguriorum. Miracul. Vaticin.*

AT verò ſpectra etiam ſæpe & Genii, variâ ſpecie prædicunt. ut ille, qui *Dioni Syracuſio* apparuit. domi ſedebat, & clarâ luce habitu Furiæ mulier ſe obtulit, grandi ſtaturâ, horrendâ fæditate. Ea domum ſcopis cepit verrere, nihil aliud prolocuta. ipſum Dionem mox inſidiatores domi interfecerunt: uxore & ſorore ejus in carcerem abductis. Quid non egregiè domus hæc verſa, ſi non everſa fuiſſet, monſtro ſignificatum? *Lipſ. in Pol. Mon.*

M. Bruto ſimile etiam ſpectrum oblatum. Parabat trajicere ex Aſiâ exercitum in Europam, & funeſtos illos Philippos, ubi mox certatum. Nox alta erat, luna lucens, & Brutus aliquid ſerium animo volvebat. Cum, ecce, ſonus ſtrepituſque ad cubiculi januam, ingreditur vaſtâ formâ Æthiops ſævo & terrente adſpectu. atque is ſilentio ante Brutum conſtitit. qui animo & ore conſtans, interrogat: *Quis hominum deorumque es? quæ res huc egit?* Reſponſum retulit: *Malus tuus Genius ſum, in campis Philippicis me videbis.* Iterum animosè Brutus: *Videbo.* Diſparuit. in ipſis campis comparuit; nocte, quæ ipſam pugnam anteceſſit: cum à bono Genio Brutus deſertus, malo ſuccubuit. atque adeo ipſe occubuit, & Romana cum ipſo libertas. *Ibidem.*

De Spectris vide E. Neuh. Cap. *Fatid. lib.* 2.25.26. 27.28.

De

De Stratagematis consule *Val. Max. lib.* VII. *cap.* 4. Et *Schonborn.* in Polit. lib. 4. cap. 27.

STRATAGEMATUM. Vide *Insid. Doli. Belli. &c. Discord.*

Tiberius consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere malebat. Ideoque semina discordiarum jaciebat, præbendo Armeniam specie largitionis turbandis Barbarorum animis 6. & 12. *Annal.*

Neque aliud adversus validissimas gentes utilius, quàm si in commune non consulant, nec commune periculum concordiâ propulsent, & maneat illis si non amor nostri, certè odium sui. *Tac. de M. Ger.*

Inde *Drusus* haud leve decus quæsivit, inliciens Germanos ad discordiam. Idque lætius Tiberio quàm si bellum per acies confecisset. 2. *Annal.*

Hostem adversum deprimere, homini strenuo haud difficile: occulta pericula neque vitare facile bonis in promptu est. *Sallust.*

STULTITIÆ. Vide *Nugarum. Ioci. Argutiarum.*

APud me succus ille mirificus, quo Memnonis filia Tithoni avi sui juventam prorogavit.

Ego sum Venus, cujus favore Phaon ille repubuit, ita, ut à Sapphone tantopere deamaretur. Meus iste fons, qui non solum revocat elapsam adolescentiam, sed perpetuam facit.

Cur semper Cupidò puer, nisi, quia nugator est? Cur aureæ Veneri semper vernat suâ formâ? quia mecum habet affinitatem.

Quos enim non præbet jocos, ficulnus ille Priapus? quos non ludos exhibet furtis ac præstigiis suis Mercurius? Tunc & Silenus ille senex amator τὸν κόρδακα saltare solitus.

Natura parens & humani generis opifex, illud cavit, ne usquam deesset stultitiæ condimentum.

Iupiter

Iupiter quanto plus indidit affectuum, quàm rationis! quasi semunciam compares ad assem.

Mox concilium dedi me dignum, nempu uti mulierem adjungeret: animal videlicet stultum quidem illud atque ineptum, verum ridiculum & suave, quo convictu domestico, virilis ingenii tristitiam suâ stultitiâ condiret atque edulcaret.

Papæ! quàm pauca coirent matrimonia, si sponsus prudenter exquireret, quos lusus delicata illa, sicuti videtur, ac prudens virguncula jam multò ante nuptias luserit?

Quid juventa, si senilis tristitiæ fermento corrumpatur?

Tolle hoc vitæ condimentum, & protinus frigebit cum suâ actione orator, nulli placebit cum suis numeris, Musicus, explodetur cum suâ gesticulatione histrio, ridebitur unà cum Musis Poëta, sordebit cum arte pictor. esuriet cum Pharmacis medicus. Postremò, pro Nireo Thersites, pro Phaone Nestor, pro Minervâ sus, pro facundo infans, pro urbano rusticus videberis.

Ad convivium adhibe sapientem, aut tristi silentio, aut molestis quæstiunculis obturbabit. ad chorum advoca. camelum saltare dices. ad publicos ludos trahe, ipso vultu populi voluptatibus obstabit, & cogetur è theatro migrare sapiens Cato, quandoquidem supercilium non potest ponere.

Quæ res plebem Romanam jam extrema molientem in concordiam civitatis revocavit? num oratio philosophica? minime. imò ridiculus ac puerilis apologus de ventre, reliquisque corporis membris confictis.

Videtis, quid futurum sit, si passim sapiant homines. nempe altero luto, altero figulo Prometheo opus fore.

Stulti vacant mortis metu, non mediocri, per Iovem, malo. vacant conscientiæ carnificinâ. non territantur manium fabulamentis. non expavescunt spectris ac lemuribus. non torquentur metu impendentium

tium malorum. in summâ, non dilacerantur millibus curarum, quibus hæc vita obnoxia.

Hîc mihi jam expendas velim, stultissime sapiens, quot undique sollicitudinibus noctes diesque discrucietur animus tuus. congeras in unum acervum universa vitæ tuæ incommoda, atque ita demum intelliges, quantis malis meos fatuos subduxerim.

Alioquin non dixisset Horatius: *An me ludit amabilis insania?* Neque Plato Poëtarum, Vatum & amantium furorem inter præcipua vitæ bona collocasset: nec vates illa laborem Æneæ vocasset Insanum.

Stultitiam simulare loco, prudentia prima est.

Haud sciam, an ex universâ mortalium summâ quemquam liceat reperire, qui omnibus horis sapiat quique non aliquo insaniæ genere teneantur. Quippe, *semel insanivimus omnes.*

Est autem illud longè suavissimum insaniæ genus, quo nonnulli quicquid ulli suorum dotis adest, eo non aliter atque suo gloriantur.

Iucundam persuasionem induerunt, ut si ligneum aut pictum aliquem Polyphemum Christophorum adspexerit.

Aut, qui sculptam Barbaram præscriptis verbis salutarit. aut si quis Erasmum certis diebus, certis cereolis certisque preculis convenerit, brevi sit dives evasurus.

Omnium rerum primos se faciunt, quod digitos habeant auro revinctos.

Nonnulli domi divites haberi gaudent, domi graviter esuriunt.

Est, qui Hyerosolymam, Romam aut Divum Iacobum adeat, ubi nihil illi est negotii, domi relictis uxore, liberis.

In summâ, si mortalium innumerabilis tumultus è Lunâ, quemadmodum olim Menippus despicias, putes te Muscarum aut culicum videre turbam inter se rixantium, bellantium, insidiantium, lascivientium, nascentium, cadentium, morientium.

Hoc sibi videtur Diis propior, quo caudam longiorem

giorem trahit, dum procerum alius alium cubito protrudit, quo Iovi vicinior esse videatur Dum sibi quisque hoc magis placet, quo graviorem catenam collo bajulat; ut robur etiam, non opes tantum ostentet.

Hæc superiora loquitur diversis locis Moria Erasmiana.

De vafrè dictis aut factis, lege *Val. Max. cap. 3. lib.7.*

Stultos omnes insanire docet *Horatius lib. Serm.2. Sat.3.*

In eo ipso stas lapide, in quo præco prædicat. Quadrabit in eum, qui præsens videnſque deluditur. Plaut. ô Stulte, nescis nunc vænire te ea atque in eo adstas lapide, &c. Præcones Romæ in lapide editiore stabant: unde in auctionibus res venales nunciabant. Quare Cicero vilissimos homines *de lapide emptos* dixit. Ex Venalium abstracti grege, &c.

SYLVÆ. Vide *Venat. Canum. Hort.*

S*ylva cadua*, quæ habetur in usum materiæ, quemadmodum Græci ὕλην sumunt pro sylva, h. e. materiâ.

Lucus non est cæduus, sed manu consitus, religiosus. vel hominis alicujus funeri dedicatus, circa delubra vel sepulchra.

Saltus est sylva in viâ, ubi pasci vel æstivare pecudes solent.

Nemora sunt amœnitatis causâ comparata.

Venator, tenet ora levis clamosa molossi.
Spartanos Cretasque ligat, nec creditur ulli
Sylva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & prædâ nescit latrare repertâ.
Contentus tremulo monstrasse cubilia rostro. Lucanus.
Ceu pernix cum densa vagis latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Umber
Nave sagax è calle feras, perterrita latè
Agmina præcipitant volucres formidine cervi. Silius.
Capioque novi spectacula cursus,

Quo

Quo modò deprendi, modò se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est, nec limite callida recto.
In spatiumque fugit, sed decipit ora sequentis. Ovidius.
Namque procul Libycos venatu cingere saltus.
Et juga rimari canibus Getula videbar. Claudianus.
Nexilibusque plagis sylvas Erymanthidos ambit.
Montibus errabat studiis operata Diana. Ovid.

STATURÆ.

STatura esse procera, gigantea, inusitata, immensa, prodigiosa. Statura esse depressa, debiliore, humili, despecta.

Toto me capite superat, exstat. Quantæ è quantillis sunt factæ! Thracæ sunt columnæ, propter staturam eminentem.

Homo minutus, quem vel una manu tollas, & ubi vis colloces.

Sesquipede quidem est, quàm tu longior.
Ingentes animos in parvo corpore versant.
Ingenio formæ damna rependo meæ.
Non est in toto corpore mica salis.
Si brevis es sedeas, ne stans videare sedere.

De Statura monstrosa & prodigiis hominum lege Fatidica *Edonis Neuhusii*. P. Lib. 2. cap. 12. & cap. XVI. *De Pygmæis* & *Pumilionibus*.

Quanquum eadem assidue spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior una. Iuvenal. Sat. 13.

STUDIORUM. *Liberalium Artium.*

Vide *Eloq. Doctrina. Artium.*

APplicare se ad studia. Animum ad studia adjungere. A studiis aliquem removere, deterrere.

Principem esse primarum artium Mirificè studiis esse deditum. Me ad pristina studia revocavi.

Studio Literarum se dedere. Studiis innutriri. Honestissimis artibus erudiri.

Ætatem juvenilem diligentia & disciplina munire.

Studia

Studia accuratius tractare, nec de manibus unquam deponere.

Totum in literas se abdere. Præsidiis Philosophiæ septus sum.

Antiqua Philosophia sensit in una Virtute esse positam vitam beatam.

Ponere multum operæ in studiis. Mancipare se politiori Literaturæ. Haud possem vivere, nisi in Literis viverem.

Affectare laudem sedulitatis. Sapientiæ artibus esse cultum. Iugiter libris invigilare. Mei voti caput est, supra annos tuos Literarum dote ditescas.

Bonæ artes stimulo præmiorum felicius incitantur.

Fungitur militia in scriniis Literarum. In domo Latialis facundiæ otio & studio torpeo.

Haud quisquam ita nitet in Literis, ut comparatus tibi non sordeat.

Quid enim aliud es, quàm ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? In ore tuo vernat Cæcropia Musa. Mihi Lingua Latialis est.

Ego illi in studiis commilitavi. Ille rem, non specimen in doctrina habet. Inter plures non libentius solum, sed plus etiam discimus.

Stulte, ait *Imp. Sigismundus*, qui literis militiam præfers: nam ego equites mille uno die fecerim, Doctorem unum mille annis non fecerim.

De Ratione & methodo studiorum lege quoque *C. Barlæum* in orationibus ubi informat Ducem *Luneburgicum* & *Magapolensem*.

De brevi methodo studiorum legatur quoque *Emundus Richerius* cap. IV. Sect. 8.

Omnis αἰσχρολογία καὶ αἰσχροψία à Scholis arcenda. Quod pulchrè describit *Emundus Richerius* cap. 5. Sect. 4.

Libri convenientes Pueris adsignantur cap. VI. Sect. 4. apud *Eundem*.

Periculosum est vehiculum Musarum insulso committere Phaëtonti.

Vix

Vix mihi à risu possum temperare, quoties de viris doctissimis cogito: qui liberos suos, ante jurisconsultos, quàm Grammaticos, ante sapientes, quàm eloquentes, ante patronos, quàm disertos; ante doctos, quàm ullius doctrinæ aut eruditionis capaces, nituntur efficere.

Emundus Richerius in obstetrice animorum. qui verè aureus libellus. agit de expedita ratione Docendi, Discendi, studendi, &c. Qui cum parum inter manus fiat, dabo typographo proximè consilium de novâ Editione.

*Ibidem Cap.*3. agit de tritâ quæstione: An Pueri melius domi à Pædagogo, an rectius à Præceptoribus in Scholis instituantur.

Pulchrè de hoc *Fabius*: Sicut sol eundem calorem & lumen uno & eodem puncto temporis, omnibus largitur. pari modo præceptores, docendo publicè, universis & singulis se æqualiter commodant. In collegiis omnibus seritur & metitur. *Gaude quod spectent oculi te mille loquentem.*

SUPERBIA. *Arrogantia.* Vide *Ambitionis.*

VT magnifice infert sese! Vt fastidit gloriosus! Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

Est genus hominum, qui esse primos se rerum omnium volunt, nec sunt.

Quia paullum vobis pecuniæ accessit, sublati animi sunt.

Neque pugnas narrat, neque cicatrices ostendit. Sed quis hic ansatus ambulat? *hoc est*, brachiis subnixis, instar ansarum extantibus.

Vt vir subnixis alis se infert. Campano supercilio ac regio spiritu aliquem ridere.

Non tam insolens sum ut Iovem me esse dicam. Repente te tanquam serpens è latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.

Digito

Digito se cælum attingere putat. Quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius.

Statum hominis vide Basilicum. Ecce, basilicè ornatus, ut incedit. Homo supra humanæ superbiæ mensuram tumens.

Nutus omnes veluti pumice expolire, quid hoc supro simias, quas etiam longæ Doctrinæ institutio bipedes facit? Regiæ potentiæ ministros recreat longum superbiæ suæ spectaculum.

Apprime id in hominis vita utile, ut ne quid nimis.

Campana Superbia. Livius dixit Campanis esse ingentem superbiam. Aulus Gellius Nevianum Epitaphium ait esse plenum Campanæ superbiæ. Sic olim omnem perfidiam Punicam dixere, ut & ferociam cujuslibet Campanam. At jam Campania multum de pristino splendore remisit, adeo ut iter per illam facientes nusquam per omnes terras guttam vini Faterni, Caleni, Setini, Secubi, &c. inveniant.

Ne mihi Suffenus esset. Suffenus Poëta erat longè ineptissimus; in aliorum vitia dicax, ad sua cæcus. Qui sibi inaniter igitur placent *Suffeni* dicuntur.

Iovis Sandalium. qui propter Principis familiaritatem magnos sibi spiritus sumunt. sic imperatoris satellitem, regium coquum, aut Pontificium tonsorem egregiè *Iovis sandalium* vocamus.

Hic Rhodus, hic saltus, In illos dicitur, qui de negotio aliquo insolenter sese jactant, cujus fides non extat. Ex Apologo desumptum. Cum adolescens aliquando gloriaretur, quod admirabiles fecisset Rhodi saltus. quidam ex auditoribus interpellato ejus sermone: Ἰδοῦ ῥόδος, ἰδοῦ πήδημα. quasi diceret: age sic côram, nobis testibus absque gloriosâ jactatione. Ovid. in XIII. Metamorph. lib. *sua narret Vlysses, qua sine teste gerit.*

Sic Dii spreti excandescunt. sic humana consilia castigantur, ubi se cælestibus præferunt. *Val. Max.*

Avaritia & Arrogantia sunt præcipua validiorum vitia. *Tac. I. Hist.*

Et Plerunque

Plerunque hominibus nimiâ pertinaciâ atque arrogantiâ accidere solet, uti eò recurrant, & id cupidissimè petant, quod paullò ante contempserunt. *Cæsar. lib. 1. de bello civili.*

Ultra peram sapit: de Philosopho, aut paupere dicitur.

Cum his cænare non sustinet, & majestatis suæ diminutionem putat, ad eandem mensam cum servo suo accedere. *Seneca.*

De peste studiorum *Philautiâ* pulchrè agit *Emundus Richerius* cap. 3. sect. 3.

De cæco amore sui lege *Pontani* Progymnasma LIV. lib. 2.

Tanquam Argivum clypeum sustulerit, ita gloriatur.

Heraclides Phil. Pontius Draconem aluit, quem feretro suo post mortem imponi jussit, ut ex hoc putaretur ad Deos remigrâsse.

Alexander superato Dario & Persarum Regno in suam potestatem redacto, prospera fortuna elatus, Græcis scripsit, ut se facerent Deum. Lacedæmonii decretum fecerunt ejusmodi: *Quoniam Alexander Deus esse vult, esto Deus.*

Iulianus Imp. Apostata cum lethali vulnere percussus, consilio cum Sacerdotibus inito, se clam in fluvium præcipitari voluit, ut divinitus raptus videretur.

Caligula sibi ipsi divinos honores adscripsit, & domum in Capitolio ædificandam voluit, quo posset, sicut dicebat, una cum Iove habitare.

Polydamas Athleta eâ fuit animi confidentia & temeritate, ut ruina scopuli, quam prævidebat, casurum exspectaverit.

Aristippus cum aliquando Dionysium interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret, prostratus cepit amplecti pedes regis, & impetravit. Id factum cum quidam abjectius reprehenderent. Non ego, inquit, sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus.

Alexan-

Alexander Macedo, poſtquam, profligato Dario, *Magnus* eſt cognominatus, nulli niſi Antipatro & Phocioni literis ſalutem dedit.

Demetrius præter ſe & Antigonum Patrem nec Regem nominâſſe quemquam nec ſalutâſſe dicitur.

Alexander faſtidio Philippi Iovem Hammonem patrem adſcivit. Tædio morum & cultus Macedonici, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit. Spreto mortali habitu, divinum caput æmulatus eſt. Nec fuit pudori Hominem ſe negare.

Cyrus Perſarum R. ab exteris Dei nomen ſibi adſcribi paſſus eſt.

Antiochus Syriæ R. divinos ſibi honores tribuit, & cognomento *Deus* dici voluit.

Domitianus Dei nomen ſibi arrogavit. *Sapor* Perſarum R. ad Conſtantium Imp. ſcribens, Solis atque Lunæ ſe Fratrem, & qui inter ſtellas partem haberet, nuncupavit.

Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerint, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis deſtincta ſint, niſi illis undique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur, niſi vitro abſconditur camera, niſi Thaſius lapis piſcinas noſtras circumdederit. *Seneca.*

Intereſt inter ſublimem animum & ſuperbum. *Idem.*

Tumidóque in pectore faſtus
Concipit.
Inani turgidus aulâ Deſipit.
Dum turget faſtu diſtenta ſuperbo.
Tacitis ſemper curis ſublimia ſecum
Mente agitat, tumidóque ſedet ſub corde venenum.
Quem rabies agitat ventoſo inflatior utre. Mantuani.
Elato ſuperans Salmonea faſtu. Claudian.
Neve tuam tangat veſana ſuperbia mentem. Bapt. Pius.

Superbiam ingenioſa inventione depingit *Mantuanus lib.*1. *Calam. Temp.*

somnum, immortalis & expers senii. Hinc adagium: *Endymionis somnium dormire.*

Poëtæ propterea somnum & soporem vocant Endymionæum.

Iubet *Plato* sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo & *Pythagoras* interdixit, ne faba vescerentur, quia is cibus habeat inflationem & insomnia gravia facit.

Socrates in somnis discipuli Platonis Eloquentiam atque philosophiam prævidit. Nam pridie, quam ad Socratem à patre Plato puer adduceretur, *visus sibi est è sinu suo videre candidum Cygnum egredi, qui aërem totum miris concentibus replebat.* Quod somnium, perspecto Platone puero, statim enarravit. *Vide Auguriorum.*

Æschylus Atheniensis, puer adhuc, dum uvas custodiret in agro dormiens Bacchum vidit hortantem, vt tragœdias scriberet. Cum primum illuxisset periclitans, quid in ea re posset, omnia minimo negotio consequutus est.

Ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.

Somnus est corporis salus.

Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?

Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Plutarchi hæc est sententia: Cum exiguum vitæ tempus datum sit hominibus, somnus, velut Publicanus, dimidium ejus aufert,

Canterino more adstans somniat. Plaut.

Dormiunt autem equi stantes plerumque. Magis tamen canterii, quod castrati sint.

Somnus dulcis abesto oculis. De iis, qui philosophari volunt.

Quos somnos somnias, hoc est, quas nugas blateras. Et sic sumitur somniare pro ineptire.

Olli dura quies oculos & ferreus urget Somnus.

Quod ex Homero sumptum, qui mortem somnum ferreum, *hoc est*, ὕπνον χάλκεον nominavit.

Seneca Tragicus. *Tuque ô domitor Somne laborum, requies*

requies animi, Pars humana melior vitæ. Frater dura languide mortis. Pater ô rerum, portus vitæ, Lucis requies, noctisque comes, qui par regi famuloque venis.

Somno opus. Somnus dolore nos liberat. pulchrè de his agit *Ioh. VVouerus*, in libello de umbrâ cap. XXIV.

De Somno & ejus generat. commodo,&c. Consule *Cap.2. Fatid. Parentis mei. lib.2.* Ibidem de Noctambulonibus.

Petrarcha. Erat aliquis, qui somniârat morderi se lethaliter à Leone marmoreo, quales in templorum vestibulis cerni solent. Die postero, cum templi fores casu præteriret, non sine risu somnium suum inter comites narravit & manu in os Leonis injecta *En*, inquit, *nocturnus hostis meus*, Scorpio vero qui in imis Leonis faucibus delitescebat, lethaliter hominem vulneravit. *Val. Max.*

Val. Max. cap. VII. lib. de somniis.

Carthaginensium Dux *Amilcar*, cum obsideret Syracusas, inter somnium audisse vocem credidit nunciantem, futurum ut proximo die in eâ urbe cœnaret. sed, vinctus intra mœnia illorum fuit protractus. Itaque magis spe, quàm somnio deceptus, cænavit Syracusis captivus, non ut animo præsumpserat, victor. *Val. Max. Ibid.*

Mirabile somnium *Antigoni* super Mithridate. visus videre noctu Antigonis, *sementem auream in magno campo se facere*, eam surgere, adolescere, & maturescere. Sed mox omnia demessa item videre, & culmos spicasque jacere inanes. vocem ad hæc audire: Mithridatem in Pontum Euxinum fugere, auream messem secum apportantem. Rex exterritus tollere Mithridatem statuit, & cum filio Demetrio communicat fidem silentii. sed familiaris Mithridati Demetrius, tacet; sed cum seduxisset illum, scribit in pulvere: Fuge Mithridates. Fugit in Cappadociam, & mox potens Ponti regnum condidit.

Nobile est, quod *Astyagi* ultimo Medorum Regi factum. Vidit per quietem *ex naturâ filiæ vitem enasci,* &

& sic mox diffundi, ut totam Asiam palmite suo obumbraret. Consulti vates ajunt, nasciturum ex filiâ, qui Asiæ regnum occupet, suo eum nudet. Tertius hoc filiam extero Cambysi despondet. eam partui vicinam ad se traducit, ut quod natum esset, se teste, necaretur. Traditur Harpago occidendus. hic veritus imperium ad filiam venturum, mortuo Astyage, puerum pastori dat alendum. Fortè uxor ejus peperat, quæ, re audita, puerum ad se deferri rogat. Maritus indulget, it in sylvam. repperit canem fœminam, quæ mammas præbebat. Crescit in virum, in Regem, qui Astyagen vicit, sceptrum ad Persas transtulit. *Lips. in Mon. Pol.*

SPEI. *Fiducia.*

SPes prorogatur in alium diem. Est mihi illic una spes cœnatica, si ea decollabit, redibo huc. *Plaut.*

Bonam spem ejurare. i. e. nullam spem reliquam habere. Mihi nulla spes in corde certa est.

Nescia spe sumus. Animus in spe atque timore attentus est.

Ego spem pretio non emam. Quicquid præter spem evenit, id omne deputare in lucro debemus.

Spem in manibus habere. Spem rei alicui præcidere. Ad spem Libertatis exarsimus.

Extenuari spem nostram & evanescere vidimus.

Nemo confidat nimium secundis, Nemo desperet meliora lapsus.

Animum inducere in spem. Iam spes melior vultum meum serenat. Bonæ spei plenum esse.

Quanta de spe decidi miser! Facula bonæ spei allucet.

Omnis nobis speratæ rei longa dilatio est. Ibo ad te fretus tua Fides fiducia.

Sperat quidem animus: quò eveniat, Diis in manu est.

Noli ad credulam spei perplexæ auram antennas solvere.

Qui

Qui nihil poteſt ſperare, deſperet nihil.

Thales ſciſcitans, quid maximè commune eſſet omnibus? Spes, reſpondit.

Socrates dixit; ſpem abſque labore nihil utile ponere.

Ελπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν.

Spes alit homines.

Cur deſperes fieri poſſe, quæ facta ſunt?

SPECTRORUM. Vide *Ominis, Somn. Auguriorum. Miracul. Vaticin.*

AT verò ſpectra etiam ſæpe & Genii, variâ ſpecie prædicunt. ut ille, qui *Dioni Syracuſio* apparuit. domi ſedebat, & clarâ luce habitu Furiæ mulier ſe obtulit, grandi ſtaturâ, horrendâ fœditate. Ea domum ſcopis cepit verrere, nihil aliud prolocuta. ipſum Dionem mox inſidiatores domi interfecerunt: uxore & ſorore ejus in carcerem abductis. Quid non egregiè domus hæc verſa, ſi non everſa fuiſſet, monſtro ſignificatum? *Lipſ. in Pol. Mon.*

M. Bruto ſimile etiam ſpectrum oblatum. Parabat trajicere ex Aſiâ exercitum in Europam, & funeſtos illos Philippos, ubi mox certatum. Nox alta erat, luna lucens, & Brutus aliquid ſerium animo volvebat. Cum, ecce, ſonus ſtrepituſque ad cubiculi januam, ingreditur vaſtâ formâ Æthiops ſævo & teriente adſpectu. atque is ſilentio ante Brutum conſtitit. qui animo & ore conſtans, interrogat: *Quis hominum deorumque es? qua res huc egit?* Reſponſum retulit: *Malus tuus Genius ſum, in campis Philippicis me videbis.* Iterum animosè Brutus: *Videbo.* Diſparuit. in ipſis campis comparuit; nocte, quæ ipſam pugnam anteceſſit: cum à bono Genio Brutus deſertus, malo ſuccubuit. atque adeo ipſe occubuit, & Romana cum ipſo libertas. *Ibidem.*

De Spectris vide E. Neuh. Cap. *Fatid. lib.* 2. 25, 26. 27. 28.

De

De Stratagematis consule *Val. Max. lib.* VII. *cap.* 4. Et *Schonborn.* in Polit. lib. 4. cap. 27.

STRATAGEMATUM. Vide *Insid. Doli. Belli. &c. Discord.*

Tiberius consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere malebat. Ideoque semina discordiarum jaciebat, præbendo Armeniam specie largitionis turbandis Barbarorum animis 6. & 12. *Annal.*

Neque aliud adversus validissimas gentes utilius, quàm si in commune non consulant, nec commune periculum concordiâ propulsent, & maneat illis si non amor nostri, certè odium sui. *Tac. de M. Ger.*

Inde *Drusus* haud leve decus quæsivit, iniiciens Germanos ad discordiam. Idque lætius Tiberio quàm si bellum per acies confecisset. 2. *Annal.*

Hostem adversum deprimere, homini strenuo haud difficile: occulta pericula neque vitare facile bonis in promptu est. *Sallust.*

STULTITIÆ. Vide *Nugarum. Ioci. Argutiarum.*

APud me succus ille mirificus, quo Memnonis filia Tithoni avi sui juventam prorogavit.

Ego sum Venus, cujus favore Phaon ille repubuit, ita, ut à Sapphone tantopere deamaretur. Meus iste fons, qui non solum revocat elapsam adolescentiam, sed perpetuam facit.

Cur semper Cupidò puer, nisi, quia nugator est? Cur aureæ Veneri semper vernat suâ formâ? quia mecum habet affinitatem.

Quos enim non præbet jocos, ficulnus ille Priapus? quos non ludos exhibet furtis ac præstigiis suis Mercurius? Tunc & Silenus ille senex amator τὸν κόρδακα saltare solitus.

Natura parens & humani generis opifex, illud cavit, ne usquam deesset stultitiæ condimentum.

Iupiter

Iupiter quanto plus indidit affectuum, quàm rationis! quasi semunciam compares ad assem.

Mox concilium dedi me dignum, nempu uti mulierem adjungeret: animal videlicet stultum quidem illud atque ineptum, verum ridiculum & suave, quo convictu domestico, virilis ingenii tristitiam suâ stultitiâ condiret atque edulcaret.

Papæ! quàm pauca coirent matrimonia, si sponsus prudenter exquireret, quos lusus delicata illa, sicuti videtur, ac prudens virguncula jam multò ante nuptias luserit?

Quid juventa, si senilis tristitiæ fermento corrumpatur?

Tolle hoc vitæ condimentum, & protinus frigebit cum suâ actione orator, nulli placebit cum suis numeris, Musicus, explodetur cum suâ gesticulatione histrio, ridebitur unà cum Musis Poëta, sordebit cum arte pictor. esuriet cum Pharmacis medicus. Postremò, pro Nireo Thersites, pro Phaone Nestor, pro Minervâ sus, pro facundo infans, pro urbano rusticus videberis.

Ad convivium adhibe sapientem, aut tristi silentio, aut molestis quæstiunculis obturbabit. ad chorum advoca. camelum saltare dices. ad publicos ludos trahe, ipso vultu populi voluptatibus obstabit, & cogetur è theatro migrare sapiens Cato, quandoquidem supercilium non potest ponere.

Quæ res plebem Romanam jam extrema molientem in concordiam civitatis revocavit? num oratio philosophica? minime. imò ridiculus ac puerilis apologus de ventre, reliquisque corporis membris confictis.

Videtis, quid futurum sit, si passim sapiant homines. nempe altero luto, altero figulo Prometheo opus fore.

Stulti vacant mortis metu, non mediocri, per Iovem, malo. vacant conscientiæ carnificinâ. non territantur manium fabulamentis. non expavescunt spectris ac lemuribus. non torquentur metu impendentium

tium malorum. in ſummâ, non dilacerantur millibus curarum, quibus hæc vita obnoxia.

Hic mihi jam expendas velim, ſtultiſſime ſapiens, quot undique ſollicitudinibus noctes dieſque diſcrucietur animus tuus. congeras in unum acervum univerſa vitæ tuæ incommoda, atque ita demum intelliges, quantis malis meos fatuos ſubduxerim.

Alioquin non dixiſſet Horatius: *An me ludit amabilis inſania?* Neque Plato Poëtarum, Vatum & amantium furorem inter præcipua vitæ bona collocaſſet: nec vates illa laborem Æneæ vocaſſet Inſanum.

Stultitiam ſimulare loco, prudentia prima eſt.

Haud ſciam, an ex univerſâ mortalium ſummâ quemquam liceat reperire, qui omnibus horis ſapiat quique non aliquo inſaniæ genere tenentur. Quippe, *ſemel inſanivimus omnes.*

Eſt autem illud longè ſuaviſſimum inſaniæ genus, quo nonnulli quicquid ulli ſuorum dotis adeſt, eo non aliter atque ſuo gloriantur.

Iucundam perſuaſionem induerunt, ut ſi ligneum aut pictum aliquem Polyphemum Chriſtophorum adſpexerit.

Aut, qui ſculptam Barbaram præſcriptis verbis ſalutarit. aut ſi quis Eraſmum certis diebus, certis cereolis certiſque preculis convenerit, brevi ſit dives evaſurus.

Omnium rerum primos ſe faciunt, quod digitos habeant auro revinctos.

Nonnulli domi divites haberi gaudent, domi graviter eſuriunt.

Eſt, qui Hyeroſolymam, Romam aut Divum Iacobum adeat, ubi nihil illi eſt negotii, domi relictis uxore, liberis.

In ſummâ, ſi mortalium innumerabilis tumultus è Lunâ, quemadmodum olim Menippus deſpicias, putes te Muſcarum aut culicum videre turbam inter ſe rixantium, bellantium, inſidiantium, laſcivientium, naſcentium, cadentium, morientium.

Hoc ſibi videtur Diis propior, quo caudam longiorem

giorem trahit, dum procerum alius alium cubito protrudit, quo Iovi vicinior esse videatur. Dum sibi quisque hoc magis placet, quo graviorem catenam collo bajulat; ut robur etiam, non opes tantum ostentet.

Hæc superiora loquitur diversis locis Moria Erasmiana.

De vafrè dictis aut factis, lege *Val. Max. cap. 3. lib. 7.*

Stultos omnes insanire docet *Horatius lib. Serm. 2. Sat. 3.*

In eo ipso stas lapide, in quo præco prædicat. Quadrabit in eum, qui præsens videnſque deluditur. Plaut. ô Stulte, nescis nunc vænire te ea atque in eo adstas lapide, &c. Præcones Romæ in lapide editiore stabant: unde in auctionibus res venales nunciabant. Quare Cicero vilissimos homines *de lapide emptos* dixit. Ex Venalium abstracti grege, &c.

SYLVÆ. Vide *Venat. Canum. Hort.*

S*ylva cadua*, quæ habetur in usum materiæ, quemadmodum Græci ὕλην sumunt pro sylva, h. e. materiâ.

Lucus non est cæduus, sed manu consitus, religiosus. vel hominis alicujus funeri dedicatus, circa delubra vel sepulchra.

Saltus est sylva in viâ, ubi pasci vel æstivare pecudes solent.

Nemora sunt amœnitatis causâ comparata.

Venator, tenet ora levis clamosa molossi.
Spartanos Cretasque ligat, nec creditur ulli
Sylva canis, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & prædâ nescit latrare repertâ.
Contentus tremulo monstrasse cubilia rostro. Lucanus.
Ceu pernix cum densa vagus latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Umber
Nave sagax è calle feras, perterrita latè
Agmina præcipitant volucres formidine cervi. Silius.
Capioque novi spectacula cursus,

Quo

Quo modò deprendi, modò se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est, nec limite callida recto.
In spatiumque fugit, sed decipit ora sequentis. Ovidius.
Namque procul Libycos venatu cingere saltus.
Et juga rimari canibus Getula videbar. Claudianus.
Nexilibusque plagis sylvas Erymanthidos ambit.
Montibus errabat studiis operata Diana. Ovid.

STATURÆ.

STatura esse procera, gigantea, inusitata, immensa, prodigiosa. Statura esse depressa, debiliore, humili, despecta.

Toto me capite superat, exstat. Quantæ è quantillis sunt factæ! Thracæ sunt columnæ, propter staturam eminentem.

Homo minutus, quem vel una manu tollas, & ubi vis colloces.

Sesquipede quidem est, quàm tu longior.
Ingentes animos in parvo corpore versant.
Ingenio forma damna rependo mea.
Non est in toto corpore mica salis.
Si brevis es sedeas, ne stans videare sedere.

De Statura monstrosa & prodigiis hominum lege Fatidica *Edonis Neuhusii*. P. Lib. 2. cap. 12. & cap. XVI. *De Pygmais* & *Pumilionibus*.
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior una. Iuvenal. Sat. 13.

STUDIORUM. *Liberalium Artium.*
Vide *Eloq. Doctrina. Artium.*

APplicare se ad studia. Animum ad studia adjungere. A studiis aliquem removere, deterrere.

Principem esse primarum artium. Mirificè studiis esse deditum. Me ad pristina studia revocavi.

Studio Literarum se dedere. Studiis innutriri. Honestissimis artibus erudiri.

Ætatem juvenilem diligentia & disciplina munire.

Studia accuratius tractare, nec de manibus unquam deponere.

Totum in literas se abdere. Præsidiis Philosophiæ septus sum.

Antiqua Philosophia sensit in una Virtute esse positam vitam beatam.

Ponere multum operæ in studiis. Mancipare se politiori Literaturæ. Haud possem vivere, nisi in Literis viverem.

Affectare laudem sedulitatis. Sapientiæ artibus esse cultum. Iugiter libris invigilare. Mei voti caput est, supra annos tuos Literarum dote ditescas.

Bonæ artes stimulo præmiorum felicius incitantur.

Fungitur militia in scriniis Literarum. In domo Latialis facundiæ otio & studio torpeo.

Haud quisquam ita nitet in Literis, ut comparatus tibi non sordeat.

Quid enim aliud es, quàm ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? In ore tuo vernat Cæcropia Musa. Mihi Lingua Latialis est.

Ego illi in studiis commilitavi. Ille rem, non specimen in doctrina habet. Inter plures non libentius solum, sed plus etiam discimus.

Stulte, ait *Imp. Sigismundus*, qui literis militiam præfers: nam ego equites mille uno die fecerim, Doctorem unum mille annis non fecerim.

De Ratione & methodo studiorum lege quoque *C. Barlæum* in orationibus ubi informat Ducem *Lunaburgicum* & *Magapolensem*.

De brevi methodo studiorum legatur quoque *Emundus Richerius* cap. IV. Sect. 8.

Omnis αἰσχρολογία καὶ αἰσχροφιλία à Scholis arcenda. Quod pulchrè describit *Emundus Richerius* cap. 5. Sect. 4.

Libri convenientes Pueris adsignantur cap. VI. Sect. 4. apud *Eundem*.

Periculosum est vehiculum Musarum insulso committere Phaëtonti.

Vix

Vix mihi à risu possum temperare, quoties de viris doctissimis cogito: qui liberos suos, ante jurisconsultos, quàm Grammaticos, ante sapientes, quàm eloquentes, ante patronos, quàm disertos; ante doctos, quàm ullius doctrinæ aut eruditionis capaces, nituntur efficere.

Emundus Richerius in obstetrice animorum. qui verè aureus libellus. agit de expedita ratione Docendi, Discendi, studendi, &c. Qui cum parum inter manus, fiat, dabo typographo proximè consilium de novâ Editione.

Ibidem Cap.3. agit de tritâ quæstione: An Pueri melius domi à Pædagogo, an rectius à Præceptoribus in Scholis instituantur.

Pulchrè de hoc *Fabius*: Sicut sol eundem calorem & lumen uno & eodem puncto temporis, omnibus largitur. pari modo præceptores, docendo publicè, universis & singulis se æqualiter commodant. In collegiis omnibus feritur & metitur. *Gaude quod spectent oculi te mille loquentem.*

SUPERBIA. *Arrogantia.* Vide *Ambitionis.*

VT magnifice infert sese! Vt fastidit gloriosus! Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

Est genus hominum, qui esse primos se rerum omnium volunt, nec sunt.

Quia paullum vobis pecuniæ accessit, sublati animi sunt.

Neque pugnas narrat, neque cicatrices ostendit. Sed quis hic ansatus ambulat? *hoc est*, brachiis subnixis, instar ansarum extantibus.

Vt vir subnixis alis se infert. Campano supercilio ac regio spiritu aliquem ridere.

Non tam insolens sum ut Iovem me esse dicam. Repente te tanquam serpens è latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.

Digito

Digito se cælum attingere putat. Quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius.

Statum hominis vide Basilicum. Ecce, basilicè ornatus, ut incedit. Homo supra humanæ superbiæ mensuram tumens.

Nutus omnes veluti pumice expolire, quid hoc supro simias, quas etiam longæ Doctrinæ institutio bipedes facit? Regiæ potentiæ ministros recreat longum superbiæ suæ spectaculum.

Apprime id in hominis vita utile, ut ne quid nimis.

Campana Superbia. Livius dixit Campanis esse ingentem superbiam. Aulus Gellius Nevinum Epitaphium ait esse plenum Campanæ superbiæ. Sic olim omnem perfidiam Punicam dixere, ut & ferociam cujuslibet Campanam. At jam Campania multum de pristino splendore remisit, adeo ut iter per illam facientes nusquam per omnes terras guttam vini Faterni, Caleni, Setini, Secubi, &c. inveniant.

Ne mihi Suffenus esset. Suffenus Poëta erat longè ineptissimus; in aliorum vitia dicax, ad sua cæcus. Qui sibi inaniter igitur placent *Suffeni* dicuntur.

Iovis Sandalium. qui propter Principis familiaritatem magnos sibi spiritus sumunt. sic imperatoris satellitem, regium coquum, aut Pontificium tonsorem egregiè *Iovis sandalium* vocamus.

Hîc Rhodus, hîc saltus, In illos dicitur, qui de negotio aliquo insolenter sese jactant, cujus fides non extat. Ex Apologo desumptum. Cum adolescens aliquando gloriaretur, quod admirabiles fecisset Rhodi saltus. quidam ex auditoribus interpellato ejus sermone: Ἰδοῦ ἡ ῥόδος, ἰδοῦ πήδημα. quasi diceret: age sic côram, nobis testibus absque gloriosâ jactatione. Ovid. in XIII. Metamorph. lib. *sua narret Vlysses, quæ sine teste gerit.*

Sic Dii spreti excandescunt, sic humana consilia castigantur, ubi se cælestibus præferunt. *Val. Max.*

Avaritia & Arrogantia sunt præcipua validiorum vitia. *Tac. I. Hist.*

Et Plerunque

Plerunque hominibus nimiâ pertinaciâ atque arrogantiâ accidere solet, uti eò recurrant, & id cupidissimè petant, quod paullò ante contempserunt. *Cæsar. lib. 1. de bello civili.*

Ultra peram sapit: de Philosopho, aut paupere dicitur.

Cum his cænare non sustinet, & majestatis suæ diminutionem putat, ad eandem mensam cum servo suo accedere. *Seneca.*

De peste studiorum *Philautiâ* pulchrè agit *Emundus Richerius* cap. 3. sect. 3.

De cæco amore sui lege *Pontani* Progymnasma LIV. lib. 2.

Tanquam Argivum clypeum sustulerit, ita gloriatur.

Heraclides Phil. Pontius Draconem aluit, quem feretro suo post mortem imponi jussit, ut ex hoc putaretur ad Deos remigrâsse.

Alexander superato Dario & Persarum Regno in suam potestatem redacto, prospera fortuna elatus, Græcis scripsit, ut se facerent Deum. Lacedæmonii decretum fecerunt ejusmodi: *Quoniam Alexander Deus esse vult, esto Deus.*

Iulianus Imp. Apostata cum lethali vulnere percussus, consilio cum Sacerdotibus inito, se clam in fluvium præcipitari voluit, ut divinitus raptus videretur.

Caligula sibi ipsi divinos honores adscripsit, & domum in Capitolio ædificandam voluit, quo posset, sicut dicebat, una cum Iove habitare.

Polydamas Athleta eâ fuit animi confidentia & temeritate, ut ruina scopuli, quam prævidebat, casurum exspectaverit.

Aristippus cum aliquando Dionysium interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret, prostratus cepit amplecti pedes regis, & impetravit. Id factum cum quidam abjectius reprehenderent. Non ego, inquit, sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus.

Alexan-

Alexander Macedo, postquam, profligato Dario, *Magnus* est cognominatus, nulli nisi Antipatro & Phocioni literis salutem dedit.

Demetrius præter se & Antigonum Patrem nec Regem nominâsse quemquam nec salutâsse dicitur.

Alexander fastidio Philippi Iovem Hammonem patrem adscivit. Tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit. Spreto mortali habitu, divinum caput æmulatus est. Nec fuit pudori Hominem se negare.

Cyrus Persarum R. ab exteris Dei nomen sibi adscribi passus est.

Antiochus Syriæ R. divinos sibi honores tribuit, & cognomento *Deus* dici voluit.

Domitianus Dei nomen sibi arrogavit. *Sapor* Persarum R. ad Constantium Imp. scribens, Solis atque Lunæ se Fratrem, & qui inter stellas partem haberet, nuncupavit.

Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis destincta sint, nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur, nisi vitro absconditur camera, nisi Thasius lapis piscinas nostras circumdederit. *Seneca.*

Interest inter sublimem animum & superbum. *Idem.*

Tumidoque in pectore fastus
Concipit.
Inani turgidus aulâ Desipit.
Dum turget fastu distenta superbo.
Tacitis semper curis sublimia secum
Mente agitat, tumidoque sedet sub corde venenum.
Quem rabies agitat ventoso inflatior utre. Mantuani.
Elato superans Salmonea fastu. Claudian.
Neve tuam tangat vesana superbia mentem. Bapt. Pius.

Superbiam ingeniosa inventione depingit *Mantuanus lib.* I. *Calam. Temp.*

I. Cæsar, ille animi & ingenii magnus impingit: & omnium victór, adulationi ſuccumbit. voces emittit: *Debere jam homines conſideratius ſecum loqui, ac pro legibus habere, quæ dicat.*

Salmoneus alter. ſupra modum qui ſuperbus, hic Iovis æmulus, qui curruum rotas æreis canthis (ferrum, quo rotæ extremitates vinciuntur) obmunitas, ſuper pontem æneum agitavit. ad imitanda vera tonitrua. & immiſſis in homines facibus, neci eos dedit.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis & ſonitus imitatur Olympi. Virg. VI. Æneid.

In Phaëtontem.

Quid Phaëtontæis petimus ſublimia pennis,
Tentamuſque Deûm ſacra per arva domos?
Vna dies Puero patrias ſuffecit in artes,
Vna dies ſpolium de Phaëtonte tulit.
Hoc docet exemplo Phaëton, quod inutile multis
Supra fortunam ſe exſeruiſſe ſuam.
Nec nimium vitæ faſtum capiamus & auras:
Nam capiunt magnos grandia vela notos.
Diſcamus ſortem: quam cuivis Fata dedêre
Sitque nefas hominem ſollicitare deos.

Superbiæ Exempla habes in *Val. Max.* cap. V. l. IX. Et *Goulartii* vide Hiſt. Philoſoph. hoc Tit.

SUSPICIONIS.

IN ſuſpicione ſtupri poſitus eſt. Suſpiciones omnes abs ſe ſegregare.

Quî iſthæc tibi incidit ſuſpicio. Aliquem ſuſpicione exſolvere.

Abi hinc in malam crucem cum iſthac ſuſpicione ſcelus. Opinionem hanc tuam amotam eſſe volo.

Subeſt ſuſpicio. Delere ex animo ſuſpicionem. Dare locum ſuſpicioni. Vocare aliquem in ſuſpicionem.

Nullus

Nullus verior æstimator est alieni amoris, quàm qui de suo sumit exemplum.

Omnes bonos accurare decet suspicionem, & culpam ut ab se segregent.

Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori: suspicio est in pectore alieno sita.

Omnes, quibus sunt res minus secundæ, magis sunt, nescio quomodò, suspiciosi.

SUDORIS. Vide *Laboris.*

COr mihi adsudascit ex metu. Omnes mihi artus sudore manant. Sudore diffluere. Sudorem exfricare.

Sume laciniam atque absterge sudorem tibi. Lacinia est ima pars vestimenti.

Gelidus toto manabat corpore sudor. Tum toto corpore sudor Liquitur.

Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus. Fumant sudoribus artus.

SUPERSTITIONIS. Vide *Relig. Piet. Dei, &c. Monachorum.*

REligio laudabilis: sed sita velut inter duos scopulos, Superstitionem & impietatem.

Alexander Magnus, ait Plut. ita animi & corporis jam æger se gessit, ut nihil esset tam parvum aut absurdum, si modò insolitum, quod in prodigium aut omen non verteret. Itaq; sacrificantium, lustrantium, divinantium regia erat plena. *Lips. in Mon. Pol. lib.* I.

Ludovicus X. Gall. Rex. valetudine jam inclinante Medicis blanditur, & auri montes promittit aut donat. deinde & sanctos viros evocat, & è sylvis educit, quibus vitam suam non emendandam, sed propagandam commendat. tanto interea metu, ut in arce munitâ, & fenestris ipsis atque omni aditu clathris ferreis obstructo, se includeret: id est : quid nisi in spontaneum carcerem daret. ô miser! hoc assiduè times, quod semel faciendum est. Pietatem assume.

superstitionem omitte. Mors tua vita erit, & quidem beata & æterna. *Lipſ. in Monit. & Exempl. Pol. cap.* 11. *lib.* 1.

Numa Romam superstitionibus replevit, & populo deorum metum injecit. *Ibid.*

Vnus aliquis concionator ſanctimoniæ famâ ut telo armatus & eloquentiâ aliquâ ornatus, quid non patrat? *Ibid.*

A Principe removenda Superstitio; imò nimia Pietas. *Ibid.*

Nizephorus: *Qui in unâ Dei contemplatione mentem defixam habet, ei montes & speluncas habitare convenit.* Ibid. Munus enim Principis intueor, quod à divinis ad humana etiam vocat.

Ægyptii neque ad homines, aut ad mortuos modò Deorum cultum, Isim, Anubim, Serapim; sed ad bestias, easque vilissimas transtulerunt, canes, Ichneumones, feles, Accipitres, lupos, Ibides, Crocodilos. *Ibid.*

O amentiam! his cibos dare, his agros & vectigalia è publico assignare. horum in signis imagines præferre. his denique defunctis cum planctu funus, & sumptuum monumenta facere. Ex his siquis sciens aliquod interfecisset, interficiebatur. *Ibid.*

Erant & Romani in turbâ. Atque inter eos, miles casu felem occidit. Clamor, ira, tumultus. non inscitia miseri, non Romani nominis reverentia, non imperium Regis, qui purpuratorum præcipuos miserat, ad sedandum & deprecandum. nihil horum juvit, quin ille statim millenis manibus discerperetur. sic ut nec funeri aut rogo quicquam superesset. Rabies & furor est, cum superstitio pectora invasit. *Ibid.*

Ægyptum aliquando fames invasit, sic ut alimenta deessent. Quid factum? versi sunt ad humanas carnes, & pepercerunt dictis bestiis. Pepercerunt? imò & aluerunt, neque ambiguum, quin & humanâ carne. *Ibid.*

Qui

Qui Deiparæ Virgini cereolum affigunt, idque in meridie, cum nihil est opus.

Nec mille Democriti ad tantos risus suffecerint. *Eras. in Moria.*

De superstitione consule Fatidica *E. Neub. cap.* 3. *lib.* 3.

Ad sinistri fulminis ictum Quiritium comitia solvebantur. ad garritus pastumve avium inauspicatos magistratus vitio creati abrogabantur. *Tonante cœlo*, tanquam si cœlesti clamore Juppiter vetaret, legum edicta solvebantur. Audito *militis sternutamento* pugnam Imperator detrectabat. Si sorex cantillaret; si grillus obstreperet; si viam serpens obsideret; si aures tinnirent, &c. *Ibid.*

Pericles, exanimatis ictu fulminis militibus, advocatâ concione, *duo in omnium conspectu saxa collisit*, excussoque igne, ut lapidum, ita nubium attritu fulminum ignes excitari docuit, tumultumque composuit.

Ita *Agathocles* cum Pœnis classe congressurus, consternatis ad defectum solis militibus; ad naturam rerum, non ad prælii conferendi fortunam pertinere hoc prodigium significavit. *Vide plura Ibidem.*

Inferorum Triacadas. Dicitur in homine nimiò curiosos, qui secreta rerum pervestigant. Triacadas vocant tricesimum cujusque mensis diem: quem nos pridianam Kalendarum facimus. Stultissimæ curiositatis est, laboriosè inquirere, quas Kalendas, quasve triacadas habeant inferi.

Superstitiosi dicuntur, qui nimis anxiâ curâ omnia à Numine & pro numine metuunt. Qui quidlibet comminiscuntur ad placandum Numen, quod semper sibi iratum putant. Hinc fit, quod semper conjunctæ sint, Superstitio & Idololatria.

Lipsius fugiendam Principibus Superstitionem judicat. Quia illorum altus & erectus debet esse animus. Nam Superstitio & aniles persuasiunculæ, ut Lucretius ait, *faciunt animos humiles formidine Divum, Depressosque premunt ad terram.*

Seneca dixit: Superstitio error insanus est, amandos timet; quos colit, violat.

Sæva, impotens, mutabilis multitudo, ubi vana religione capta est, melius vatibus, quàm ducibus suis paret. *Curtius.*

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hac, illa pavet saturam serpentibus Ibim.
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.
Illic cæruleos, heic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina: &c. Iuvenal. Sat. XV.

De Superstitione mirâ hominum Vide Doctiss. *Camerar. Cent.* 2. *cap.* XI.

Solebant hostes, urbibus captis, in focos ædium inprimis sævire, eosque effodere. ac aras, quæ in iis sacræ Diis Penatibus, evertere. Videlicet, ne loca illa Dii rursus occuparent & tutelam pristinam reciperent. Hinc crebrum Romanis: *Pro Aris ac focis dimicare.*

T.

TACENDI. Vide *Lingua. Silentii. Garruli.*

Facere silentium alicui rei. Ego tibi scelestam hanc constringam linguam.

Os opprime. Tacito opus est. Silentium date. Tale verbum faxis cave. Os alicui obturare.

Nihil jam mutire audeo. Tu hoc tecum clanculum habe. Abstine jam sermonem de istis rebus.

Tu tacitus taceas, tute tecum gaudeas. Verbum unum cave de Nuptiis.

Paulisper sermonis mei munus apud te intepuit. Diu inter nos stilus quievit.

Canis timidus latrat vehementius quàm mordet.

Altissima

Altissima quæque flumina minimo labuntur sono. Hoc tecum tacitum habeto.

Exigua est virtus præstare silentia rebus;
At contrà gravis est culpa tacenda loqui.

Quod tacitum habere vis nemini dixeris.

Tace atque parce muliebri suppellectili, *hoc est*, immodesto clamori.

Tacita magis bona est mulier semper, quam loquens.

Taciturnior Scaphâ. Dicitur in eos, qui ob animum degenerem silent.

Taire, faire sont requis par mer & par terre.

Taciturnitas optimum & tutissimum administrandarum rerum vinculum.

Nec ulla res magna sustineri potest ab eo, cui tacere grave est.

Zeno dicere solebat; satius esse labi pedibus, quam lingua.

Chilo Lacedæmonius sapiens dicebat, non committendum, ut lingua præcurreret animum: admonens prius cogitandum quid loquaris, quàm lingua prorumpat in verba.

Cum in loco, multis loquentibus, *Solon* non loqueretur, interrogatus à Periandro, *utrum propter verborum inopiam, an quia stultus esset, taceret?* ait: Nemo stultus tacere potest.

Persæ nihil fide sanctius, nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius esse putarunt.

Diogenes ad quendam, qui se philosophum profitebatur, interrogabat verè contentiosè: Vale miser dixit, cum id, quod optimum in vita philosophi, corrumpas. Verbis tamen te philosophum jactare audes.

Seneca: nihil æquè proderit, quàm quiescere & minimum cum aliis loqui: plurimum secum.

Idem. In hoc incumbe, ut libentius audias, quàm loquaris; quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus libentius quàm lingua utere. Quicquid dicturus es, ante quàm aliis, tibi dixeris.

Οἱ δ᾽ ἐν σιωπῆς ἐστι χρηστιμώτερον. Nulla res utilior silentio.

Chilon rogatus, quid esset difficile? Arcanum, inquit, silere.

Demosthenes, cum adolescens quidam inter pocula multas nugas effutiret, & tacere nollet: *Adolescens*, dixit, *quomodo non didicisti tacere ab illo, à quo didicisti loqui?*

Medicorum taciturnitatem jurejurando adstringit Hippocrates: ne ea, quæ celanda sunt ægrotorum vitia, quæ fidei concredita, effutiant.

Cuidam exprobrabatur graveolentia oris: *Multa nimirum*, inquit, *in illo occulta computruerunt*. Significans illum arcanorum esse tenacissimum.

Silentium; tametsi non semper à prudentiâ nascitur, tamen gravitatis ac sapientiæ specimen habet.

Horum oratio similis est aureo numismati, quod cùm minimum habet magnitudinis ac ponderis, tamen valet plurimum. *Eras.*

Docent Physici ferè steriles esse, quibus genitale semen profluit, quem morbum *gonorrhœam* appellant Medici. nec minus sterilis est illorum oratio, qui morbo loquuntur, nec tacere possunt etiamsi velint. *Eras.*

Observatum est à doctis, pueros, qui serius incipiunt fari, evadere linguâ firmiore. *Idem.*

Herbæ, quæ subitò grandescunt, minus habent vigoris. naturâ taciturnior erat Horatius. verum is nobis adhuc loquitur.

Zeno Philosophus omnium nihil dicebat, cum Athenis quidam regios oratores accepturus, curavit & Philosophos aliquot invitari. Legati ad Zenonem: Quid nunciaturi Regi de te? *Nihil*, inquit, *aliud, quam Athenis esse senem, qui inter pocula possit silere.* Eras. in Linguâ.

Demaratus Laced. R. in consessu quodam silens, rogatus, an ob stultitiam, an ob sermonis inopiam sileret. *Atqui*, inquit, *stultus tacere non potest.*

Bias dixit: quis naturâ fatuis inter vina silere potest? *Idem Ibidem.*

TACITURNITAS.

Vis tutus vitamque procul traducere curis?
Appone ad linguam ferrea claustra tuam.
Sæpe nocet fidum verbis punxisse sodalem,
Et non custodem ritè fuisse sui.
Est virtus, arcana animi non credere cuiquam,
Et premere inferius, quod tacitum esse cupis.
Plus peccas, qui dente truci proscindis inermem,
Quàm si me stricto cominus ense petas.
Vulneris ac ratio minor est, cum corpora lædis:
Consolidat famæ vulnera nulla manus.

TEMPESTASTIS. Vide *Navigandi. Fulminis. Fluminis. Serenitatis. Aquarum. Maris.*

Video me ad saxa ferri sævis fluctibus. Magnus est æstus maris. Mare spumat, fervet, intonat, murmurat, tempestates subitò coortæ sunt.

Furiis ventorum agitari. Pelagi rabiem experiri. Gravi tempestate vela dare.

Variis tempestatibus conflictari. Festino enim, quia ut cogi nubes has video, brevi dabunt tempestatem.

Atque utinam post hos nimbos lux & sol aliquis tranquillitatis, in quo apricari liberè nobis liceat.

Late nunc & quiesce, donec desæviit hæc tempestas. Ad intimam usque tunicam permadeo ex pluvia.

Imber cadit improbior & guttæ pleniores. Cuncta vides cælo constare sereno.

Iam sudum est. Serenus est dies. Limpidus & liquidus aër. Magna est aëris serenitas.

Solem leviores nebulæ temperabant, ac ventus præterea mediocri susurro delectabat euntes, & extremis alis afflabat.

Procella est vis ventorum cum pluvia, dicta procella, quod omnia percellat.

Halcyone Æoli Ventorum Regis Filia, uxor Ceycis, quæ præ dolore, quem ex naufragio & morte mariti susceperat, mutata est in avem Halcyonem. Ita enim Æolus Filiam suam amat, ut ventos habeat inclusos, quando Filia sua parit ova.

Alcedines sunt quædam aves, quæ frigidis temporibus in mari pariunt. dicta est alcedo à Græco ἀλκυόνη, vel ἀλκυών, ὄνομα, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν; ab eo quod in mari fœtus excludat. Vbi undosum fuerit mare, subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, & placidum ventis stat mare, donec ova sua fovet alcyone. Septem dies fœtus sunt, quibus decursis educit pullos, & septem dies illos nutrit. Tantum beneficium hæc avicula sibi divinitus habet datum, ut hos 14. dies nautæ serenitatem exspectent: quos & Halcyonidas vocant. *Plautus*: Halcyonia sunt circa forum & tranquillum est.

De *Tempestatibus prodigiosis* Consule Fatidica *Edonis Neuhusii* P. Cap. VIII. Libr. 2.

Temperie cœli corpusque animusque juvatur.
Stridens Aquilone procella.
Horrida tempestas cœlum contraxit & imbres.
Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem Hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Continuò venti volvunt mare, magnaque surgunt
Æquora, dispersi jactamur gurgite vasto,
Involvêre diem nimbi, & nox humida cœlum
Abstulit, Ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu & cæcis erramus in undis.
Eripiunt subitò nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis, Ponto nox incubat atra.
Intonuêre poli & crebris micat ignibus æther,
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Talia jactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Hi

Hi ſommo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit aſtus arenis.
In nubem cogitur aër. Aſpera creſcit hyems, omnique à
parte feroces Bella gerunt venti.
Fluctibus erigitur cælumque aquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes.
Fulmineis ardeſcunt ignibus undæ. Pars maris intus
erat. Spoliis animoſa ſuperbit unda.
Me miſerum quanti montes volvuntur aquarum:
Iam jam tacturos ſidera ſumma putes.
Quanta diducto ſubſidunt æquore valles, Iam jam ta-
cturas Tartara nigra putes.
Inter utrumque, fremunt immani murmure Venti:
Neſcit cui Domino pareat unda maris.
Rector in incerto eſt, nec quid faciatve petatve
Invenit, ambiguis ars ſtupet ipſa malis.
Dumque loquor vultus obruit unda meos.
Heî mihi quam celeri micuerunt nubila flammæ;
Quantus ab æthero perſonat axe fragor.
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quàm grave baliſtæ mœnia pulſat onus.
Me miſerum! quantis nigreſcunt æthera ventis.
Erutaque ex imis fervet arena vadis.
Pictos verberat unda Deos.
Strident Aquilone rudentes.
Ipſe gubernator tendens ad ſidera palmas,
Expoſcit votis immemor artis opem.

Emicabant denſis undique nubibus fulmina. & terribili ſquallore horridæ tempeſtates abſconderant diem, imbres undique & omnia procellis ſævientia. Intumuerat ſubitis tempeſtatibus mare, juſtis quoque navigiis horrendum. *Seneca.*

Iacebat navigium vetus & attritum, vix unius capax animæ. *Idem.*

Procellæ ſpumante impetu latera navigii urgent. *Idem.*

Subitò fluctibus inhorruit mare ac diſcordes in perniciem noſtram flavere venti. *Idem.*

HORA-

HORATIANA.

Solvitur acris hyems gratâ vice Veris & Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas.
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igne,
Nec prata canis albicant pruinis.
Albus ut obscuro deterget nubila cælo
Sæpe notus, neque parturit imbres perpetuos.
Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte. nec jam sustineant onus
Sylvæ laborantes; geluque flumine
Constiterint acuto.
O navis referant in mare te novi
Fluctus. &c. legatur tota Oda allegorica.
Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros. &c.
Sæpius ventis agitatur ingens pyrus, & celsæ graviore casu
Decidunt turres. Feriuntque summos
Fulmina montes.
Non verberata grandine vineæ.
Nec sævus Arcturi cadentis impetus aut orientis Hœdi.
Namque Diespiter
Igni corusco nubila Dividens,
Plerunque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.
Libens
Insanientem navita Bosphorum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrii viator.
Post insana capræ sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrymis agit.
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra situm tecta remugiat
Ventis? & positas ut glaciet nives
Puro Numine Iupiter?

Sed

Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion?
Sentiant motus orientis Hœdi, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.
Impellunt animæ lintea Thraciæ.
Vt horridis utrumque verberes latus
Auster memento fluctibus
Niger rudentes Eurus, inverso mari
- Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes, ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit.

Quibus si adjunxeris Virgilianas & Nasonis procellas immane quantum! bacchaberis in tuo mari! Vide Titulum *Hyemis*.

TERRÆ. Vide *Aquarum. Aëris. Ignis.*

COllecto in unum locum revinctoq; suos intra carceres Mari, emersit ex palustri lutamento stetitque in propatulo *Arida*, quam Deus suo stabilitam verbo Terram nominavit.

Noli mihi hîc pulvereos ingerere atomos *Democrite*; ex quorum fortuito congestu vasta terræ machina, coaluerit. Apage te, impure divinorum operum, cum fece spumaque ac sedimento tuo, quæ mare in montium, rupium, camporum atque arvorum extructionem regurgitant.

Taceatur *Chymicorum* coagulatio, quasi terra ad Philosphici lapidis modũ sit conformata; cujus prima materia mera est aqua, quæ primò densatur & constringitur, donec liquor omnis in aridum convertatur.

Homeri quidem de Equorum solis stercore fabulatio debet, ex quo ille congestas eductasque in mari Insulas Poëticâ licentiâ fingit. *Vide Fatid. lib.* III.*cap.* I. *Neuhusii.*

Ibidem

Ibidem de Terræ partitione, &c. Stirpium descriptione elegantissimâ.

Terra motus Exempla lib. 2. Fatid. *Parentis* p. m. pag. 167.

Non aliter quam cum magno irritata vaporum,
Terra paroxysmo labat; & quatit alta domorum
Fundamenta. Mantuan.
Telluris inanes
Concussisse sinus quærentem erumpere ventum.
Horrida latè
Scinditur in rimas, & hiatu rupta fatiscit
Tellus.
Immugit penitus convulsis ima cavernis
Dissiliens tellus. Silius.
Atque umbras latè stygias immensa vorago
Faucibus, ostendit patulis, maneque profundi
Antiquum expavere diem. Idem.
Ecce repens mugire fragor, confligere turres.
Pronaque vibratis radicibus oppida verti. Claudianus.

Terra quare immobilis. *Macrob. lib.* I. *cap.* XXII. *& lib.* 2. *cap.* VI.

TERRA est elementum siccissimum, frigidum, eoque densum, solidum & gravissimum. *Arist. lib.* 2. *de gen. cap.* 2.

Terramotus est agitatio & concussio terræ, orta ex conflictu & pulsu spirituum & ventorum cavitatibus terræ inclusorum, ex obstructis meatibus & poris vi erumpere pugnantium. *Arist.* 2. *Meteor.* 7. Vide *Magiri Phys. cap.* X. *lib.* 4.

Ex diversitate agitationis multa discrimina terræ motuum ponuntur. Aristoteles duos ponit, *Tremorem* & *Pulsum.*

Tremor est agitatio terræ in latera, navigii more: unde ruina existit ædificiorum.

Pulsus est, quo ex imo terra concutitur & sursum deorsumque jactatur, spiritu recta ascendere conante.

De Signis Terræ motus Præcedentibus & subsequentibus lege *Magirum cap.* X. *lib.* IV.

THEA-

THEATRI. AMPHITHEATRI. Vide *Ludorum.*

LIpsius in libro de Amphitheatris. ubi de Diis: quibus Amphitheatra sacra. De *Origine* Amphitheatrorum. De Eorum amplitudine. De *Specubus.* de *Cloacis. Caveis.* De *Podio.* De vario arenæ ornatu. De *Gradibus.* De *Viis.* De *Cathedrâ.* De *Cuneis.* De *Porticibus.* De *Spoliario.* De *Pegmatis.* De *Pilleo* & *Vmbellâ.* De *Fistulis* Amphitheatralibus.

Hæc in compendio habes *in Româ illustratâ.* Libro toto.

Theatrum est ædificium in hemicycli speciem factum ad videnda spectacula idoneum. ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι à spectando.

Ludi quoque semina præbent
Nequitiæ tolli tota theatra jube.
Tollatur circus. Nam tuta licentia circi,
Hic sedet ignota juncta puella viro.
Cum quædam spatientur in hac, ut amator eodem
Conveniat, quare porticus ulla patet?
Quis locus est templis augustior? hac quoque vitet
In culpam si qua est ingeniosa suam. Ovid. lib. 2. Trist.

TEMPERANTIÆ. *Intemperantia.* Vide *Ablig. Volupt. Sobrietatis.* *Bib. Pars.*

SOcrates per omnem suam ætatem continentissimè vixit. Et cum Atheniensium cives subinde graviter laborarent adversa valetudine, ipse unus ex omnibus ab initio nunquam ægrotavit.

Lacedæmonii hanc legem habebant, ut nemo mollitiem aliquam præ se ferret, aut habitior esset, quàm exercitiis conveniret.

Ephori curam gesserunt, ut quotidie inspectiones obirent vestimentorum, si quid in illis forte à decenti ornatu alienum invenirent.

Lacedæmone quoque, coquos non esse licebat, quàm carnis

carnis duntaxat. Qui præter hanc artem novisset, ejiciebatur Sparta.

Pythagoras olusculis vescebatur: potum ei fons vivus subministravit.

Diogenes pane & oleribus contentus, pallio duntaxat at uno usus, cætera nudus; humi jacens somnum capiebat, aut cum mollius in dolio.

Socrates neque risit, neque flevit in vita: quin uno eodemque vultu semper visus. Mirum videri potest, quod eximiam illam animi temperantiam, neque nuptialis lætitia variare potuit, neque tristitia illius diei, quo venenum hausit.

Alexander cum Darii hostis conjugem omnium fœminarum, quæ ætate illa florebant, pulcherrimam, filiasque cum castris cepisset: tam sanctè penes eas se habuit, quam sorores ac filias, ac postremò filiam unam sibi junxit matrimonio.

TEMPORIS LONGISSIMI.

Lucida dum current annosi sidera mundi
Oceanus clausam dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaque demissos dum plena recolliget ignes;
Dum matutinos, prædicet Lucifer ortus,
Altaque cæruleum dum Nerea nesciet Arctos,
Candida formosi venerabimur ora Lyæi. Seneca in Oedipo.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque Thymo pascentur apes, dum rore Cicadæ.
Robora dum montes, dum mollia pabula campi,
Dum Tyberis liquidas Thuscus habebit aquas.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iapyges arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit.
Donec erunt ignes, arcusque Cupidinis arma.

In immensum illud tempus, in possessionem omnis ævi transiturus *Seneca.*

Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum. & catulos feræ
Celent inultæ. Horat.
Dum Capitolium

Scandet

Scandet cum tacitâ Virgine Pontifex. Idem Oda 30. lib. 3. Car.

Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenu deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccas polus
Versabit Arctos; flumina in pontum cadent,
Nunquam meus cessabit in pœnam furor. Medea Senecæ.

Hæc materia decantatissima apud omnes Poëtas.

TEMPORIS. *Spatii. Diu. Ætern.* Vide *Anni. Diei. Vespera. Vita. Vetustatis. &c.*

PLus annis decem mortuum esse oportuit. Ab hinc annos factum est sedecim.

Hunc comburamus hilariter diem. Bienninm factum est, postquam abii domum.

Qualis Solstitialis herba paulisper fui. Ego hunc laceravi diem nihil agendo. Frangere diem mero.

Ferè in diebus paucis, quibus hæc acta sunt Chrysis mortua. Dum tempus ad eam rem tulit.

Aliam vitam alii mores docent. Bidui aut tridui hæc sollicitudo est. Rus ibo, ibi me biduum hoc macerabo.

Non temporis mihi punctum ad hoc fuit. Nullus dolor est, quam non longinquitas temporis minuat ac molliat.

Iam sol meridiem fregerat. In omni memoria hoc inauditum est. Horas singulas ad Clepsydram dividere.

O Diecula illa, quam una mecum exoptas, quando exoriere? Vrbs est vix bidui itinere à Cilicio mari.

Aperit nunc se novus sæculi hujus annus. Amplius sunt quini menses, cum hujus à me instituti suscepta est aggressio.

Ut diei tempus est, vide ne quo hinc abeas longius.

Πολυ-

Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος, *Sumptuosissima jactura tempus.*

Ὁ πάντων, πατὴρ χρόνος.

Lipsius. Quid amicitia melius, si in plures, diffusa nimis, turbat, & quod utilissimum in vita est, Tempus, eripit aut partitur.

Labitur occultè fallitque volatilis atas,
Et celer admissis labitur annus equis,
Omnia fert atas, animum quoque.
Nos quoque floruimus; sed flos fuit ille caducus,
Flammaque de stipulis parva brevisque fuit. Ovid.
Ver fuimus, versus dedimus vernantib. annis:
Verrit & evertit serior illa dies. E. Neuhusius.

Seneca, quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus; sic & minori temporis modo esse vita perfecta.

Vt è currente flumine tantum habes, quantum hauris: sic ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocaris.

Theophrastus semper habebat in ore, nullum esse sumptum pretiosiorem tempore. Solum enim hoc recuperari non potest, & tamen vulgo nihil habetur vilius tempore.

Bias Dicere solebat, vitæ tempus ita metiendum, quasi & diu & parum victuri simus.

Seneca: Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.

Properat cursu vita citato. Volucrique die Rota præcipitis vertitur anni. Dura peragunt pensa sorores; Nec sua retrò fila revolvunt. Seneca.

Temporum distinctionem. Annum, diem, mensem. Anni quadripartita tempora, vide in *Sextiduo Creat. divina, Fatid. lib.3. cap.1.*

Corpora.

Corpora nostra rapiuntur fluminum more. quicquid vides, currit cum tempore. *Seneca.*

Quicquid longa series multis laboribus, multâ Deum indulgentia struxit, id una dies spargit ac dissipat. *Idem.*

HORA. Alii malunt Horas dictas ἀπὸ τῆς οὔρου, quo verbo urina significatur. Ferunt Homerum Trismegistum horas primùm observâsse ex urina sacri cujusdam animalis, quod Serapi erat dicatum. Nam cum animadverteret ab eo animali diei & noctis unius spatio, æqualibus interpositis intervallis, urinam duodecies emitti, placuit in totidem horas diem civilem dividere. *Hora* quoque Deæ nomen apud Rom. ita dictam ἀπὸ τῆς ὥρας h. e. venustate & pulchritudine: cui præesse putabatur. Hanc Romani putabant Hersiliam Romuli uxorem, quæ post Romuli apotheosim in cælum translata, pro Horâ Hersilia est dicta. Hinc Ennius: *Teque Quirine pater veneror, Horamque Quirini.*

De *Calendario Romano* nemini dubium reperire authores ac loca. Ovid. in Fastis adeatur: ubi luculentissima ejus materia & antiquitas.

Idus fæm. gen. & pl. num. in Martio, Majo, Junio & Octobri dies est xv. in reliquis decimus tertius. Dictæ Idus ab antiquo Hetruscorum verbo *Iduare*, quod est dividere, quòd mensem in æquales duas propemodum partes dividant. Ab Idibus dictæ sunt *Idules*, dictæ oves, quæ singulis Idibus Iovi immolabantur.

Calendæ ab eo, quod hoc die calentur dies mensis à Pontificibus. *Macrobius in* I. *Saturn.* totam hanc copiosè tradit. *Priscis*, inquit, *temporibus antequam fasti à Cn. Flavio scriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hac provincia delegabatur, ut nova Luna observaret adspectum, visumque regi sacrificulo nunciaret. Itaque sacrificio à Rege & minore pontifice celebrato, idem pontifex, calata, h. e. vocata in Capitolium plebe, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronunciabat, & Quintanas quidem* quinquies, dicto verbo Calo, Septimanas repetito septies prædicebat,

cebat, & ex his diebus qui calarentur, primus dictus *Calenda.*

Eam ob causam prædici populo dies necesse erat, ut sciret, quinam *Nonarum* esset dies futurus, quo confluere in urbem populus solebat, ut addiscerent, quid eo mense in divinis humanisque rebus facto opus esset.

Tertio Calendas, significat ipsum tertium diem. Ad *Tertium Calendas* incertum significat, qui circiter Calendas. Græci non habent Calendas. Hinc proverb. *Ad Calendas Græcas* h. e. nunquam.

Mensium Calendis exigebantur pecuniæ, quæ fœnori dabantur. Hinc locus ille Avari apud Horat. l. Epod. Oda.

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Interdum fœneratores, præsertim moderatiores, quæ summo jure debebant debitores Calendis solvere, ea exigebant demum Idibus, & dabant eis diem solvendi laxiorem.

Kalendis exigebant & collocabant docet locus Iuvenal. Satyr 6. lib. 1. *magni Quo pueri magnis e Centurionibus orti Ibant octonis referentes Idibus æra.*

Rosinus de Antiqu. Roman. legatur apud quem quoque Calendarium Romanum reperitur, compendiò addimus.

Hic inseratur Calend. Roman.

TESTAMENTI Vide *Hereditatis. Testium.*

TEstamentum est solemnis & justa voluntatis nostræ sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. justa, quia legibus est consentanea. Testamentum nisi post mortem sortitur effectum.

Testamentum Calatis Comitiis, quod coram populo fiebat (& hoc in pace & otio utebantur) calatis comitiis. Comitia erant concio & congregatio populi. h. e. convocata.

Testamen-

Testamentum in procinctu, ex eo, quod qui militabant, omnes cincti essent. nam qui in castris discincti reperiebantur, magnum scelus committebant. Hæc duo genera cito in desuetudinem iverunt.

Testamentum per Æs & Libram fiebat per Emancipationem h. e. ut Iustinianus interpretatur, per imaginariam quandam venditionem quinque testibus & libripende Civibus Romanis puberibus presentibus. Id, licet diu in usu, per Constantinum sublatum, &c.

Nolumus in hunc campum ex professo ingredi. Videatur Tit. x. xi. xii. & Commentatores. De lege Sentiâ, Voconiâ, Furiâ, Æliâ, Falcidiâ, Corneliâ variis locis.

Testamentum nuncupativum est, in quo testator heredem vivâ voce coram septem testibus ad hoc rogatis & collectis nuncupat. *Testamentum scriptum* secretum & mysticum est.

Testamentum est typus quodammodo immortalitatis. Nam quando anima, mens, voluntas est immortalis, certè cum mortali corpore extingui non debet. Igitur toti humano generi nihil esse jucundius potest, quàm ut regnet voluntas in bonis à testatore relictis. Imò justius hoc facit, redditâ jam testatoris voluntate cælesti patriæ.

Testamentum per Æs & Libram dicebatur, cum quis alterius familiam, id est, jus patrisf. universum mancipio emebat, & testator tabulas tenens ita loquebatur: *Hæc uti in tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor.* Itaque vos *Quirites* testimonium præbetote. *Lexicon Schardii.*

Militis Testamentum privilegiis multis & meritis nititur. Quinimo si quid in vaginâ aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus, aut in pulvere scripserint gladio, sub ipso tempore vitæ sortem derelinquunt, hujusmodi voluntas stabilis est.

Veteres in *primâ cerâ, in secundâ cerâ, in imâ, in extremâ* solebant hæredes scribere. Nam Romani sua testamenta in tabulis ceratis perscribebant. Suetonius in Cæsare Q. Pedium ex quadrante heredem instituit reliquas

reliquas *in imâ cerâ*, h. e. *in ultimâ parte testamenti.*

Cerâ veteres, ante inventum papyri usum, pugillares suos obduce solebant. unde pro epistolis sumi solebant. Iuven. *Nonne libet medio ceras implere capaces Quadrivio?* Tabulæ ceratæ, quæ erant cerâ obductæ. *Genua incerare Deorum.* Idem.

Insidiatores & captatores testamentorum describit *Horat. lib. 2. Serm. Sat.* VI.

THEOLOGI. Vide *Pietatis. Monachi.*

NOn est obscurum, quid Ecclesia debeat viris linguarũ peritis, quid debeat eloquentibus. Theologastrorum nostrâ tempestate, *ait Erasmus*, ingenio nihil stupidius, linguâ nihil barbarius, doctrinâ nihil spinosius, moribus nihil asperius, vitâ nihil fucatius, oratione nihil virulentius, pectore nihil nigrius. *c.* 1. *Epist.* 6.

Porrò Theologos silentio transire fortasse præstiterit, καὶ ταύτην καμαρίναν μὴ κινεῖν. ut pote genus hominum mirè superciliosum atque irritabile. *Eras. in Moria.*

Ita reliquos mortales omnes, ut humi reptantes pecudes è sublimi despiciunt, ac prope commiserantur. *Idem.*

Tot exuberant κρησφυγέτοις, ut nec Vulcaneis vinculis sic possint irretiri, quin elabantur distinctionibus, quibus nodos omnes adeò facilè secant, ut non Tenedia bipennis melius. *Idem.*

Divinæ Theologiæ majestatem tam frigidis, imò sordidis verbis & sententiis sæpè conspurcant. Universam Ecclesiam alioqui ruituram non aliter syllogismorum fulcire tibicinibus, quàm Atlas cælum humeris sustinet apud Poëtas. *Idem.*

Ut arbiter Iovis cerebrum non æquè gravidum fuisse, cum ille Palladem parturiens Vulcani securim imploraret. *Idem.*

TESTIUM.

TESTIUM. *Vadium. Obsidum.* Vide *Testamenti. Hæred. Vadimon.*

DO Iovem testem tibi. In sponsionem testes dare Vadimonium promittere.

Testes subornare fictos. Res esse in Vadimonium cœpit.

Vadimonium sistere; differre. Vadimonium missum facere, deserere. Vadimonium mihi promisit.

Mercenarii testes: qui mercede sunt conducti. Interioris meæ voluntatis Deum testem capio, quam sæpè adspiraverim ad te scribere.

Vadimonium. Est Sponsio quædam sistendi in judicio. Licet tamen pro omni sponsione & promissione sumatur.

Desertum Vadimonium, hoc est, cum reus citatus non comparuerit, causâ cadit.

De Testamentis rescissis & ratis vide *Val. Max. c. 7. & 8. lib. 7.*

THESAURUS. Vide *Divit. Pecunia, &c.*

THesaurus est mihi domi. Inhiare Thesaurum. Is mihi Thesaurus jugis est in nostra domo.

Isthic est thesaurus stultis in lingua situs, ut quæstui habeant male loqui melioribus.

Thesaurus est velut depositio pecuniæ: cujus memoria non extat amplius.

Thesaurus quasi θὲς εἰς αὔριον, hoc in crastinum aut futurum positus.

Cedit Thesaurus inventori, qui eum in proprio solo invenit, aut fortuito casu in religioso vel sacro loco. At si quis in alieno solo, non data ad hoc opera, sed fortuito invenerit, dimidium inventori, dimidium domino soli conceditur.

Qui Thesaurum in alieno loco inventum supprimit, tanquam militiosus rerum alienarum occultor & fur, nihil ex thesauro accipit. *Novella Leonis 19.*

De Thesauris memorabilia. *Ph. Camerar. Cent.* 1. *cap.* 63.

Ibidem de thesauro Venetorum publico. *cap.* 64.

TONSORUM. TONSTRINÆ.

Vide *Coma. Capillorum. Novacula.*

Collum tonsori committere. Novaculam exercere.

Novacula est ferramentum tonsorium. In tonstrina occupari.

Dicas, utrum strictimne an per pectinem velis te attondam. *Plaut.*

Capillos suos ad speculum in consilium vocare.

Odi juvenes ceu fœmina comptos. Nec malè deformet rigidos tonsura capillos.

Ex adventitio crine galericulos & caliendra capiti assuere.

Crinem excandescente ferro vibrare, in gradus frangere.

Cum trosulis & cinnatis ad specula crines excolere.

Inter pectinem & speculum occupatum esse. *Seneca.*

Quid illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur quod proxima nocte succreverit, dum de singulis capiliis in consilium itur.

Cæsaries, coma, à crebra cæsione. Ideoque propriè virorum est. Cæsaries promissa, hoc est, longa. Hinc *Cæsariati*, comati dicuntur.

Dicitur cædes capillorum fieri, cum ferramentis tonsoriis forficulisque capillorum præsegmina succiduntur.

Byzantios tonsores, si domi novaculam haberent, lex publica volebat mulctari.

Quid capillum ingenti diligentia comis? Cum illum effuderis vel more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris, vel ut Scythæ solent, sparseris: in

quolibet

quolibet equo densior juba erit, horrebit in leonum cervice formosior. *Seneca.*

Lacon quidam dixit, ideò se ferre oblongos capillos, ut nihil illis committeret indignum. Hos intuitus, prudentiam & officium expenderet.

Detonsi. Antiquitus dicti qui nihil roboris habebant. In crinibus robur poni solet, quod in sacris & Sampsone liquet. Sic dicimus veneficas nullis tormentis domari posse, antequam resectus capillus. Orco jam initiati *Detonsi* dicti. Putabant veteres, eos qui morti proximi, à Proserpinâ primum tonderi, & his quasi primitiis Orco initiari, nec aliter diem suum obire posse. Virgil. *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

Philippus Macedo, judicem barbam capillumque inficientem protinus submovit; non bona fide publica tractaturum, qui capillos fucaret.

Aristoteles, cum juvenem curiosius se comere videret, *Non erubescu*, ait, *cum te natura Virum fecerit, ut te ipsum effœmines?*

Multi sunt sollicitiores de capitis sui decore, quàm de salute: qui inter speculum pectinemque occupati sunt, qui concinniores esse malunt, quàm honestiores, qui Remp. Suam turbari minus curarent, quàm comam. *Seneca.*

Cum aliquando in tonstrina sermo esset de *Dionysio*, diceretur que tyrannidem illius adamantinam esse, & inexpugnabilem; ridens tonsor: *Haccine*, inquit, *loqui nos de Dionysio, in cujus jugulo ego subinde teneo novaculam.* Quod dictum simulac rex resciisset, tonsorem in crucem sustulit.

Sed quinam illi sunt σακεσφόροι *Barba* Reges, prohibificâ pilorum supellectile in pectus propendente? An priscæ memoriæ philosophos video, barbitio spectabiles & pallio?

Duravit in *Ticinium*, ad quintum urbis sæculum, promittendæ barbæ consuetudo: cum juventus deli-

catior tonsoribus è Sicilia adductis, mentum caputque radendum permitteret.

Diogenes cuidam barbam abradenti, *Nunquid naturam*, inquit, *accusas quod te virum fecerit, non mulierem?*

In quam mentem alius dixit, Barbam alo, *ut virum me genitum esse cogitem*, & *viriles virtutum obeam functiones.*

Apud Græcos *Trepteria* celebrantur: quod præcisum in ætatis vigore capillum Deorum honori consecrabant.

Athenis verò Ephebi, *Theseo* authore, primam barbam Apollini dedicabant. *Græci* in gravi luctu Barbam solebant recidere.

Demonactes interrogatus, quam Philosophiæ sectam profiteretur, succussus vehementiore risu, *Quid stultius est*, inquit, *quàm ut homines ex barba Philosophum æstiment.* Vide *Theat. Ing. Hum.* cap. 4. lib. 1.

Qui porte barbe rousse & noire chevelure.
C'est merveille, s'il n'est de meschante nature.

TONITRU. Vide *Fulminis*, *&c.*

DE *Fulmine* & *Tonitru* vide cap. IV. *Magiri* lib. IV. *Tonitru* est sonus, quem sicca exhalatio intra nubem magnam ac densam conclusa, & ictu vehementi eam disrumpens efficit. *Arist.* 2. *Met.* 9.

Fulgur, seu coruscatio, est flammæ micatio ab exhalationibus accensis, & è nube erumpentibus exorta. *Ibid.*

Ipsa Iovis rapidum jaculata è nubibus ignem.
Densa per attonitos rumpuntur fulmina nubes.
Validos dum Iuppiter ignes
Increpat.
Mediâ nimborum in nocte, coruscâ
Fulmina molitur dextrâ. Virgil.
Quod niger Ætnaâ telum in fornace recoxit
Mulciber, Petrarcha.
Cum templa mundi fulminum quateret fragor. Buchananus.

Claudiana

Claudiana tonitrua. Claudius Pulcher instituit, ut ludis post scenam factis, lapidum conjectus ita fieret, ut veri tonitrus similitudinem imitaretur. Egregiè in clamosos competit.

Tonitru cælum omne ciebo.
Tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum.
Quam super ingens Porta tonat cœli. Virgil.
Quantus ab æthereo Personat axe fragor!
Cælum ubi detonuit, strepituque exterruit orbem. Ovid.
Adi Parnassum.

TRIUMPHI. Vide *Gaudii. Victoria. Corona. Imperii. Regni.*

FRagrant odoramentis ac floribus viæ, accensis funalibus ac laternis arbores, fenestra collucent: nervorum pulsu, tibiarum vocumque concentu omnia personant.

Sesostris Ægypti Rex forte ductos reges annis singulis ad currum jungebat, ut ea pompa per omnium ora triumpharet.

M. Antoninus Phil. & Verus triumphi die mille puellas Virgines in equis triumphalibus vexere.

Camillum, quod antea licuit nulli, in triumpho albentibus equis urbem iniisse tradunt.

Iulius Cæsar ad lumina CCCC. in Capitolium triumphans ascendit, elephantis lychnos dextra sinistraque gestantibus.

Nero Cæsar monstrifico invento Hermaphroditas equas portenti loco ad currum duxit.

Heliogabalus triumphans quaternis canibus, mox Tigribus vectus est.

Ovid. *Esculea capiebat frondi honorem.*
Nondum Laurus erat, longeque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore ramus.

De jure Triumphandi lege *Val. Max. lib. 2. cap.* VIII.

Tranquillus Triumphum dici existimat, quod tri-

 plici

plici judicio honoraretur. quia de decernendo triumpho primum Exercitus, secundò senatus, tertiò populus decernebat.

TRISTITIÆ. Vide *Molest. Ægritud. Doloris.*

EX summâ lætitiâ atque lasciviâ, quæ diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit. *Sallust.*

Poëtica

Mordacesque secant curæ præcordia rostro.
Dum rodunt vigiles Præcordia curæ. Mantuan.
Animique truces sua pectora pulsant Ictibus incertis. Lucan.
Ardentem curaqueiræ que coquebant.
Curisque ingentibus æger. In curas animus deducitur omnes.
Diversæque vocant animum in contraria curæ. Virgil.
Ipse animi nubem dolor auxit. Anxia mentis Conditio.
Præcordiaque intima curis Intonuisse novis. Ovid.
Pectora sunt serie calcata malorum.
Inconsolabile vulnus Mente gerit tacitâ. Ovid.
Et noctes in luctum extendit amaras.
Et corda momordit Inconsulta dolo. Mantuan.
Pictura mœroris ingeniosa ex Mantuani Lib. I. Alphonsi. Vide præterea *Parnass. Poet.*

TUMULTUS. Vide *Seditionis. Belli, Discordiarum. Pacis.*

EAm seditionem ille in tranquillum conferet. Quis ante ædes tantas tam diu turbas concitat?

Quid crepuit quasi ferrum modo? Nemo in judicio pedem supplosit.

Consulcant frontem; ex ore concrepario frequenter fremere ac mussitare,

Sævitque animis ignobile vulgus.

Vis Privata fit sine armis, ut si quis aliquem sine vi dejecerit de agro suo, vel hominibus convocatis aliquem verberaverit: aut si, quod sibi deberi putat, non

non apud judicem, sed manu propria extorserit. *Pœna est* tertiæ partis bonorum publicatio, & fit infamis, nisi forte civiliter & non criminaliter de vi agatur.

Vis publica dicitur, quia armorum usus publicus est. Talem vim committunt insidiantes cum latrocinio, grassatores, seditiosi, & qui hodie Publicam Pacem violant. *Pœna est*, Ignis & aquæ interdictio cum publicatione bonorum. Verùm postmodum Capitalis pœna venit in usum, & seditiosis crux posita est. Violatoribus verò pacis & violentis dejectionibus bannum publicum in pœnam constitutum est.

Milites Romani perculsi tumultu insolito, arma capere alii; alii se abdere: pars territos confirmare: trepidare, omnibus locis vis magna hostium cælum nocte, atque nubibus obscuratum: periculum anceps. postremò fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat.

TYRANNI. Vide *Crudelitatis. Mortis. Aula.*

LEge Tit. hunc in *Goulartii* Philosophica Historia. Iam tu ille noster ab Hespero præses, sive ab Aurorâ. quid per hoc bellum & cruda arma tibi vis? firmare imperium regis, ut putas & vim tuæ gentis. tu quoque erras. quia non aliud, quàm flagellum, & mastix es lascivientium Belgarum. Concoquere felicitatem nostram non potuimus, nisi adjuti Neronianis hisce thermis. *Lips.*

Tyrannorum mentes, ait *Tacitus*, si recludantur possint adspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. *Idem* IV. *cap. lib.* 2. *Const.*

Rident illi sæpe, sed non verum risum. Gaudent sed non germanum gaudium:

Districtus ensis, cui super impia cervice pendet.

Vides & quereris *Dionysium* illum in Siciliâ stupra, rapinas, cædes multos annos impunè exercentem? paullum sustine, Videbis eundem mox infamem, extorrem

extorrem, inopem, à sceptro, quis credat, ad ferulam devolutum. Ille magnæ insulæ Rex ludum Corinthi aperiet, ipse fortunæ verus ludus. *Lips. cap.* xv. *lib.* 2. *Const.*

Video *Catoni* ipsi clavum hîc tantum non recti judicii extortum, & elicitam ab alto pectore ambiguam vocem : *Res divinas multum habere caliginis.* *Idem Ibid.*

Cæsarem illum videte superbum, victorem, opinione suâ jam Deum in Senatu, & à senatu interfectum, nec simplici morte, sed 23. vulneribus confectum; instar feræ in sanguine suo volutantem. *Idem Ibid.*

Et, quid amplius vultis? in Pompëi curiâ, superstante Pompëi statuâ, magnam victimam magni manibus parentantem. *Idem.*

Ita *Brutus* in campis Philippicis, pro Patriâ & cum Patriâ moriens, mihi quoque commiserationi est. *Idem.*

M. *Antonius* terrâ marique victus, inter tres mulierculas, mulierosâ illâ manu, ægrè mortem invenit. *Idem.*

Vbi tu es Orientis ille paullò ante dominus, lanista Romanorum exercituum? Pompeji & Reip. sector? en in fune cruentis manibus pendes! *Lipsius Ibidem.*

Neronis morituri verba: Ergò ego solus nec amicum habeo, nec inimicum?

Tiberii verba: Dii me Deæque pejus perdant, quàm perire cottidie sentio.

Optimus est post malum Principem dies primus. *Tac.* 4. *Hist.*

Et tua sunt silicis circum præcordia venæ
Et rigidum ferri semina pectus habet.
Quæque tibi tenero quondam ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, Tigris erat. Ovid. VI. Eleg. lib. 1. Trist.

Consule *cap.* 37. *Schonborn. lib.* 2. de Moribus Tyrannidis, &c.

In

In Tyrannum.

Christiadum sævis in viscera, dire Tyranne,
Et nihil intactum est Cæsar Iberque tibi,
Sanguinis humani plenos effundere fontes
Pristina Cyclopum fama laborque fuit.
Mœsta Lycaonios patitur Germania luxus,
Iamque tuam rabiem mundus uterque timet.
Desine Christiadum cœtus odisse, Tyranne,
Christiadum cedet non benè præda tibi.
Adspicis Arctoo quæ nubes surgat ab axe?
Illa manet manus Cæsar Iberque tuos.]
Si clade & peste sub illâ
Sævitiam damnare, & honestum afferre liceret
Consilium? sed quid violentius ante tyranni
Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici. Iuvenal Satyrâ xv. de Domit.
Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam. Sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefandâ
Produxisse parum est, cum rastra & sarcula tantum
Assueti coquere, & marris ac vomere lassi
Nescierint primi gladios excudere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit ira
Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi Iuvenal Sat. xv.

Nemini in Rep. Romanâ licuit tyranni imaginem habere.

Et postquam *Manlius* regnum affectâsset, gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. Et *Cicero* 14. *Philip.* Cujus totus consulatus est ex omnium monumentorum memoriâ revulsus.

Frangendâ miseram funestat imagine gentem. Iuvenal. Vide de hoc *Clapmarii* Polit. lib. 2. cap. 14.

V.

VATICINIORUM. Vide
Spectr. Ominis. Augur. Somn. &c.

Tiberius Thrasyllum in turrim ducit cum uno fido & valente liberto comite: Certus tollere de vitâ, nisi fidem ei faceret fidæ prædictionis. Cum ascendisset, igitur cœpit interrogare: *Soli sumus, dic per quid charum habes, vera hactenus mihi dicis?* (de Principatu sc.) *de imperio etiam affirmas?* Ille iterare, & sidera sic velle. *Si de meo igitur statu compertum*, inquit, *ex sideribus habes, de tua quid ais?* Inspice. Ille thema ponere, situs ac spatia siderũ considerare, denique timere, ac pallescere & exclamare, anceps sibi ac propè ultimum discrimen instare. Eo dicto hominem complexus Tiberius, verè conscium futurorum asserit, & quod de ipso meditabatur, pandit. *Lips. in Mon.* & *Exempl. Pol. lib.* 1. *cap.* v.

Fuit *Largius Proculus* quidam, Vir inter illustres, in Domitiani Principis rebus: qui publicè in Germaniâ prædixit ipso tali die Domitianum interiturum. quod asseruit coram Domitiano. jussus igitur in carcerem concludi, donec factum sequeretur, aut dies transiisset. &c.

Fuit eodem tempore *Ascletario* Mathematicus, qui & diem & genus mortis Domitiani apud quosdam dixit. Tu igitur quâ morte periturus? ille statim: *Fore ut à canibus laniaretur.*

Tum Imp. vivum exuri jussit. Homo uritur, ut nihil reliquum à cadavere esset, quod canes laniarent. Ecce nimbus subitò ortus, rogus exstinguitur, & ministri semiustum relinquentes diffugiunt. Canes superveniunt & vorant. Vesperi cœnanti Domitiano inter alias fabellas ejus diei, id refertur. Munit se, domi hæret, neminem admittit. sed sui eum reperiunt, cædesque

cædesque ei à cubiculario Stephano patratur. *Ibid. Lips.*

Quâ in re *Apollonii Thianei* nobile vaticinium non est omittendum. Erat Ephesi in Asiâ, tanto terrarum & marium abjunctus. Is dissertationem in publico habebat, ac primò hæsitare ac loqui, remissius mox pallescere & silere. denique passus aliquot exsiliens, ut mente motâ: *Euge, Stephane*, inquit, *rectè; percute homicidam. Bene est, percussisti, vulnerasti, occidisti.* Hæc in publico dicta & gesta, ipsâ horâ, quâ Stephanus percussit. O mira! sed vera. *Ibidem.*

Aliquis Anglorum Regi Henrico diem mortis prædixerat. Res ad regem defertur. invitatur astrologus. annuit peritum se talium. Tum Rex: Dic igitur mihi, ubi tu futurus es ex his festis natalitiis. hærebat. Ergo, inquit, Rex, Ego peritior te: nam futurum te scio in turri. *Eras. in Moriâ.*

Promiserat sibi à Phalaride tyranno gratiam Perillus, ænei tauri repertor; sed suo malo docuit esse verissimum, quod scripsit Hesiodus, Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. *Ibidem.*

Mathematici, *Valerii verba sunt*, levibus & ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem injiciunt.

Tacitus: Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax.

Quis nescit, qui historiam veterem legit? & ad scelus ab hujusmodi votis facillimè transitur. *Tacitus.*

VADIMONI

Vadimonium est sponsio quædam sistendi se judicio ad diem præstitutum, per se, vel per advocatos. Hoc deserere non licet. Hinc Cicero: ad vadimonium non venit. quum vadimonium desertum esset. *Vadimonio obstringi* dicitur, qui ob crimina in judicium vocatus, & à judicibus pro tempore dimissus, ad judicium tamen obligatur. *Vadimonium deserere* est, non comparere in judicio ad diem præstitutũ. *Vadimonium*

 constituere

constituere h. e. diem judicii assignare. sic *Vadimonium promittimus*, quando diem constituimus. *Differere Vadimonium* h. e. diem differre contentionis, quo reus comparere in judicio promiserat. Qui vadati sunt non nisi summo suo periculo abesse possunt. Deserentem verò vadimonia vis major excusat.

VICISSITUDO RERUM HUMANAR. Vide *Fortuna. Ruina, &c.*

OMnium rerum semper quasi naturali lege mutatio. *Spartian. in Severo.*

Quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuêre. *Tacit.* in *Annal.*

Brevibus momentis summa verti possunt. *Idem.*

Nihil tam gratum est Fortunæ, quàm ut ea, quæ sunt, in publicis actibus eventuum varietate mutentur. *Fl. Vopisc.*

Quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc floret fortuna, nunc senescit, nunc interit. *Vell. Paterc. lib. 2.*

Simul parta ac sperata decora unius horæ Fortuna evertere potest. *Livius Decad. 3. lib. 10.*

Est ita comparatum natura, ut rerum humanarum vicissitudo huc illuc omnia transferat. *Pausanias. lib. 4.*

Locupletari hic locus abunde potest à prisco & præsente ævo. Videmus, quam verè

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat.
Nam cum pro me Fortuna rogatur,
Affigit ceras illâ de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo. Iuvenal. Sat. 9.

Mergit longa, atque insignis honorum
Pagina, descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cadit, & immeritis franguntur crura caballis.
Iamque strident ignes, jam follibus atque caminis
Ardet

Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: Deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patella.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem. Sejanus ducitur unco
Spectandus.
Verbosa & grandis epistola venit
A Capreis, &c. Iuvenal. Sat.x.

Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburra.
O qualis facies, & quali digna tabellâ
Cum Getula ducem portaret bellua luscum.
Exitus ergò quis est? O gloria: vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad prætoria regis:
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno. Iuvenalis. Sat.x.

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis.
Æstuat infelix angusto limite mundi.
Vt Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.
Cum tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus. Ibidem.

Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in historia. constratum classibus iisdem
Suppositumque rotis solidum mare. Credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.
Ille tamen, qualis rediit Salamine relictâ
In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum. Nept. sc.
Sed qualis rediit? nempe una nave cruentis
Fluctibus, ac tardâ per densa cadavera prorâ. Iuvenalis Satyra.x

VASORUM. Vide *Abligur. Convivii, &c.*

V*Asorum appellationes sunt variæ.* Aut ſumuntur à materiâ ; unde conflata ſunt ; aut ab uſu & utilitate, quam præſtant. Ab eſcis *eſcaria*, à vino *vinaria*, ab unguentis *unguentaria*. Aut à formâ ſuâ denominantur : ſic vaſa *Cymbia*, à formâ Cymbæ. Aut à loco & gentibus, quæ in iis conficiendis excellunt : ſic vaſa *Deliaca*, à Delo ; *Corinthiaca* à Corintho. Sic *Samia*, *Aretina*.

Vaſa pura dixit Iureconſultus & ipſe Cicero, pro iis vaſis, quæ cælata non ſunt, neque illis ornamentis decora.

Vaſa lignea olim magno in honore. Inprimis quæ ex fago facta, propter ejus lentorem plicabilem : fiebantque ex fago pocula elegantiſſimè tornata : Hinc Virg.

Pocula ponam Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Quid *promulſis* & *vaſa promulſiaria*, *Lanx*, *Catinus*, *Ferculum*, *Patina*, *Patella*, *Paropſis*, *Diſcus*, *Scutula*, *Gabata* : Vide *Raviſium Textorem in Libello de Vaſculis* : qui hanc ſcientiam ex profeſſo tractavit.

Patera dicta quod ampla ſit & pateat. *Spumantem pateram*, &c.

Amphithetum poculi genus, ita factum, ut quavis ex parte poſitum ſtaret, nullumque haberet fundum. Hinc proverb. eum qui liberius & meracius potaret; *Ex Amphitheto bibiſti.*

Carcheſium, vas quo utebantur in ſacrificiis, factum ad formam cujuſdam navis: *Cape Mæonii Carcheſia Bacchi.*

Cululli calices erant fictiles, quibus Pontifices virgineſque Veſtales in ſacris utebantur.

Cantharus, proprium Liberi patris poculum, anſatum : *Et gravis attritâ pendebat Cantharus anſâ.* Virg.

Quid

Quid *Lagena, Cadus, Cirnea, Congius, Urna, Dolium, Amphora, Cupa, Linter, Modius, Culeus, Cheopina:* Vide Eundem.

Pinta, vas quoddam Vinarium; quod Græci Pitynam appellant, & per Syncopen Pinta. Venit à πίνω bibo.

Quid *Fidelia, Orca, Diota, Ciborium, Seria, Hydria, Calpus, Urceus, Trulleum, Mistarius, Phialas, Armillum, Amula, Anthlia, Colum, Scirpus, Lychnus, Cacabus, Dodona, &c.* Apud Eundem.

Ampulla vas olearium est, quo in balneis ad unctiones uti solebant.

Modius, est mensura continens sedecem Sextarios.

Sextarius sexta pars congii. *Congius* continet sex Sextarios.

Sextarius duas *Heminas* continet. Hemina dimidium Sextarii est. Modius ergò continet 32. Heminas. Congius 12. Heminas.

Amphora octavam partem Modii continet, & est mensura quatuor Heminarum. *Cotyla* & *Hemina* Synonyma sunt. Κοτυλίζω, Heminatim vendo.

Vide de his quoque *Had. Iunium* in Nomenclatore, *in mensa propriis.*

Quid *Guttus. Cirnea. Malluvium. Patera Filicata. Cissybium. Chrysendeta*, vasa ex auro illigata. *Baucalium. Bombylius. Vitrea* & *Vitreamina, Sympinium.*

Cadus erat vini: inde implevi hirneum: Plaut: in Amph. *Hirnea*, vel potius, Irnia, genus vasis est vinarii. antiquitus Erneum, παρὰ τὸ ὄρνεον, quod avis figuram haberet.

Vasa Corinthiaca. Corinthus vix Romanæ urbi concessit. tantumque in factum evasit, ut populi Romani legatos injuriosius appellaverit, & legatos eorum sordibus perfuderit. Postea à Romanis solo æquata. Quantas opes victor & abstulerit & cremaverit, hinc scias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio huic superfuisse constet. quia incendio perustis

perustis plurimis statuis atque simulacris, æris, argenti, aurique venæ in commune fluxerunt.

VECTIGALIS. *Tribut.*

VEctigalia nervi sunt Reip. Vectigalia alicui pensitare. Agris publicis pergrande vectigal imponere.

Exigere vectigalia. Liberare Civitatem tributis. Rem exportare sine portorio.

Imponere onus alicui. Vectigal solenne dependere.

Annuas functiones aut indicta persolvere. Populum vectigalem facere. Stipendium quotannis pendere.

Portorium apud Rom. vectigal erat è mercatura, si quid vel importaretur vel exportaretur.

Decuma Vectigal erat, quod populus R. capiebat ex agricultura. Agri enim vectigales, decumas frumenti populo Romano pendebant. Hoc frumentum militibus admetiebatur. Vide *Turneb.* cap. v. Adversi. Lib. I.

Lips. de Magnit. Rom. hunc locum pertractat eruditè.

Vide quoque *Romam illustratam Lipsii* lib. 2. *De Opib. Rom.* ubi de Tributis & magnitudine Vectigalium. De *Ærario Militari.* De *Metallis.* De *Manubiis* Triumphalibus. De *auro coronario.* De *Erogationibus.* De *Impensis Ludorum.* De *Frumentatione.* De *Donis Principum.* De *Opibus privatis.*

Vide etiam, *Clapmarium* & *Schonbornerum* suis locis: qui politicè hæc & doctissimè tractarunt. Nec non *Remp. Bodini.*

VEHICULORUM. *Curruum.*

ESseda currus erant Britannis peculiares, quibus utebantur in bello. Unde Cæsar in commentariis *Essedarios* vocat milites Britannos, qui ex Essedis pugnabant.

gnabant. Promiscuè tamen pro omni curru accipitur.

Basterna vehiculum est itinerarium, quod mollibus stramentis compositum à duobus equis, aut aliis animalibus portatur.

Biga currus dicitur duobus equis volubilis, ut *Triga* tribus, *Quadriga* quatuor. *Birotum* vehiculum est duas habens rotas.

Carruca, vehiculum est, cujus actores dicuntur *Carrucarii*.

Quid *Vectabulum*, *Tribulum*, *Traha*, *Sarracum*, *Pilentum*, *Lectica*, *Plaustrum*, *Staticulum* vide Ravis. Text. in Offic. de Vehiculorum generibus. *Cap.* 101. *Lib.*4.

VENATIONIS. Vide *Canum.*
Sylva.

CUm excrementa canum odorantur, illis Cinnamomum videri. Tauros & verveces humili plebi laniare licet, feram non nisi à generoso secari, nefas. Is nudo capite, inflexis genubus, gladio ad id destinato, certis gestibus, certa membra, certo ordine, religiosè secat. Porrò, cum contigerit à belluâ nonnihil gestare, is verò exstimat, sibi non parum nobilitatis accedere. Nisi ut ipsi propemodum in feras degenerent, tamen interea regiam vitam agere se putant. *Eras. in Moriâ.*

De DIANA legatur *Natalis* Comes lib. 3. cap. XVIII.

Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus! retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plaustro
Præda gementi. tum nostrâ canes
Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitque casas rustica longo
Turba triumpho. en Diva fave, &c. Sen. in Hippol.

Aut si tela modo spargere Parthico

In

In cælum placeat, nulla sine alite.
Descendent, tepido viscere condita,
Prædam de mediis nubibus afferes. Ibidem.

VERECUNDIÆ. Vide
Pudoris.

VErecundia est parens omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum. *Val. Max. cap. 5. lib. 4.*

Pompejus Magnus Pharsalicâ acie victus à Cæsare, cum postero die Larissam intraret, populusque ei obviam processisset: *Ite,* inquit, *& istud officium præstate victori.* Dicerem, non dignus qui vinceretur, nisi à Cæsare superatus esset: Certè, modestus in calamitate. Nam, quia dignitate suâ jam uti non poterat, usus est verecundiâ. *Ibidem.*

Hæc in *C. Cæsare* quoque apparuit. Hic compluribus parricidarum violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus, quo divinus spiritus mortali discernebatur à corpore, ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit. Siquidem utraque togam manu demisit, ut inferiori parte corporis tecta collaberetur. In hunc modum non homines exspirant, sed Dii immortales sedes suas repetunt.

VERBERANDI. Vide *Carceris. Pœna. Damnandi. Accusandi.*

COncidere alicui corium. Hodie è promptuaria cella te depromam ad flagrum. *Plaut.*

Quasi incudem homines me miserum octo validè cædunt. Excipere aliquem hospitio pugneo. *Idem.*

Pugnos edes, si huc veneris. Exossatum te dabo. Exossare aliquem quasi murænam. *Idem.*

Gestiunt pugni mihi. Exercere pugnos in aliquem.

quem. Pugnis aliquem contundere. Nisi abieris lumbifragium hinc feres. *Idem.*

Ulmorum Acherons, quem ego hodie ob ista dicta faciam ferventem flagris. Cruce & cruciatu te mactabo. *Idem.*

Hæc machina tuas onerabit scapulas. Thesaurum in tergo gerit. Gymnasium flagri; Custos carceris; Catenarum colonus, Virgarum lascivia. *Idem.*

Omnes de nobis carnificum celebrabuntur dies. Habeo familiare tergum. Interminatus est nos futuros ulmeos. *Idem.*

Vtinam mihi nunc stimulus in manu sit. Malam rem nunquam effugies. Cum fuste est ambulandum tanquam claudus sutor sim. *Idem.*

Continuò te dedam discipulum cruci. Dabo te mox castrandum carnifici. Abstinere à censione bubulâ. *Idem.*

Tu rediges in splendorem compedes. Cur in fauces moror hujus scelesti ruere? & animam protinus cur non compello facere iter præposterum? *Idem.*

Dentilegum te mox faciam. Ejus ora verberabo stirpiculis piscariis. Ita curvum te faciam ex aggerunda aqua, ut postilena ex te possit fieri. *Idem*

Faxo bubulis coriis onustus sis Saturni hostia. Scapulis meis Symbolæ sunt paratæ. Si tibi virgæ sunt ruri, mihi tergum est domi. *Idem.*

Si unam peccavisses syllabam, fieres corium tam maculosum, quàm est nutricis pallium. *Idem.*

Castigare aliquem bubulis exuviis. Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnos obseram. *Idem.*

Mihi herculè defregeritis talos. Ego vestra latera faciam lutea. Dorsus totus prurit. Excruciare aliquem loris. *Idem.*

Heri in tergo meo tres facilè corios contrivistis bubulos. Abi hinc aut sanguinem tibi exsugam. *Idem.*

Neque ego homines asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent. *Idem.*

Vmbra

Vmbra mea intus vapulat. Vlmeæ catapultæ meum ne transfigant latus. Cave sis me attingas, ne tibi hoc scipione magnum malum dem. *Idem.*

Tergum tuum fustuario honorabitur. Iam hercule messis tibi in ore fiet meis pugnis. *Idem.*

Affligam te ad terram itidem ut piscem soleo polypum. Ego te hic offatim conficiam. Nimis velim improbissimo homini malas edentaverint. *Idem.*

Colaphis totum tuber est caput. Vos monumentis commonefaciam bubulis. Cerebrum mihi emunxisti è capite meo. *Idem.*

Negotiosum habet tergum, benè vapulat. Ego te hîc arcebo cestibus, *hoc est*, vinculis coërcebo. *Idem.*

Ego vestra latera loris faciam, ut valide sint varia, ut ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica, neque Alexandrina bellicata, rasiliata tapetia. *Idem.*

Vide explicationes horum verborum in nostris Electis Plautinis.

Quasi in libro cum scribuntur calamo literæ, stylis me usque totum ulmeis conscribito, hoc est, virgis. *Idem.*

Nam mihi jam video propter te victitandum sorbillo :Itaque jam quasi ostreatinm ulceribus tergum gestito. *Idem.*

Suspiria enim & gemitus vapulantium imitantur spiritum sorbentium. Quod dicit *de ostreato tergo*, hoc intellige de puncturis asperis, cavernosis, quomodo ostrearum testæ.

Ulmeam tibi uberem esse hodiè speres virgidemiam. *Idem.*

Quali palo pectus huic tundam.

Edentare malas; hoc est, dentes maxillis excutere.

Taurina lege. De iis, qui boum instar excoriatione digni sunt.

Bis septem plagis polypus densatus. De iis, qui pæna digni

digni sunt, nam polypus captus, sæpè cæditur; ut pinguis fiat.

Lictores Romani. De his agit egregiè *Roma illustrata Lipsii* cap. VIII. ubi titulus Insignia consulum.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras. Martial.

Ibidem cap. IX. De Ritibus aliquot Consularibus.

De *Consulibus eorumque potestate* cap. VII. Ibidem.

In Lictorem.

Carceris ô custos, quæ te dementia cœpit,
Et miserum incessit tanta cupido tui?
Non est Virga tibi, non est Romana Securis.
Lictor ut in Batavâ gente timendus agat.
Improba te Populi tantum sentina veretur,
Et Fasces metuunt Stupra Scelusque tuos.
Sic multos sua stultitiei & amabilis error
Decipit, ac nullum non suus urit amor.

VERITATIS. Vide *Virtutis.*

REm loquitur veram. Exsculpere ex aliquo verum. Descidere à veritate. Conturbare veri cognitionem.

Sine pigmentis, sine fuco loqui. Aperto pectore voluntatem suam promere.

Magis enim veritas elucet, quo sæpius ad manum venit.

Non habet aliud promptum in lingua, aliud clausum in pectore.

Vt rest est, loquitur. Animum suum sincerè prodit. Obsequium amicos; veritas odium parit. *Terent.*

Vt Lana priusquam ultimum illum & optimum colorem combibat, succis quibusdam aliis præparanda & imbuenda est. sic animus veritatis purpurâ seriò est tingendus. *Lips. in Const.*

Ut obstetrix parturientem juvat movendo manendoque:

doque: sic interrogando, dubitando elicitur veritas. *Idem.*

Satis triumphat Veritas, si apud paucos bonosque accepta: nec indoles ejus est, placere multis. *Idem in Manud. St.*

Veritatem magis, quàm victoriam quæramus. *Idem.*

Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum etiam ex illâ futuris relictum. *Seneca.*

Epaminondas tam severus veritatis cultor fuit, ut ne joco quidem mentitus sit.

Pythagoras dicebat, hæc duo divinitus hominibus data esse longè pulcherrima: Veritatem amplecti, Beneficiis operam dare.

Plato, suavissimum narrationem Veritatem esse dicebat.

Demosthenes interrogatus, quid Deo simile haberent homines? *Resp.* Benigne facere & veritatem amare.

Veritatem tacere, dixit *Euagrius*, est *aurum sepelire.*

Pythagoras interrogatus quid potissimum homines Diis similes faceret? *Resp. Vera loqui.*

Hac ex tripode sunt. Quasi ex Oraculo, aut ab Apolline dicta.

Epict. ἀθάνατον χρῆμα ἡ ἀλήθεια καὶ ἀΐδιον. Immortalis res, & sempiterna est veritas.

Veritas describitur à I. Fungero in Etymologico. nomen ait *Veritatis*, à *Verus* est. Verus autem à *Ver* originem trahere aliqui arbitrantur. quod Veritas ceu in vere perpetuò floreat & vigeat. Ipse Deus est Veritas, qui semper eodem statu florentis beatitudinis potitur.

Ab Hebræis Veritas dicitur *Emuna*, quæ vox significat etiam fidem & fiduciam. Et ipse Deus *Emuna* dicitur. Emuna derivatur à verbo *Aman.* unde *Amen*, h. e. fiat. &c. *Ibidem.*

Sententias ubique plurimas de hac virtute invenies.

VERIS.

VERIS. Vide *Æstatis. Hyemis. Autumni. Sylva. Hortorum. Agrorum.*

Cum trudit gemmas & frondes explicat arbos. Cum tenero cespite terra viret.

Cum neque jam stabulis gaudet pecus. Cum se tellus vestit lato cespite; Induit umbrosas arbor & alta comas.

--Vere novo, cum jam tinnire volucres
Incipient, nidosque reversa lutabit hirundo.

Cum garrula limosas sedes molitur hirundo. Cum nova gemma tumet gravido de palmite.

Cum volucres tepidum concentibus aëra pulsant: Cum in flores protuberat arbor. Cum prima novis adolescit frondibus æstas.

Gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit.
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & adverso, cedens Canis occidit astro.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Omnia nunc florent, nunc formosissimus annus.

Seneca in Hercule furente.

Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte juvencus.
Vacua reparant ubera matres.
Gestit querulos inter nidos
Thracia pellex.
Sentit tremulum linea piscem.
Solvitur acris hyems gratâ vice veris & Favoni.
Trahuntque siccas machinæ carinas. Vide Tempestatis, &c.

VENTORUM. Vide *Tempest. Hyemis. Navig. &c.*

DE Ventis, vide E. *Neuhusium. cap. 1. Fatid. lib. 3.* de Sextiduo Creationis divinæ. ubi de ventorum commoditate, &c.

Venti Cardinales, sive principes, qui à quatuor mundi pontibus spirant.

Nauta

Nautæ duodecem ventis non contenti XXXII. numerant. horizonte in totidem partes distributo.

Quis *Subsolanus: Taurus*, *Africus*, *Cacias*, *Euronotus*. Qui venti *Provinciales*, *Stati venti*, Ethesiæ. *Ornithiæ*, Venti erratici, *Exhydriæ*, *Ecnephias*, *Prester* Vide apud Magirum Cap XI. Lib. IV. Et *Calepinum*.

Ventus est exhalatio multa & copiosa à terra progressa, quæ ab occurrente frigore repulsa & repressa paulatim in obliquum retorquetur, & cum impetu per aërem ruit. *Arist. Meteor.* 2. *cap.* IV.

De VENTIS *Magirum* Cap. IX. Lib. 4.

VESPERI. Vide *Diei*. *Auroræ*. *Noctis*.

Sole sub occiduo. Auricomus cum dat terris sua lumina Vesper.

Traherent cum sera crepuscula noctem. Cum luce peracta, Demere purpureis sol juga vellet equis.

Proximus Hesperias Titan abiturus ad undas. Iam labor exiguus Phœbo restabat, equique Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi.

Occasum jam sol spectabant, Equosque. Pronum iter urgebat facili transmittere cursu.

Mox cinget geminos stella serena polos. Ante diem clauso componet Vesper Olympo. Inducunt nocturna crepuscula noctem.

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ. Nigro rutilans surgebat ab ortu Vesper.

Nunc frigidus aëra vesper temperat.

Prima fax horam Vespertinam significat.

Dies moritur. Iam moriente die rapuit me cœna benigni Vindicis.

Sed *& dies componi*, ut mortuus, id est, sepeliri dicebatur. ut: *Ante diem clauso, &c.*

VESTIENDI. *Cultus. Supellectilis.*

VAria veste ornatus fui. Odi in parvo corpore longa velamina.

Age

Age sustolle hoc amiculum, ne verrat humum.

Cur ita nimbata es, *hoc est*, frontali fascia tecta?

Sed quæ illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit? *Sic nominat aliquem* ob manicas alarum instar utrinque pensiles.

Quis hic homo est cum tunicis longis, quasi puer cauponius?

Genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis. Ornatus in novum incessi modum.

Caputque dimidiato orbe humiliter tectus. *Barclajus.*

Habitu ad novitatem mollis elegantiæ correcto.

Pileus Servorum fuit insigne, cum raso capite libertate donabantur: unde pileati servi à Gallio dicti, qui manumittebantur. Atque hinc proverbium, *Vocare ad pileum*, pro, donare libertate.

Tiara erat capitis tegmen regum Orientis. *Causia*, pileus erat regum Macedoniæ. Plautus pro naucleri pileo sumere videtur in Milite; Facito, *inquit*, ut venias huc ornatu naucleriaco, Causiam habeas ferrugineam.

Diadema, ornamentum capitis Regum insigne: Venit ex Græco διαδέεσθαι, *hoc est*, redimere, obvincire.

Mitra, ornamentum Matronarum. Virg. Mæoniâ mentum Mitrâ, crinemque madentem Subnixus, rapto potitur.

Vitta, tegimen capitis matronarum. Erat gestamen Matronæ pudicæ. ut apud *Ovid. Este procul vitta tenues, insigne pudoris.*

Vestalium inprimis quæ perpetuam pudicitiam servabant.

Quid *Reticulum, Rica, Restis, Capital, Capitium, Flammeum, Calantica, Carbasus, Plaga, Camissia, Thorax ferreus, Genualia, Tibialia, Soccus, Crepida, Thuscum, Sandalium, Calceus fenestratus.*

Quid *Tunica Lati clavi*, *Tunica manicata*, *Talaris*, *aurea*, *lutea*; *Sagum*, *Cucculliones*, *Abolla*: Vide Doctissimum tractatum *Kavis. Text.* in officina de re vestiaria. Et *Patrem meum* in Theatro suo Ingenii humani *Lib.* 2. *cap.* 3. *de antiquo ritu Vestiendi.*

Syrma vestis est fluxa & prolixa humumque verrens, ut: *traxitque vagus per pulpita vestem*, venit ἀπὸ τοῦ σύρω. *hoc est*, traho.

Tapetum vel *Tapetium*, vel *tapes*. Aulæum peripetasma: *hoc est*, vestis stragula variis coloribus intexta, qua parietes, mensæ, equi insternuntur.

Peplum sive *peplus*, vestis est pertenuis. Peplum Minervæ consecratum erat, in hoc depingebantur ex more apud Athenienses, qui strenuè se in bello gessissent. *Peplum est* propriè palla picta fæminea, Minervæ consecrata.

Cothurnus calciamenti genus erat subere sublevatum, quo Tragœdiarum actores in scena utebantur, ut proceriores viderentur. Sumitur alias pro sublimiore dicendi genere.

Cyclas est vestis fœminea, rotunda. Nam Græci κύκλον circulum vocant, κυκλόω circumdo significat.

Monile est ornamentum gutturis, quod & segmentum dicunt.

Cinctus Gabinus. Romani Magistratus & Pontifices eo cinctu utebantur, cum belli causa operabantur: Sacris se devovebant pro exercitu; portas Iani aperiebant. Denique cum rei sacræ operam dabant belli causa, & ceremoniâ quâdam sacrâ defungebantur.

Toga, purpurea erat vestis Romanorum, sicut *Pallium* Græcorum.

Toga dicta à tegendo. Quando in bellum ituri saga sumebant. *Toga* igitur pro pace sumitur. Hinc *Cicero*: Cedant arma Togæ.

Toga prætexta, dicebatur, cujus ora & circuitus purpura erat prætextus.

Toga

Toga pura, quam tyrunculi forenses assumebant tyrocinii die. *Pura* ideò est dicta, quod nullo purpuræ prætextu distincta esset.

Toga Candida erat, quam petitores Magistratuum induebant, unde *Candidati* dicti.

Toga pulla, quâ in feneribus utebantur, ut nunc atrâ veste utimur.

Toga alba, quâ in publico epulo utebantur.

Toga Puerilis, quæ & prætexta appellabatur, quam ingenui pueri usque ad 17. annum gerebant: Quo anno sumebant aliam, quæ & *pura* & *virilis* dicebatur.

Clavus inter alia vestimenti genus est, veluti quibusdam clavis aureis distinctum, quod & à palmarum similitudine *palmatum* dicimus. Et à verrucis clavo similibus *Verrucata vestis*.

De Vestitu & varia Vestimentorum consuetudine lege amplum tractatum *Ravisii Text.* cap. 94. libro 4.

Et *Hadr. Iun.* in Nomencl.

De Calceamentorum diversis generibus Ravis. *Text. cap. 97.*

De illis, veste & cætero cultu licentius sibi indulserint, lege *Val. Max. lib.3. cap.VI.*

Aurum, gemmæ, serica non digna sunt ornamenta magno Principe. & negotiator aliquis aut mango ea usurpet. *Lips.*

Antisthenes Sybarita vestem elaboravit, in quâ variæ deorum effigies erant depictæ. Hanc magno pretio sibi Athenienses postea comparaverunt. Quotannis in Liciniæ Iunonis templo suspendi solebat miraculi causâ.

Lollia Paulina tunicam habuit ex margaritis, æstimatam quadringentis sestertiis. *Tarquinius Priscus* aureâ triumphavit tunicâ.

Augustum ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili & modicè instrato. Veste domesticâ à Filia neptibusque confectâ.

Alexander Severus gemmas in palatio inventas ven-

 didit,

didit, & dixit: *Gemmas viris non esse usui. Imperium in Virtute esse, non in decore.*

Agesilaus cum navibus veheretur, & in Ægyptum veniret, Ægyptiorum turba se in portum effudit. præceperant animo magnificum virum, veste, comitatu, ipso corpore spectabilem. Ille prodiit cum vili palliolo, par gregalibus. Hunc esse, qui res lapsas restauraret. Montes parturire, murem nasci. Virum & Ducem se mox exhibuit, non parem famæ, sed majorem.

Philopœmen in Græcia cultus omnis negligens fuit. Ligna scindens, & à rustico contemptus. postea: *En pœnas cultus & vultus mei luo.*

Rodolphus Austriacus vestitu parum à plebeio differebat. mane egressus solus, videt in pistoris domo carbones, de fornace recentes ignitosque intrat fidenter, adsistit, calefacit. Mulier, *heus*, inquit, *mi homo, parum decet vos ad mulierculas, & in alienam domum sic venire.* Rodolphus: *Mea mater, miles sum, omnia mea in obsequio Imperatoris consumpsi.* Multa mala mulier in Imp. Quin ille vir est, qui nos & nostra perdit, pauperum scopulus & exitium. Rodolphus delectatus procacià mulierculæ: *sed, mulier*, inquit, *de me missum face, vos proprie* quâ re læsit? Ibi mulier exclamare: Ille ne, qui omnes pistores hujus urbis evertit. sed illa Amazon vas aquarium in prunas accensas jacit, & fumo, vapore, cinere perfusum ejicit. *Lips. cap.* XV. *in Mon. & Ex. Polit. lib.* 2.

Idem Rodolphus: monitus à suis, ut adventante Bohemiæ Rege Ottacoro, cultu ornatiore & Imperatorio se pararet. Imo Rex Bohemiæ, inquit, griseam meam vestem, h. e. cineream aut murinam Latinis, sæpe derisit, *nunc ipsum vestis mea grisea deridebit.* Factum, cum victus Ottocarus aurum suum submisit vili cultui Rodolphi. ad genua quoque accessit non sine ludibrio. *Ibidem.*

Carolus Quintus in cultu quoque tenuis. calumniam res habuit, cum Mediolanum ingrederetur. Cives novo domino omnia instruxerant. Vmbella aurea parata

parata, quæ ingredientem tegeret. Ille non semel Rex ac Princeps, in laneâ atrâ penulâ, & vili pileolo, sub eam se dedit. Videbant eum & requirebant. Matronæ præsertim & virorum vaniores, qui illusas auro vestes desiderant, &c. *Ibidem.*

Pulchrè de *Græcorum* luxu & *Germanorum* virili animo: Cum interim Græculi Imperatoris vestem & gemmas adspicerent. quibus ille ut floridum aliquod pratum, aut Alcinoi hortus, variè nitebat; *En*, ajebant, *vel in mediâ hyeme veris opes & gratias usurpate*, & oculos iis pascite & hilarate. Nihil ad hæc Germani. Sed qui veri Martis alumni, flammas nitoremque ex oculis in acie jaciant, & quorum sudor splendidis guttis defluens referat margaritas. *Ibidem.*

Multitia, sunt vestes sericæ vel bombycinæ, molli intextæ substamine, & in tantum tenues, ut singula membra per eas perspici possint. *Hinc Iuvenalis Satyr.* 2.

Cum tu multitia sumas
Cretice.
Cretice pelluces: dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit & porrigine porci.
Vvaque conspectâ livorem ducit ab uvâ, &c.

Periscelides, quæ vulgo genualia. Periscelis, ornamenti genus circa crura, quo mulierum gressus componi solebant. Hinc Horat. *Sæpe periscelidem raptam sibi flentis.* Ex περὶ circum, σκέλος crus.

Quod si latior ipsa vestis erat *Latus clavus* dicebatur. Hac soli Senatores & patricii utebantur; *Horat.*

Et Latum dimisit pectore Clavum.

Vnde *Laticlavos* appellari *Senatores* legimus. *Clavus* dicitur pro Senatoria dignitate, illo versu:

Curia restabat, clavi mensura coacta est.

Latus clavus igitur Tunica erat purpurâ prætexta, latior tunica vulgari, qua Senatores utebantur.

Ventus textilis. Vestis ventosa & tenuissima. Sic *ve-*

 stis

stis nebula, apud Petronium, significat pellucidam vestem propter nebulæ similitudinem. *Æquum est nuptam induere ventum textilem.*

Vestis virgata: non purpureæ; sed barbarorum ritu discolores, & veluti virgatis segmentis contextæ.

Alexander M. ingressus palatium Darii, vidensque illic supra modum regio ornatu instratum lectum, dixit, *Hoc non esse Regum, ut collocent fortunam in deliciis.* Regum esse suos subditos benè gubernare, illos virtute antecellere.

Diogenes hominem pulchris vestimentis ornatum & indoctum videns, vocavit ipsum *ovem aureo vellere instratum.*

Epaminondas non nisi uno usus vestimento, eoque sordido.

Agesilaus ornatissimis vestimentis habuit exercitum, ipse vilissimo semper corporis vestitu utebatur.

Phocionis uxor vestem Phocionis gestabat, nec aliis præterea opus habebat.

Cum Diogenes vidisset generosum quendam adolescentem muliebriter vestitum: *Non te pudet*, inquit, *qui pejus tibi velis, quam ipsa natura voluit?*

Seneca inquit; potest ingenium fortissimum sub qualibet cute latere: potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus; consimiliter potest in pannoso & sordidato corpore animus generosus ac robustus delitescere.

Socrates. Quemadmodum equus generosus non ex apparatu magnifico judicandus: sic nec vir bonus ex vestitu & habitu corporis.

Optimi cibi gratiam condimenta dissimulant, & pulcherrimam sæpè formam luxuria vestium obscurat.

Alphonsus, Quum vultu cultuque corporis non multum discreparet à popularibus suis, admonitus à quodam ut regio ornatu incederet, respondit: Malo moribus

moribus & authoritate meos excellere, quàm diademate & purpura.

Diogenes. Cum adolescens quidam comptior Diogeni proposuisset quæstiunculam: *Non tibi prius,* inquit, *responsurus sum, quàm sublatis vestibus ostenderis, utrum masculus sis an fœmina.*

Munditiæ mulieribus; viris labor convenit.

Ubi magna cultus cura, magna est virtutis incuria. *Virgilius.*

Vobis picta croco & splendenti murice vestis.

Augustus, qui veste non alia, quam domestica usus est, ab uxore, sorore & filia neptibusque confecta.

Dixit *Alexander Severus* Imperatoriam majestatem constare virtute, non corporis cultu.

Pileis infantium nonnullos vestit Natura. His ætas posterior putavit aliquid inesse ad eloquentiam & augendum quæstum. Unde obstetrices summa curâ servatos, tanquam thesauros vendebant advocatis. Lampridius in vita Antonini: *Solent deinde pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices Advocatis credulis vendunt, &c.*

De *Vestibus Literatorum* consule Progymnasma XIII. *Isac. Pontani lib.* 3.

De antiquo ritu vestiendi Romanorum lege *Rosinum lib.* 5.

VICTORIÆ. Vide *Principis Triumphi Pral. Pugna. Corona. Imperii. Belli.*

PAlmam ambire alicui Ego petam mihi palmarium: Spoliis opimis esse insignem.

Militari adoreâ potiri. Luctuosam victoriam hostibus relinquere.

Adoream veteres dicunt laudem, sive gloriam, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret quod ador nominatur. Gloriam denique ipsam à farris honore adoream appellabant. Tradunt ado-

ream dici laudem bellicam, ex eo quod adorandi sunt, qui laudem ex bello reportant.

Ἐπινίκια. Epinicia sunt celebritates pro parta victoria.

Fugalia. Festa fuerunt Romæ, in memoriam exactorum Regum liberatæque Reip. instituta.

Dea palmaris Victoria vocatur, quæ à palma arbore palmaris nominatur, quam in certaminibus victoriæ signum placuit esse.

Receptus fuit *Romæ* mos, ut quoties insigni victoria consules potiti essent ob res prospere gestas, laureatis fascibus prælatis incederent, Literasque laureatas Romam mittere, aut nuncios cum jaculis laureatis advenire, navemque laureatam aut vittatam.

Civica Corona appellatur, quam civis civi, à quo servatus est in prælio, testem vitæ salutisque perceptæ dat, eaque fiebat è fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus quernus fuit.

Obsidionalis Corona, spectatissimum insigne erat: quam ii, qui liberati sunt obsidione, dant duci. Hæc ex illo fiebat gramine, ubi cives obsidione erant liberati, quia nulla nobilior publicâ militari lege definitur.

Muralis Corona, ex auro: qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit.

Sepulchralis Corona ex apio fiebat; quibus majorum sepulchra ornabantur.

Navalis sive Rostrata Corona: quâ donari solet maritimo prælio, qui primus hostium navem armatus transilivit, eâque navium rostris insignita est, & ex auro fiebat. De his vide *Romam illustratam*.

Pyrrhus aliquando, inquit: *Si uno adhuc prælio Romanos vicerimus, actum est de nobis*. Quod victi solent dicere, hoc dicebat victor, declarans, victoriam magno emptam non esse victoriam, sed calamitatem.

Hermocrates ad Syracusanos dicere solebat: Non minor

minoris virtutis esse parta victoria benè uti quam vincere.

Alexander, audito Darium triginta Myriades in aciem producere, dixit: *Unus coquus non metuit multas oves.*

Spernenda est acies auro & argento fulgens, in quâ plus prædæ, quàm periculi est: cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quæratur.

Alexander se ipsum vincere, quàm hostes, magis regium esse existimabat.

Non est Victoria major
Quàm quæ confessos animo quoque subjugat hostes.
Fulgens auro radiante corona. Strinxerat auratos stellata corona capillis.
Ornatus viridi tempora pampino. Frons redimita corymbis.
Tuque ipse pia tege tempora vitta. Flavaque caput nectentur oliva.
Cætera populea velatur fronde juventus.
Bacche racemiferos hedera redimite capillos.
Ille caput flavum lauro Parnasside vinctus.

Ticitus *Magnum diem* felicissimæ & lætissimæ victoriæ diem appellat, quo totum bellum confectum, nullis inde reliquiis superstitibus.

Corona plectilis: quæ ex herbis odoratis plectitur: non conseritur neque suitur. Itaque à Sertis floribus & futilibus coronis differt.

Quippe res humanæ ita se habent, in victoriâ vel ignavis gloriari licet, adversæ res etiam bonos detrectant. *Sallust.*

Satis cito incipitur victoria, ubi provisum sit, ne vincaris. *Tacitus 2. Hist.*

Victorias illustres cap. XXVIII. lib. 3. Ravisius Textor recenset. Et de numeroso militum exercitu, deque cruore plurimo effuso. *Ibid. cap.* 26. 27.

Victores plerumque per fastidium & contumaciam hebescunt. 2. *Hist. Tac.*

Plusque illis socordiæ, quam fiduciæ accedit. 3. *Hist. Tac.*

De VICTORIIS consule locum Phil. Hist. *Goulartii* hoc Tit.

Romanos prælio victos juvit Germanorum aviditas, omissâ cæde prædam sectantium. *Tacitus.*

Sua etiam victoria obstitit, dum omissis telis, prædâ manus impediuntur. *Tacitus.*

Ita Romanis placitum, quantâ pervicaciâ in hostem, tanta beneficentiâ adversus supplices utendum. *Tacitus.*

In victoriâ vitandum, Princeps ne secundâ fortuna ad superbiam prolabatur. 11. *Annal.*

Nam rebus prosperis etiam egregii duces insolescunt. 2. *Hist.* *Tac.*

Cæcina nimiâ fortunæ indulgentiâ solutus in luxum. 2. *Hist.*

Agricola nunquam prosperitate rerum in vanitatem usus. Ipsâ dissimulatione famæ famam auxit. *Agric. Tac.*

Nam victores plerunque per fastidium & contumaciam hebescunt. plusque illis socordiæ, quàm fiduciæ accedit, *Tacitus.*

VETUSTATIS. Vide *Temporis. Annorum. Ætatis. Vitæ. Mortis.*

OMnia mortalium opera mortalitate damnata sunt, inter peritura vivimus. *Seneca.*

Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, rerumque nostrarum, si tanta celeritate raperentur cuncta, quàm finiuntur, *Idem.*

Timagenes, felicitati urbis inimicus, ajebat: Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quàm arsissent. *Idem.*

Quid illum octaginta anni juvant per inertiam exacti? Non vixit ille, sed in vitâ moratus est. *Idem.*

Non ut diu vivamus, curandum est, sed, ut satis. nam ut diu vivas, fato opus est; ut satis, animo. *Idem.*

At ille obiit viridis; sed officia boni civis, boni amici, boni filii exsequutus est. in nullâ parte cessavit. licet ejus ætas imperfecta sit, vita perfecta est. *Idem.*

Signatur præsente notâ producere nomen.
Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debentur morti nos nostraque, &c.
Nedum sermonum stat honos, & gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & res & norma loquendi, &c. Horat. de arte Poët.

VIDENDI. *Oculorum.* Vide *Obscuritatis.*

Circumspectare cum oculis emissitiis. *Plaut.*

In occipitio quoque habet oculos. Limulis oculis aliquem intueri.

Facetis & doctis dolis glaucoma ob oculos objicere.

Quorum in vultu habitant oculi mei. Plus est oculatus testis unus, quàm auriti decem. *Idem.*

Quæ in occipitio quoque habet oculos pessima. Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident. *Idem.*

Cujus mox frontem curiosa speculatione lustravi.

Nunquam ultra limen produxit audaciam oculorum.

Augusto oculi clarissimorum adinstar siderum fuerunt, quos actius intuentes, vultum dejiciebant.

Atrei oculis aliquem intueri, hoc est, torvis ac truculentis. Atreus suspicatus Thyestem fratrem cum uxore sua mœchari ejus liberos discerptos coctosque patri epulandos apposuit.

Heu! ubi ego sum? Quatuor lustris minor excutio,

& nisi vitrea auxilia sublevent, vix legam aut scribam. *Lipsius.*

Est enim in vagis & cursim errantibus oculis irrequietæ indicium mentis.

Timon Nicæus, cum luscus esset, & discipulum Dioscoridem luscum apud se haberet, in se ipsum sæpè ludebat, ridens, quod duo homines duos tantum oculos haberent.

Heliogabalus adeò vitio oculorum fuit delectatus, ut sæpè lusciosis convivium appararet.

Lynceo cernis acutius. eâ oculorum præditus fuit acie, fratrem suum à Castore interfici per abietem viderit.

VENENI. *Venefica. Magia.* Vide *Interfic. Mortis.*

DE Veneficis & Magiâ *vide off. Text.* cap. 17. & 18. lib. 4.

Horat. Epodôn lib. Odâ 17. De Canidiâ. *Et in 3. ibid. Et v. ibid.*

Inprimis egregiè de his tractat *Delrio* in Magicis Disquisitionibus.

Baccare frontem Cingite, ne noceat Vati mala lingua futuro. Virg. Ecl. 7. *Baccar* herba est ad repellendum fascinum.

Vile telum est, ima quod tellus creat.

Cœlopetam venena. Sen. in Med.

Veneficii quæstio & moribus & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est. Quæ cum viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, unius ancillæ indicio protractæ. pars capitali judicio damnatæ, centum septuaginta numerum expleverunt. *Val. Max. lib. 2. cap. V.*

Quotcunque gramen mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicib.
Causas nocendi gignit, attrectat manu. Sen. in Med.
Postquam evocavit omne serpentum genus
Congerit in unum frugis infaustæ mala:
Quæcunque generat invius saxi Eryx;

Quæ

Quæ fert opertis hyeme perpetua jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei;
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis,
Et queîs sagittas divites Arabes sinunt.
Etc. Ibidem plurima talium.
Diris obsessa venenis Palluit.
Infando saturatas carmine frondes. Lucan.
Illa Magas artes Ææaque carmina novit.
Carmina dum capiti diro malefida canuntur.
Carmen Auxiliare canit, secretasque admovet artes.
Ter decies carmen Magico demurmurat ore. Ovid.
Vidi, Impia vidi, signa figurantem dextrâ, tacitisque loquentem
Nescio quid magicum labris.
Multaque Chaldæo molitur fœmina cantu.
Conveniunt & qui fumantia consulit exta
Qui rimatur aquas & qui considerat ignes,
Qui pluvias, specula & pelves, nitidasque secures
Inspicit, & temerè descripta in pulvere signa,
A tellure trahens nomen, qui intelligit auras
Qui lemures Orco ciet, & genus omne magorum. Mantuanus.

Magia species ex Mant. Tom.2. Parth.6.

De *Iasone*, *Medea*, *Circe* Legatur *Natalis Comes* libro 4. cap.8.9.10.

Lege *Lucanum lib.6. Pharsalici*, ubi mirifica quædam & planè monstrosa Magiæ vis & efficacia, habitus veneficæ, incantandi ratio prodigiosa, verba, gestus, Pharmaca. &c.

De Supplicio *Magorum & venenatorum* vide Tit. *Iudicii.* De *Veneficiis Bestialibus* vide *Ed. Neuhusium* lib.1.

VINI, Vide *Bibendi. Sobriet. Temp. Abliguriendi.*

QUi utuntur vino vetere, sapientes puto. *Plaut.*
Vinum edentulum eleganter Plautus appellat, quod vetustum intelligi vult, & ob id pretiosum: sic

ut senes ob vetustatem edentuli fiunt, hoc est, sine dentibus.

Ex vino, inquit *Plinius*, rerum omnium oblivio est, morsque memoriæ.

Divinus *Plato* animi mores in vino patere asserit.

Persa cujusdam celebratur Apophthegma, qui negavit, tormentis opus esse ad exquirendum verum, vino enim rectius elici.

Sylla suis amicis vinum quadragenarium exhibuit.

Iulius Pomponius cœnam olim dedisse dicitur, in qua vinum CLX annorum propinavit.

Pyrrhi in Tarento miles, qui accusatus, quod per temulentiam liberius multa in Regem dixisset, *Imò*, inquit, *& ista dixi, & longè acerbiora dicturus fueram, nisi me lagena defecisset.*

Majus est vinculum ad alligandos homines vinum, quam funes, quàm pedicæ & compedes.

Vinum luctator dolosus est, ut inquit *Plautus*: pedes captat primum.

Virgilius de uvâ scribens dixit: *Tentatura pedes primum vincturaque linguam.*

Bile defervescente redit animi sanitas & vino concocto redit sobrietas. *Erasm.*

Terentianus adolescens queritur sibi data verba. *Vicit*, inquit, *vinum quod bibi.*

Qui vult hominem vincire vinculis firmissimis, is vinciat vinculis vinariis: quibus nihil firmius ad homines alligandos.

Vinum *laticem* vocamus, quod lateat intra uvam. Latices Palladii sumuntur pro olei liquore, *apud Ovid.*

Liberum autem Bacchum ex eo dictum autumat Seneca, quia liberat servitio curarum animum. Quidam Liberum voluit dici propter Libertatem dicendi, quia in vino liberè loquimur.

Si *Plutarcho* credimus, Liber dicitur, quòd pro Græciæ libertate pugnavit.

Diem

Diem festum dicatum Libero patri, *Liberalia* vocant, à Græco vocabulo Dionysio.

Horatius scitissimè craterem vini,
Sodalem Veneris *appellat.*

Nihil sic inflammat medullas & titillat genitalia, quàm vinum. Hinc Poëta:

Et Venus in Vinis ignis in igne fuit.

Vinum & pueri sunt veraces.

Ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit.

Vino forma perit; vino corrumpitur ætas;
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo,
Digna est concubitus quoslibet illa pati. Ovid.

Plato pueris vinum dari prohibet, & ignem vetat igne incitari.

Vinum caret Clavo: quo significatur nihil consultè & moderatè faaere ebrietatem. Obruitur enim ratio, quæ clavi vice sobrios gubernat.

Sumpto madefactus membra Lyæo. Miti delusus Iaccho. Multo perfusus tempora Baccho. Somno vinoque sepulti. Virg.

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitiâ dignus. Horat.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo. Ovid.

Natat in linguâ ebrii, quod latet in corde sobrii. *Eras.*

De *Nerviis*, quos modò Tornacenses vocant, nihil illos pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus languescere animos, illorumque remitti virtutem existimarent.

Quanquam tamen *moderata vini potio* corpori non incommoda est. Siquidem evidentem concoctioni ac digestioni, quam Græci διαφόρησιν vocant, auxiliatur sanguinis denique generationi efficaciter præsidium adfert, eumque defecatiorem præstat, omnes animi

animi nebulas discutit, mentique tristitiam & moerorem eximit.

Vt enim ferrum ignis potentiâ, ita animi affectus vino emolliuntur. *L. Lemnius.*

Sic visum est *Platoni*, fomitem esse quendam & incitabulum ingenii virtutisque, si mens hominis leniter vino incalescat. *Idem.*

Moderatis, honestisque inter bibendum remissionibus redintegrantur animi, atque ad studendum aliarumque rerum intentiones capessendas fiunt habiliores. tum vitia quædam hilaritate discutiuntur, quæ severitate corrigi nequeunt. *Cicero de Legibus.*

Morem hunc, qui in Symposiis inolevit, quemque in Soteriis, atque in orbem redeuntibus Charistiis observari passim videmus prorsus tolli atque aboleri par est. *L. Lemnius.*

Laudata est olim *Romuli* temperantia, quem vocatum ad cœnam parcissimè bibisse referunt, quod postridie negotium haberet. Ibi convivatores. Si isthuc, inquiunt, Romule omnes facerent, vinum foret vilius. Tum ille, Imo verò charius, inquit, si quantum quisque volet, bibat. nam ego bibi, quantum volui.

Vinolentia non est temulentia, nisi adsit linguæ petulantia. *Erasm.*

Prisco si credas, Mecœnas docte, Cratino,
Nulla valere diu, nec vivere carmina possunt
Quæ scribuntur aquæ potoribus. Horat.

Bacchus dictus Βουγενὴς propter cornua, quasi bove natus, quod homines ebrii trucibus bobus sint similes. Igitur Baccho affinguntur cornua. & Hinc dictus ταυροκέρατος.

Phaneus dictus, διὰ τὸ πάντα φαίνειν, quod omnia faciat apparere. Phaneus mons est in Chio insula, ferax optimi vini.

Sabazius dictus, ἀ σαβάζειν, quod est vociferari..

Hymenæus, quod nuptiarum Deum Hymeneum proximè contingat: cujus sacra sine Baccho inania.

Evaster

Evastes à Gr. Ἐυάζειν, invocare Bacchum; Vetus enim formula: *Evan*, *Evöe*. *Lygereus* dictus à populis Lygereis, apud quos colebatur.

Nam quis plura linit victuro dolia musto? Iuvenal. Sat.9.

Quare Bacchus pingatur Cornutus, lege tractatum super hoc *Camerarii Cent.1.cap.93.*

Vide de Baccho totum tractatum in *Rosino de Antiq. Rom. lib.2. cap.XI.*

Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis. Virg. 1. Georg.

Ætolus Pastor, Staphylus, qui cum Oenei capellas pasceret, notavit unum è grege secedentem, lætiorem cæteris serius domum redire. Cujus rei ut causam cognosceret, secutus est eam clanculum, & in remotâ stirpe animadvertit uvam decerpere. Illam igitur transtulit, & Oeneo domino suo obtulit. Hic expresso humore, admodum delectatus est, & didicit vetustate mitescere. Itaque Libero patri cum eum hospitio excepisset, humorem illum miscuit. Et Liber cum usum docuisset, ut perpetua inventorum esset gloria, constituit, ut uva σταφυλὴ, vinum οἶνος diceretur.

Pausanias in Laconicis in monte supra Migonium reliquit uvam maturam prius fuisse inventam. quo in monte ineunte vere dies festos agitabant in honorem Bacchi; Non minor tamen gratia illi asino habenda est, quem Naupliæ incolæ lapideum erexerunt, quia putationem vitium invenit, quàm Baccho, qui vires tantum ostendit mortalibus. Nam absque putatione vitis nulla. Cum igitur asinus vitis pampinos Naupliæ abrasisset sarmentorum putatio visa utilis. *Natalis Comes lib.5. cap.*XII.

Thyasus, saltatio sive chorea dicitur, quæ à Baccho exhibebatur à verbo θυάζειν, quod est orgia celebrare. Virg. *Daphnis thyasos inducere Baccho.*

Admirabiles erant res gestæ Baccharum quippe cum illæ vel terram virgâ percutientes dictæ sunt vini rivos è terrâ excitâsse, & mal & lac. Etiam

fulvos

fulvos leones ac tygres montibus secum educebant, &c.

De *Vitibus* lege Tirg. Georg. lib. 2. Quid *Thasia* vites, *Mareotidos* albæ. *Pretia. Aminea.*

Et tumidis Bumaste racemis. Βύμαστος, tanquam bovis mamma. & Latinis ideo *Bumammia*, quod magnitudine mamillas vaccæ imitetur.

Vini & Bacchi Cognomina varia reperire licet in Doctissimo tractatu D. HEINSI, Qui, inscribitur *Laus Bacchi*, Belgicè. Dignum commentarium Libero Patri appendendum.

Evius, Hoc illi cognomen à Baccho inditum, in bello, quod gigantes cum Diis gesserunt. Fabulantur Poëtæ, cæteris Diis perterritis, Liberum Patrem se in Leonem convertisse, unumque ex Gigantibus interfecisse. Ob rem tam strenuè gestam, *Euhyon* dictum.

Bromius dictus ἀπὸ τοῦ βρέμειν à fremendo, vel ἀπὸ τῆς βροντῆς à tonitru, quod natus sit cum tonitru ejus genitrice Semele fulmine peremptâ.

Dithyrambus, quia bis genitus ἀπὸ τοῦ δὶς εἰς θύραν ἀναβαίνειν, quod per duas portas egressus. Bis enim natus dicitur. Semel ex Semele. Tunc matre fulmine percussâ, ut maturus ederetur, ad justum tempus Iovis femori insutus fuit.

Eubulos quoque dictus, quod bona det consilia: quasi sobrii parum emunctæ maris fiant. Quod plerumque verum. *Hyeus* quoque dictus, παρὰ τὸ ὕειν, quod pluere, nam suo vino tanquam pluviâ homines inundat.

Bassareus dictus, à vestis genere, qua Bassarides Bacchi sacerdotes induebantur. *Lyæus* παρὰ τοῦ λύειν, quod solvat nos sollicitudinibus. Quod cum *Libero* Idem.

Trieterica Bacchi sacra, quæ tertio anno sumptuosiora annuis ejus Orgiis agitabantur. Instituta sunt, cum de Indiâ Liber pater victor rediisset, à triennio, quo pergrinatus est. *Trietericus* idem est, quod triennalis. Hinc Virgil.

---*Audito*

---- *Audito stimulant trieterica Baccho Orgia.*

Dionysus quod pupugerit Iovis femur, cum natus esset cornutus. Sed Nonnus illum vocat Dionysum, quia Iupiter claudus esset, & illum assutum femori gestabat.

Poculum boni Dæmonis solitum in extremâ cænâ circumferri. quia Bacchus lætitiæ dator, & bonus Deus Dionysus vinum invenisset.

Mænades uxores Bacchi. ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι h. e. insanire. *Thyades* ἀπὸ τοῦ θύειν ab offerendo.

Nomius dictus, siue θεσμοφόρος h. e. Legislator. quia, cum ex India reverteretur, domesticorum perfidiam expertus, illorum insolentiam legibus inhibuit, hostesque profligavit. Plura vide in *Natali Comite lib.* v. *Cap.* XII. *Bacchus*, *Iacchus* ab incondito clamore.

Dionysius, ut alii volunt, quasi διδόνυσος, παρὰ τὸ διδόναι τὸν οἶνον. quod largiatur vinum vel quasi διάλυσος, quod curas solvat. Macrobius sic nominatum vult à Physicis, quasi Διὸς νοῦν Iovis mentem. Alii ἀπὸ τοῦ νύσσειν διὰ, quod excitet mentem. Hæc *Fungerus in Etymologico*.

Virg. *Molibus in pratis unctos saliere per utres.*

Caper Baccho sacer. Ex hujus pelle utres faciebant, quos inungebant, ut super istis saltantes ludicra agerent. Athenienses irati capro, quod vites corrosisset. Igitur eum mactabant. Hæc festa ἀσκώλια dicebantur. Et illi qui hoc ludo se recreabant ἀσκωλιασταὶ.

Thriambus, quod primùm triumphaverit, victor veniens ex Indiâ. Quod Græci θριαμβεύειν, & Triumphum θρίαμβον vocant. Ex θρία, quod folium fici significat, quo Bacchus primum coronatus, veniens ex Indiâ.

Nyctelius, quod ejus sacra noctu celebrabantur. ἀπὸ τῆς νυκτὸς.

Lenæus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ à prælo, sive torculari.

Hinc

Hinc *Lenades*, sacrificulæ Bacchi.
Horat. Od.XXI. lib.3. Car. ad Amphoram:
O nata mecum Consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam & insanos amores
Seu facilem pia testa somnum.
Moveri digna bono die
Descende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro. Tu sapientum
Curas & arcanum jocoso
Consilium relegis Lyæo.
Narratur intonsi Catonis
Sæpe mero caluisse virtus, &c.

HORATIANA.

O fortes majoraque passi
Mecum sæpe viri. nunc vino pellite curas,
Cras ingens iterabimus æquor. Od. 7. lib.
Sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitæque labores. Ibid.
Dissolve frigus, ligna super foco
Largè reponens. Atque benignius
Deprome quadrimum Sabinâ
O Thaliarche merum diotâ. Od.9. lib.1.
Vina liques & spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit
Invida ætas carpe diem quàm minimum
Credula postero. Od.XI. lib.1.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbrâ. nec Semelejus
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia. Oda 17. lib.1.
Nullam Vare sacrâ vite prius severis arborem.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat.
Od.XVIII. lib.1.
Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græcâ quod ego ipse testâ

Conditum

Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus. Od.xx. lib.1.
Cæcubum & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam, mea nec Falerna
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles. Ibid.
Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum! discrepat. impium
Lenite clamorem sodales, & cubito
Remanete presso. Od.27.lib.1.
Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna vitem. dives & aureis
Mercatur exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce. Od. 31. lib. 1. Vide Voluptatis.

VINDICTÆ. Vide *Compensandi. Ira. Manumiss. Libertatis.*

QUemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat: sic vino exæstuante, quicquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. *Seneca.*

Nôsse profuit, ut calentibus ingeniis subtrahatur vinum. quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne excitari. *Seneca.*

Ultionis quemadmodum acres, ita justi aculei sunt. qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes. *Val. Max. lib.9. cap.10.*

De vindictâ agitur apud *Ioann. Fungerum* in Etymol. in verbo Vindicta.

Aliqui à *Vindicando* h. e. asserendo in libertatem. Alii à *Vindicio* Vitelliorum, qui de Tarquinio in urbem reducendo initam conjurationem patefecit.

Troja

Troja renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur.
Ducente victrices catervas
Conjuge me, Iovis & Sorore.
Ter si resurgat murus aheneus
Authore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Archivis: ter & uxor
Capta virum puerosque ploret. Horat. lib.3. Carm. Od.3.

Vltionis contumeliosissimum, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. *Seneca.*

Paulisper mœstus è conspectu abit. dein, ubi ira & ægritudo permixta sunt, cum maximâ curâ ultum ire injurias festinat. *Sallust.*

Sed securitati, antequam vindictæ consulendum. 11. *Annal.*

Vindicta levis est, quam ferunt parva manus. Sen. in Med.

Diris agam vos: dira detestatio
Nullâ expiatur victimâ.
Nocturnus occurram furor
Petamqme vultus umbra curvis unguibus
Canidia Horatiana.

Adest, adeste sceleris ultrices Deæ.
Eumenides sc. Pœnæ, Furiæ. *Seneca in Med.*

Qui quæ in aliis vindicârant, ipsi commiserunt. *Val. Max. lib.* VIII. *cap.* VI.

De Pœna Talionis agit *Th. Camerar. Cent.* I. *cap.* 99.

Ibidem de Vindictæ nefandæ Cupiditate *cap.* 84.

Rota resistat membra torquens, tangat Ixion humum
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
Gravior pœna sedeat conjugis socero mei:
Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
Vos quoque urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides coite. Vestras hic dies quærit manus, &c. Sen. in Med.

Nunc summe toto Iupiter cælo tona,
Intende dextram, vindices flammas para.

Omnemque

Omnemque ruptis nubibus mundum quate.
Nec diligenti tela librentur manu, &c. Seneca in Med.

Quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas ultio. Juvenal. Sat. 13.

VIRTUTIS. Vide PIETATIS, *Dei. Probitatis. Justitia. Modestia. Fidei. Clementia. Castilatis, &c.*

Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum semper qui rectè facit. *Plaut.*

Nulli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges & exules. *Seneca.*

Non eligit domum nec censum: nudo homine contenta est. Adeò gratiosa est virtus, ut insitum etjam sit malis probare meliora. *Idem.*

Non recipit sordidum virtus amatorem: soluto ad illam sinu veniendum est. *Idem.*

Virtus est proprium hominis bonum. Divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est: Virtus clara æternaque habetur. *Sallust.*

Omnia adsunt bona, quem penes est virtus. *Plaut.*

Gloria virtutem tanquam umbra sequitur. Optimus animus pulcherrimus Dei cultus,

Alexander Severus imperium in Virtute esse, non in decore, dixit.

Nulla vis major pietate verâ est.

Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο.

Conciliatrix amicitiæ, virtutis opinio. *Cicero.*

Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum. Etiam si quid obstat, & nubilum intervenit. *Seneca.*

Virtus nullo honestamento eget. ipsa & magnum sui decus, & corpus suum consecrat. *Idem.*

Nulla virtus latet. & latuisse, non ipsius est damnum.

num. Veniet, qui conditam & sæculi sui malignitate compressam dies publicet. *Idem.*

Virtus non contingit animo nisi instituto & edocto. *Idem.*

Virtus supra ista consistit suo ære censetur. *Idem.*

Virtus extollit hominem & supra cara mortalibus collocat. *Idem.*

VIRTUS ROMANA.

ROmani domi militiæque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatatem, patriam parentesque armis tegere. *Sallust.*

Magisque dandis, quàm accipiundis beneficiis amicitias parabant. *Idem.*

Delecti, quibus corpus annis infirmum ingenium sapientia validum erat. *Idem.*

Magisque in decoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis atque conviviis lubidinem habebat. *Idem.*

Virtus omnia domuerat. gloriæ maximum certamen inter ipsos erat. *Idem.*

Laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem divitias honestas volebant. *Idem.*

Concordia maxima, minima avaritia erat. jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant. Cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. *Idem.*

In bello sæpius vindicatum in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quàm qui signa reliquêre. *Idem.*

In pace, beneficiis magis, quàm metu imperium agitabant. acceptâ injuriâ ignoscere, quàm persequi malebant.

Pars magna bonitatis est, velle fieri bonum. *Seneca.*

Non

Non est hujus animus in recto, cujus acta dictis discordant. *Idem*.

Non tam valetudine profuit utilis regio, & salubrius cælum quàm animis parum firmis in turba meliorum versari.

Vbi gloriam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est.

Themistocli, quem Miltiadis trophæum non patiebatur aut dormire, aut cessare, gloriæ studium excussit amorem voluptatum, clavum, ut ajunt, clavo.

Virtus repulsæ nescia sordida, Intaminatis fulget honoribus. Horat.

Virtus una est altissimis defixa radicibus, quæ nec vi labefactari, nec loco dimoveri potest. *Cic.*

Cato esse, quàm videri bonus maluit.

Virtuti vera laus debetur. Virtute nihil est formosius, nihil pulchrius, nihil melius. Virtus beatum facit, honoratum, nobilem. Cætera omnia caduca sunt, mobilia; Virtus sola temporum fortunæque vices nescit: in tempestate quieta, in tenebris splendida, non obsolescens alienis sordibus, non debilitata incommodis suis. *Cic.*

Omnium virtutum tenera sunt principia: tempore ipsis duramentum & robur accedit.

Diogenes homines illos, qui pluribus verbis virtutem prædicarent, nihilominus ad eam conformantes vitam, dixit similes esse Cytharis, quæ quidem dulcem edunt concentum, nihil tamen intelligunt.

Bion videns aliquem in marmore hominis faciem exprimere: *Resp.* incumbe in id potius, ut rei benè gestæ memoria Incidatur lapidi, non verò lapidi per inscitiam assimileris,

Romani soliti in larario secum ferre imagines clarorum virorum, ut illas intuiti, simili virtute incenderentur.

Antisthenes dicere solebat: Virtutem esse armaturam, quæ detrahi non possit.

Idem assiduè dicere solet: *Virtutem sibi sufficere ad felicitatem*, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico.

Bonus vir sine Deo, nemo est. Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos. In unoquoque bonorum habitat Deus. *Seneca*.

Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. *Seneca*.

Heroes dicti sunt à veteribus Viri nobiles, qui gestis rebus proximè ad Deos accesserant. Græci derivârunt ἀπὸ τοῦ ἔρως τῆς ἀρετῆς ab amore virtutis, alii ab Hera h. e. terra. alii ἀπὸ τῆς ἥρας, *Iunone*.

In homine nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum fœnoret, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat; sed quam bonus sit. *Seneca*.

Quæramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum & æquabile & à secretiore parte formosius. *Seneca*.

Phocion Atheniensis hanc divinam esse legem dicebat: ut unica virtus sit potens, reliqua autem cuncta nugæ.

Pittacus interrogatus, quid esset optimum? Quod in præsentia, inquit, occurrit; benè agere.

Virtus non tam formosum corpus, quàm animum quærit, potestque sub qualibet cute ingenium beatissimum latere: Et sicuti potest in humili casula vir magnus habitare, ita potest in deformi corpusculo formosus animus ac magnus existere. *Seneca*.

Videtur mihi Socrates in exemplar editus, ut scire possemus non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.

Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœnoret, à quàm multis salutetur, quàm pellucido poculo bibat, sed quàm bonus sit. *Seneca*.

Virtutem non flamma, non ruina inferius adducet,

oet. Hæc una Majeſtas deprimi neſcit, nec proferri ultra, nec referri poteſt. *Idem.*

At ingenii præclara facinora, ſicuti anima immortalia ſunt. *Salluſt.*

Emitur ſola virtute poteſtas.

Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem. Circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam. *Seneca.*

Ad Virtutem,
Ex Ciceronis Paradoxis, Senectute & Lælio de Amicitiâ.

Optimi cujuſque animus in morte facillimè evolat, tanquam è cuſtodiâ vinculiſque corporis. Cui cenſemus curſum ad Deos faciliorem fuiſſe, quàm *Scipioni?*

Noſtræ amicitiæ recordatione ſic fruor, ut beatè vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim: quo cum mihi conjuncta cura de Rep. & privata fuit. quo cum domus fuit, & militia communis, & in quo eſt omnis vis amicitiæ, voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio.

Quod ſi curam fugimus, Virtus fugienda eſt, quæ neceſſe eſt, ut cum aliqua curâ res ſibi contrarias aſpernetur, atque oderit, ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo.

Neque enim ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt.

Et angor ille, qui pro amico ſæpe capiendus eſt, non tantum valet, ut tollat è vita amicitiam, non plus quàm ut virtutes, quia nonnullas curas & moleſtias afferunt, repudientur.

Neque unquam ego illum bona perdidiſſe dicam, ſi quis pecus aut ſupellectilem amiſerit.

Quod rectum & honestum cum virtute est id solum opinor bonum.

Qui dicunt voluptatem esse summum bonum, hæc mihi pecudum non hominum esse vox videtur. Tu, quum tibi sive Deus, sive mater, ut sic dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil divinius, sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te & quadrupedem aliquid putes interesse?

Mors terribilis est iis, quorum cum vitâ omnia exstinguuntur. non his, quorum laus emori non potest.

Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantiâ rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus ut mœnibus septus, vincetur & expugnabitur, qui nec civitate quidem pelli potest?

Non erat illa civitas, quum leges in eâ nihil valebant, quum judicia jacebant, quum mos patrius occiderat. Quum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in Rep. non erat.

Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus Resp. invicta stat, &c. Tum ego me accepisse confiterer injuriam.

Hactenus Cicero.

De *Virtute Romanâ & Pietate* lege Romam illustratam *I. Lipsii. Ibidem* agitur contra Virtutem, Abstinentiam, Continentiam Romanorum. Et Excusatio Objectorum.

De Virtute Pop. Romani legatur disertissima Oratio *Danielis Heinsii* XII. De Primâ Romanorum Ætate, & prima ejus populi virtute.

De *Virtutibus Regis* lege Hist. Phil. *Goulartii*. hoc Tit.

HORATIANA.

Dii me tuentur: Dîs pietas mea
Et Musa cordi est. Hinc tibi copia

Manabit

Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu. lib. 1. Od. XII.

Persicos odi puer apparatus,
Displicent nexa Phylura coronæ:
Mitte sectari rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores. lib. Od. 38.

Latinus regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus jungas: & uterque Pœnus.
Serviat uni. Lib. 2. Od. 2.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem. Ibid. Od. 3.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo: neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare. sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela. Ibid. Od. X.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum:
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert. Ibid. Od. 16.

--- *Mihi parva rura,*
Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus. Ibidem.

Iustum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ. Od. 3. lib. 3.

Dos est magna, Parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas. Od. 24. lib. 3.

Vt Ulysses ille, donec Leucothea velum illi supposuit, natat nigrum pontum: sic tu hoc vitæ salum, donec pectus tibi præcinxereit candida illa Dea. *Lips.*

Aromata ut odorem ſemper aliquem adfricant tangenti: ſic boni & modeſti auram aliquam ſuæ Virtutis. *Idem.*

Sicut arborum illæ optimæ, quæ non florem ſolùm, ſed fructum ferunt: Sic hominum, quibus præter ornamenta doctrinæ, vita etiam eſt ad frugem. *Idem.*

Miſericordiam appello inclinationem animi ad alienam inopiam aut luctum ſublevandum. Miſericordiam tibi permitto, non miſerationem. An tu virtutem ullam in mollitie & abjectione animi eſſe cenſes?

Noſter verus ille miſericors adſpiciet aliena mala humanis oculis, ſed tamen rectis: adducto quodam vultu affabitur, ſed non lugubri aut dejecto. Solabitur fortiter, juvabit liberaliter, & faciet benignius quàm dicet, & manum potius egeno aut lapſo porriget, quàm verba. *Lipſ.*

Bella eſt elegantia & comitas iſtorum morum. Quis neſcit aut negat? ſed, ſapientia ſi adjungitur, & ejus mater, aut proles *Modeſtia*, quantum decus accedit! ſicut auro à gemmâ. *Lipſ.*

Probitatem appello rectum & ſine fuco virtutis amantem animum, quique ipſam propter ipſam, non commodum aut famam, amat. *Idem.*

VITÆ. *Vivendi. Mortis. Vetuſtatis.* Vide *Agri, &c.*

BEnè vivere, bis vivere. Meus ſcrupuloſam victus commeat vitam.

Æternum dapinabo tibi victum. Mihi rem ſummam credidit cibariam.

Vivere pancraticè & athleticè. Anni ſedecem flos ipſe.

Exiguum nobis vitæ curriculum circumſcripſit natura, immenſum gloriæ.

Vivo, & magis traho ſpiritum quàm duco.

Ægyptii olim ſapienter, qui *domos* has noſtras, *Hoſpitia*

Hospitia appellabant, *Sepulchra* autem *domos*, nam mora quàm brevis sæpè in illis est, quàm in istis certa & æterna.

Sicut in aquâ pisces ludunt; in aëre aves volitant securæ insidiantium: at illos hamnus adducit, istas rete involvit: sic, fit nobis, & aliquem è magno grege assiduè venatur, & capit pallens hæc diva.

Cum fabula Histrionum vita nostra comparatur: ultimus actus est senectus; vita decursa est peracta fabula. *Idem.*

Tricæ & spinæ hæc omnis vita, & falleris, si quæris in ea gaudiorum flores. *Idem.*

Vt Athletæ in stadio oculos ad metam & bravium intendunt: sic nostra mens debet ad cælum & æternam illam palmam. *Idem.*

Vitæ hoc *salum* ut sic dicam, serio ingredi jam incipis. Pueritia & Adolescentia tua lusit adhuc circa littus. *Idem.*

Apud *Deum* vita longa non optima; sed innocentissima. *Idem.*

Nihil hic diuturnum, & verâ imagine tibi exprimam nostram vitam? Vidisti fabulas haud dubiè ætitari. Prodeunt Reges, Satrapæ, alia officia & quidem Satellites ac personæ in speciem & multæ. Ecce alii diutius ex iis hærent in scenâ & loquuntur, alii ostendunt se tantùm & vocem non edunt. Simile nobis est, qui vario munere aut dignitate in theatrum hoc universi mittimur: Alii silentio transimus, aut ostendimur tantum. Nihil tamen deterior ille, qui in vili veste, qui non diu hæsit, quàm ille qui Regem aut longum carmen egit. *Idem.*

Malè vivunt, qui semper vivere incipiunt. *Seneca.*

An nunc vivat nec ne, Orcum scire oporteat. *Lips.*

Xerxes de alta turri prospiciens; *Quis horum*, inquit, *post centum annos superstes?*

Milo Crotoniates jam senex, ludis tamen delectaba-

tur. Tandem corpus suum debile contuitus, *Eheu! inquit, jam robora mea video intermortua.*

Seneca. Omnes, Lucili, horas complectere: Sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. Dum differtur vita, transcurrit. Quicquid ætatis retrò est, mors tenet.

Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. *Idem.*

Malè vivunt, qui semper vivere incipiunt.

Quidam antè vivere desierunt, quàm inciperent. *Idem.*

Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret? *Seneca.*

Æquo animo debet rediturus Exire. *Idem.*

Effugere potes necessitates, non vincere. *Idem.*

Observa orbem hunc rerum in se remeantium. Videbis in hoc mundo nihil exstingui; sed vicibus descendere ac resurgere. *Idem.*

O quam contempta res est homo, nisi supra humana se erexit! *Idem.*

Mors sola fatetur quantula sint hominum corpuscula. Iuvenal.

Satillum animæ, hoc est, brevissima vita.

Ephemeris vita: dicitur de iis, qui statim moriuntur.

Temporis punctum.

Spithama vitæ, hoc est, modus vitæ pusillulus.

Is mihi vivere demum atque anima frui videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. *Sallust.*

Omnes homines, qui se student præstare cæteris animantibus, summâ ope niti decet, ne vitam transigant, veluti bruta pecora: quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. *Idem.*

Dies ille, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis est. *Seneca.*

Theophrastus

Theophrastus naturam arguit, quod corvis diuturniorem vitam dederit, quàm hominibus.

Falsò queritur de naturâ suâ genus humanum, quod imbecille atque ævi brevis, sorte potius, quam virtute regatur. *Sallust.*

Tu ne quæsieris scire, quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint, nec Babylonios
Tentâris numeros. Od. XI. Horat. lib. I.

Vitæ genere nemo contentus.

Laudant diversa sequentes.
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus austris,
Militia est potior. Quid enim? concurritur hora
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub Galli cantum consultor ubi ostia pulsat. Horat. Satyra I. Serm. lib. I.

Festinat enim decurrere velox.
Flosculus angustæ, miseraque brevissima vitæ
Portio, dum bibimus, dum serta, unguenta Puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus. Juvenalis Sat. 9.

Ultimus dies putandus extremus. Vide *Horat. lib. I. Epist. Sat. IV.*

Socrates aleæ ludo vitam similem esse dicebat, & quicquid evenit, veluti quandam tesseram disponere oportet. Non enim denuò jacere oportet, neque tesseram aliter ponere.

Comœdia est vita humana. Est enim ceu ludus quidam, in quo unus quisque agit personam suam. *Lips.*

Epictetus, vitam fortunæ conjunctam torrenti similem esse dicebat: Turbulenta enim, plena cœno, ingressuque difficilis, violenta & obstrepera est, & breve tempus durat.

Lipsius. Quid hæc vita, quam eripi lugemus? Ludibriorum Scena, miseriarum mare. Per quod, ut maximè ex voto feratur navis, tamen in multos sco-

pulos impingas: Multis vadis obhærescas necesse est.

Est mare quoddam hæc vita; fluctus in ea assiduè; sæpè tempestates. *Idem.*

Quid βίος, nisi βία, hoc est, vis & molestia? Quid σῶμα, nisi σῆμα, sepulchrum? χρῶμα, nitor; πτῶμα, cadaver? Quid δέμας, nisi δεσμός, vinculum? Quid γένεσις, nisi εἰς τὴν γῆν ὦσις, hoc est, in terram dejectio? βίος ἀβίωτος, vita non vitalis, quæ plena miseriarum.

Vna est catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ. *Seneca.*

Incertum est, quo loco te mors exspectat. Itaque tu illam omni loco exspecta. *Idem.*

Quomodo fabula, sic vita: non quamdiu, sed quam benè acta sit, refert. nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. quocunque voles, desine. tantum bonam clausulam impone. *Idem.*

Quid hæc humana sunt, nisi jactationes & fluctus, in quibus nihil firmum est, nisi ad anchoram ea alliges veræ pietatis? *Lips.*

Quid querar? quid natus sim, scio. imbecillum corpus, fragile, & ad omnem contumeliam projectum, morbi pabulum, mortis victima. *Idem.*

Senectus nititur duobus scipionibus quasi: *Recordatione vitæ honestè anteactæ; Et spe vitæ melioris.*

Seneca ait: Ante Senectutem curavi, ut benè viverem: in senectute, ut benè moriar.

Non enim citamur ex censu. Deinde nemo tam senex est, ut improbè unum diem speret. Unus autem dies gradus est vitæ. tota ætas partibus constat & orbes habet circumductos majores minoribus. *Seneca.*

Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam.

Pacuvius cum vino & funereis illis epulis se sepelisset: quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur, à cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad Symphoniam caneretur: βεβίωκε, βεβίωκε.

Hoc

Hoc quod ille ex malâ conſcientiâ faciebat, nos ex bonâ faciamus, & in ſomnum ituri, læti hilareſque dicamus:

Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi.

Craſtinum ſi adjecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatiſſimus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſollicitudine exſpectat. *Seneca.*

Bonum vitæ non eſt poſitum in ſpatio ejus, ſed in uſu. *Idem.*

Ad hoc ſacramentum adacti ſumus, ferre mortalia. *Idem.*

VITÆ PRIVATÆ Commendatio *Camerar. Cent.* 1. *cap.* 46.

Vita velut avicula eſt, quæ pueri manu tenetur, & ſæpius in ipſis primordiis evolat. *Beverovicius de term. Vitæ.*

Vivere totâ vita diſcendum, & quod magis fortaſſe mirabere, tota vita eſt diſcendum mori. *Seneca.*

Quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cum creſcimus vita decreſcit. Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quicquid ante defluxit: Sic ultimâ hora, qua eſſe deſinimus, non ſolùm mortem facit; ſed ſola conſummat. *Seneca.*

Præcipitat quiſque vitam ſuam, & futuri deſiderio laborat, præſentium tædio.

Vivit is, qui ſe utitur. Qui vero latitant & torpent, ſic in domo ſunt, quaſi in conductivo. Horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.

Nemo invenitur, qui pecuniam ſuam dividere velit: Vitam unuſquiſque quam multis diſtribuit. Seneca.

Non eſt itaque quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixiſſe. Non ille diu vixit; ſed diu fuit. *Idem.*

Decrepiti ſenes paucorum annorum acceſſionem votis mendicant. Minores natu ſe ipſos eſſe fingunt; mendacio

mendacio sibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quàm si Fata unà decipiant. *Lips. & Seneca.*

Prater propter vitam vivere, hoc est, non soli inservire vitæ, sed multa conquirere, quæ non desiderat vita.

Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa prosolüenda die. Ovid.

De Prodigosi vitæ inchoatione & conservatione, vide *Librum 2. Fatidicorum Cap.* XIV.

Qui diu valetudine bona usi fuerunt. *cap.* 99. *l.* 2. *Off. Text.*

Qui mortui revivixerunt *cap.* 101. *Ibid.*

De vitæ termino cuique præfixo legatur *L. Lemnius & Beverovicius.*

De vitæ cupiditate *Val. Max.* cap. 13. lib. 9.

De jure primogenituræ vide *Schonborn. lib.* 2. *cap.* XI.

Pythagoras apud Lucianum, qui mutato domicilio animâ suâ peregrinatus, per omnia virorum ac mulierum, bipedum & quadrupedum corpora fatetur se longè suavius vixisse, cum esset rana, quàm cum esset Rex. *Erasmus.*

Vitæ humanæ conditio misera *Camerarius* Cent. I. *cap.* XII.

Hoc agamus, mi Lucili, ut quemadmodum pretiosa rerum, sic vita nostra non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. *Seneca.*

Hoc à me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar: ut agam vitam, non emetiar. *Idem.*

Quæris, quod sit amplissimum vitæ spatium? ad sapientiam vivere. *Idem.*

Quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse. *Seneca.*

Quàm stultum est, ætatem disponere? ne crastino quidem dominamur. ô quanta dementia est, spes longas inchoantium! *Idem.*

Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit,

non indiget tempore. Mi, Lucili, propera vivere, & singulos dies singulas vitas puta. *Idem.*

VIOLENTIÆ. Vide *Impietatis. Vitii. Tyran. Crudel. Vindicta.*

GEDEON, Vir laudatus 70. genuerat liberos, & legitimos unum è concubinâ, cui nomen *Abimelecho.* Hic post mortem patris imperio imminens, & adjutus maternâ pecuniâ atque amicis; copias collegit è vagis & sordidis hominibus: Cum quibus Sichimam venit inopinato atque omnes ibi fratres super lapidem unum interfecit, & velut immolavit. Per triennium dominatur. rebellant in ipsum Sichimitæ, ille superat & delet eos, oppidum vastat, salemque in eo conspersit. Sed, cælestis vindicta consequitur. & dum turrim quandam oppugnaret, fragmine molaris lapidis mulier superne caput ejus contrivit. *Lipf. in Mont. Pol.*

Brevi stilo lata scelera in *Mithridate* Pontico stringam. Cui bellum & clades à Romanis fuit; sed mors ab ipso filio. An & hoc immeritò? Ecce ille matrem jam primis annis sustulit, mox fratrem: deinceps tres Filios, totidemque filias.

Prusias Bithyniæ tyrannus, Romanorum non socius Rex, sed servus, Nicomedem Filium tollere è medio voluit, ut locum aliis filijs faceret ad regnum. Perversa aliqua pietas hæc fuerit. Sed, ecce, filius rei conceptæ gnarus, scelus in ipsum vertit, & cum regno vitam ei ademit. *Ibid. plura.*

Vis *Iugurtha* subigit P. C. quem tanta lubido me exstinguendi invasit, uti neque Vos, neque deos immortales in animo habeat. sanguinem meum, quàm omnia, malit. Etiam ante expertus sum, parum fidei miseris esse. *Sallust.*

VITUPERANDI. Vide *Convitiorum. Vitiorum. Impietatis. Abliguriendi.*

L. *Catilina* nobili genere natus fuit magnâ vi & animi & corporis, sed, Ingenio malo pravoque. *Sallust.* Corpus

Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quàm cuiquam credibile est. animus audax, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis eloquentiæ, sapientiæ parum, &c. *Sallust.*

Hunc, post dominationem Syllæ, lubido maxima invaserat Reip. capiundæ. neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur indies magis magisque animus ferox inopiâ rei militaris & conscientiâ scelerum. *Idem.*

Piso, adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus: quem ad perturbandam Remp. inopia atque mali mores stimulabant. *Idem.*

Q. Curius flagitiis atque facinoribus coopertus. Huic homini non minor vanitas inerat, quàm audacia. *Idem.*

Prorsus neque dicere, neque facere, quicquam pensi habebat. *Ibid.*

Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus. *Sallust.*

Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ, postremò captus amore Aureliæ Orestillæ: Cujus præter formam, nihil unquam bonus laudavit. Pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. *Sallust.*

Namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vexabat. Igitur color ejus exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modò tardus incessus. Prorsus in facie vultuque vecordia inerat. *Idem.*

Catilinam, cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. Inde cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum. *Idem.*

Postremò

Postremò, leges, majestas vestra, divina & humana omnia hostibus tradita sunt, incedunt per ora vestra magnificè, sacerdotia & consulatus, pars triumphos suos ostentantes. xx. Qui sunt hi, qui Remp. occupavere? homines sceleratissimi cruentis manibus, immani avaritiâ, nocentissimi, iidemque superbissimi: quibus fides, decus, pietas, postremò honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt. Quàm quisque pessimè fecit, tum maximè tutus est. *Sallust.*

Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis ereptæ pecuniæ: quæ quanquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. *Idem.*

Hosti accerrimo prodita senatus authoritas, proditum imperium vestrum, domi militiæque resp. venalis fuit. *Idem.*

VITII. *Sceleris.* Vide *Species Vitiorum;* *& Peccati. Convitii. Calumn.*

Animus impurus, Diis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari potest. *Sallust.*

Vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est, qui minimis urgetur.

Omne malum nascens facilè opprimitur: inveteratum fit plerunque robustius.

Facilius est excludere perniciosa, quàm regere; & non admittere, quàm admissa moderari.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum, serò recusat, quod subiit jugum. Seneca.

Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. *Sallust.*

Domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam. laudamus divitias, sequimur inertiam. inter bonos & malos discrimen. Omnia virtutis præmia ambitio possidet. *Idem.*

Rex

Per latrocinia potius, quàm bonis artibus ad imperia & honores nituntur. *Idem.*

Intolerabilis in malo ingenio felicitas est. *Idem.*

Malarum rerum industria invasit animos. *Idem.*

Et hoc quidem pejus est, quod authoritatem habemus senum, vitia puerorum. *Seneca in epist.*

Hoc in melius translati animi argumentum est, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. *Idem.*

Debellandæ sunt inprimis cupiditates, quæ sæva quoque ingenia ad se rapuerunt. *Idem.*

Projice quæcunque cor laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum erat. *Idem.*

Horatiana.

Nil mortalibus arduum est.
Cælum ipsum petimus stultitia: neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina. Od. 3. lib. 1.
Fertur Prometheus addere Principi
Limo coactus particulam undique.
Dissectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro. Od. XVI. lib. 1.
Ilion, Ilion.
Fatalis incestusque judex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem. Od. 3. lib. 3.
Fœcunda culpa sæcula nuptias
Primùm inquinavere & genus & domos.
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit. Ode VI. lib. 3.
Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox Daturos
Progeniem vitiosiorem. Od. VI. lib. 3.

Torpent ecce ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius honestæ rei labore vigilatur. Cantandi saltandique obscœna studia effœminatos tenent. & capillum frangere,

frangere, & ad muliebres mundicias vocem extenuare, &c. *Seneca.*

Utile propositum est sævas exstinguere flammas,
Nec servum vitiis pectus habere suum. Ovid.

Omne animi Vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur,
Martial.

Neglectis urenda filix innascitur agris. Ovid.

In nassam facilis illapsus est, sed exitus difficilis: sic declive iter in vitia, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis.

Crates negabat inter homines quempiam inveniri posse, qui non aliqua in parte laberetur: addens nullum inveniri posse malum Punicum, in quo non sit aliquod granum sub pure.

Tacitus: Vitia erunt, donec homines: sed nec hæc continua, & interventu meliorum pensantur.

Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt. Seneca.

Difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus. *Idem.*

Virtus secundum naturam est, vitia inimica & infesta sunt. *Idem.*

Omnes præoccupati sumus virtutes discere, vitia dediscere. *Idem.*

Nec sæculum hoc mihi placet: quo nullum unquam feracius religionum fuit, sterilius Pietatis. *Lips. in Const.*

Quæ contentiones ubique, quæ rixæ? & cum omnia fecerint, cùm cælum & terram subtilis ingenii alâ pervolarint, quid aliud, quàm cum Aristophanæo Socrate, ἀεροβατοῦσι? *Idem.*

Præoccupati sumus ad Virtutem contendere, inter vitia districti. pudet dicere, honesta colimus, quantum vacat. *Seneca.*

Vitia nostra quia amamus, defendimus, malumus excusare ista, quàm excutere. *Idem.*

Vitia

Vitia latronum more in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. *Idem.*

Satis diu cum Bajis, nunquam satis cum vitiis litigavimus. *Idem.*

Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam in deterius res humanas, & in omne nefas labi. *Idem.*

In Rep. multa mihi adversa fuerunt. nam pro pudore, pro abstinentiâ, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. *Sallust.*

Quæ tametsi animus adspernabatur, insolens malarum artium, tamen intra tanta vitia imbecilla ætas, ambitione corrupta, tenebatur. *Idem.*

Contra sæculi vitia nos peroravimus in *Tyrocinio nostro* Oratione XXI.

De Romanorum Virtutib. & Vitiis lege *Camerar. Cent. 1. cap. 48.*

VOLUPTATUM. Vide *Ablig. Bibendi. Coquendi, &c.*

S*ardanapalus* R. Assyriorum, adeò Voluptatibus factus mancipium, ut ne in horam illis carere potuerit. Vivus lapidem sepulchralem sibi fieri curavit hac inscriptione: *Hic jacet Sardanapalus: Ede, bibe, lude.*

Cleopatra Ægypti Regina ab irato Antonio in judicium vocata, flumen Cydnum incredibili pompâ subivit. Navis ejus purpurea habuit vela, sericosque rudentes, argenteos remos, ut remigando tibiarum sonum percussis undis imitaretur.

Lacedamonienses corpore pingues & obesos coram tribunali citabant.

Cleopatra pepigit cum Antonio se plus impensæ uno bolo, quàm Antonium magno convivio absumpturam. Ingentem unionem, cui nunquam similis est visus, ab aure detraxit, atque aceto maceratum absorpsit.

Claudius

Claudius Imp. cum de laniis ageretur, exclamavit in curiâ: *Rogo vos quis potest sine offulâ vivere?* intelligit hîc cibum scitissimi saporis.

Quid ergò? felicior esset, si in ventrem suum longinqui littoris pisces, & peregrina aucupia congereret? si conchyliis superi atque inferi maris, pigritiam stomachi nauseantis erigeret? *Seneca.*

Cum his cænare non sustinet; & majestatis suæ diminutionem putat ad eandem mensam cum servo suo accedere. *Idem.*

Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet, cujus delectet adspectus, cujus novitate nause abundus erigi possit, quid jam ipsâ satietate fastidiat, quid illo die esuriat. *Seneca.*

JUVENALIS quædam.

Legatur inprimis Satyra 2.

Hispida membra quidem, & dura per brachia setæ
Atrocem promittunt animum, sed podice lævi
Caduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.
Talia verbis
Herculis invadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant.
Prægnantem stamine fusum
Penelope melius, melius torquetis Arachne. Satyra 2.
Tu nube atque tace. donant arcana cylindros
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Vitreo bibit ille Priapo.
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cærulea indutus scutulata & Galbana rasa. Ibidem.
Crine senex phanaticus albo.
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum.
Segmenta & longos habitus & flamea sumit.
Hac tetigit gradive tuos urtica nepotes. Ibidem.
Tyrias humero revocante lacernas
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ, &c. Sat. I.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,

Et

Et ceromatico fert inceteria collo.

Trechedipna à τρέχω curro & δεῖπνον cæna, vestes sc. cænatoriæ. *Ceromatico* h.e. collo ceromate peruncto, quod ex oleo, cera & pulvere.

Non possum ferre Quirites
Græcam urbem.
Iam pridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes. Satyra. 3.

Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno.
Adspice quid faciant commercia, &c. Satyra.2.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores. Ibidem.
Viscera magnarum domuum, dominique futuri. Iuvenal. Satyra 3.

Voluptatum exempla quam noceant, docet egregiè Iuvenalis initio Sat. XIV.

Si damnosa senem juvet alea: ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natanteis
Mergere ficedulas didicit nebulone parente
Et canâ monstrante gulâ. Cum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato.
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cænare paratu
Semper, & à magnâ non degenerare culinâ. Iuvenal. Sat. XIV.

HORATIANA.

Diffugiunt cadis
Cum fece siccatis amici Od.45. lib.1.
Cressa ne careat pulchra dies notâ,
Ne prompta modus amphoræ.
Nec morem in Salium, sit requies pedum. Od. 36. lib.1.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus. nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum

Tempus erat dapibus, Sodales.
Ante hac nefas depromere Cacubum
Cellis avitis. Od.27. lib.1.
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro. lib.2. od.1.
Huc vina & unguenta, & nimium
Flores amœna ferre jube rosæ. Od.3. lib.2.
Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocyus
Restinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte Lympha? Od.XI. lib.2.
Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.
Sume, Mecœnas, Cyathos amici
Sospitis centum, & vigiles lucernas
Profer in lucem. Procul omnis esto
Clamor & ira. Od. VIII. lib.3.
Hic dies verè mihi festus atras
Eximet curas.
I pete unguentum puer, & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli.
Lenit albescens animos capillus.
Non ego hoc ferrem calidus juventâ
Consule Planco. lib.3. od.XIV.
Quid sit futurum cras, fuge, quærere.
Quem fors dierum cunque dabit, lucro
Appone. Nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas. Od.9. lib 1.
Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque
Bimi cum paterâ meri. Od.XIX. lib.1.

Vide plura in tit. VINI. & Convivii.

De Voluptatum apud varios Philosophos sententiis vide *Aul. Gell. lib.9. cap.5.*

De Voluptatum & Luxuriæ fugâ Veterum. *Ph. Camerar. cap.* XIX. *Cent.* I.

Luxus

Luxus quàm perniciosus suo Cultori. *Camerar. Cent. 1. cap. XX.*

Ut medicamenta minus valida non extrahunt humorem noxium: sic vana delectatio irritat in nobis fluctum illum cupidinum. *Lips.*

Inter media gaudia videbis aliquid sive audies, quod sensum refricet tui doloris. *Idem.*

Crescunt enim quædam interpellatæ cupidines, & vires capiunt ex intervallo. *Idem.*

Valla & arces exstrue, quibus arceas & defendas cupidinum insultus. *Idem.*

Fescennina licentia. Fescenninum est oppidum Campaniæ, ubi nuptiale carmen primò inventum putatur, multâ verborum lascivie respersum. Sic dicimus impudica quævis, *Fescennina*. vel, quod fascinum dicerentur arcere. *Festus.*

Lubrica Principis ætas si virtutem rigidam adspernetur, voluptatibus concessis erit retinenda. 13. *Annal.*

Donec ea veniat ætas, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit. 1. *Hist. Tac.*

Et ne omnibus pervincat, aliquid concede. 14. *Annal.*

Exemplo sit *Titus*, qui lætam voluptatibus adolescentiam egit, suo quàm Patris imperio modestior. 2. *Hist. Tac.*

Et *Vespasianus* primò ambiguâ famâ, mox adeptus Principatum in melius mutatus est. 1. *Hist.*

VOVENDI. *Votorum.* Vide *Precum. Sacrific.*

Dii tibi omnes omnia optata adferant. Quæ res benè vortat mihi & amicæ meæ.

Dii tibi dent quæ velis. Quæ res benè vortat tibi & mihi & ventri. Καλῶς ἔςω. Σὺν δὲ Θεῷ μάκαρες.

Votum signare, apud Plinium legitur. Votum suum nuncupatum & in charta conceptum conscriptumque Deorum genibus cera obsignatum adfigebant.

Hinc

Hinc Iuvenalis: *Propter quæ fas est genua incerare Deorum.*

Incerabat Deorum genua, qui votum susceptum signabat & se voti reum constituebat.

Pyrrhus Epyrotarum R. non regni ampliorem modum, non de hoste victoriam, non gloriam illustrem aut divitias; sed sanitatem modò à Diis comprecatus est.

Tibullus votum suum sic exprimit:

Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Augustinus tria habebat in votis, vidisse *Christum* in humana naturâ, *Paulum* de pulpito fulminantem, & spectabiles urbis *Romæ* Triumphos.

Augustus Cæsar precatus est à Diis Scipionis fortitudinem, benevolentiam Pompeji, & Cæsaris fortunam.

L. Metellus decem maximas res optavit. Vt primarius *bellator* esset, optimus *Orator*, fortissimus *Imperator*, Auspicio suo *maximas res geri*, Maximo se *honore* uti, summa *Sapientia* esse, summum *Senatorem* haberi, *Pecuniam* magnam bono modo invenire, *multos liberos* relinquere & *clarissimum* in civitate esse. Quæ omnia illi obtigerunt.

Valete A A. Coss. urbemque vestram regite inter hos fluctus, præeunte & gubernante supremo illo Nauclero. *Lips. in Epist.*

De *Votorum superstitione* antiquâ lege nobilem tractatum *Iohannis VVoueri in libello de umbra* cap. IX.

URBIS. Vide *Civitatis. Ædium. Locorum.* MONTIS, *Flum. Agri. Host.*

Civis à coeundo dictus, quod cives vinculo societatis in unum cœtum coëant.

Civitas & urbs in hoc diff. quod incolæ dicuntur civitas. urbs verò complectitur ædificia. Aliquando civitas dicitur jus civium. *Vt donare aliquem civitate.*

Vnde

Unde Cerebrum

Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent
Et lædant silicem. possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas. Iuvenal. Sat.3. de urbis malis.

Cum *Neptunus & Minerva* de Athenarum nomine contenderent, placuit Diis,ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus melius mortalibus protulisset. Neptunus percusso littore equum, animal bellis aptum produxit. Minerva,jactâ hastâ, olivam creavit. quæ res habita melior, & pacis insigne. Ad locum Virgilii:*tuque ô,cui prima frementem*
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune.

Urbis mala singulariter à Iuvenale depinguntur. Ex Satyra 3. hæc seqq.

Nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos.
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam,&c.
Magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi. rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convitia mandræ
Eripiunt somnum Druso, &c.
Si potes avelli Circensibus, optima Soræ domus,&c.
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum!
Hic vivimus ambitiosâ
Paupertate omnes.
Omnia Romæ
Cum pretio. Quid das, ut cossum aliquando salutes?
Præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis.
Quis timet, aut timuit gelidâ Prænesteruinam?
Simplicibus Gabiis, &c.
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam.
Interdum alienâ sumitur arcâ.

Usus

V s u s. Vide *Moris, Consuetudinis. Conversationis.*

Mihi usui veniet hoc. In rem quod rectè conducat tuam id petam.

Nolo tibi ullum in me commodum claudier.

Sere beneficium, ut metere possis fructum. In ære meo duco hoc esse.

Æra nitent usu, vestis bona quærit haberi.
Canescunt turpi tecta relicta situ.

Quid magis est durum saxo? quid mollius undâ?
Dura tamen molli saxa cavatur aquâ. Ovid.

Usus omnium magistrorum præcepta superat.

Seris venit usus ab annis. Experimentis optimè creditur.

Vsus habet laudem, crimen abusus habet.

Assiduè addiscens ad senium propero.

At nihil est, quod non assidua meditatio facillimum reddat.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.

Quod eleganter dicunt Galli: *Ce qu'on apprend aux bers, dure jusques aux vers.*

V u l g i. Vide *Convitii.*

Sic est, vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.

Est enim plebs errorum & pravarum consuetudinum Magistra, ingensque malorum cumulus.

Humiles illæ animæ sunt & plebejæ; domi resident & affixæ sunt suæ terræ. Illa divinior pars, quæ cælum imitatur & gaudet motu. *Lipsius.*

Vulgus neque ea, quæ supra se, neque ea quæ infra se, neque ea quæ ante pedes, intelligit, & errabundum sententiis atque opinionibus, ad dictum sapientis applicare se cogitur, cujus distitutum adjumentis & orbatum præsidiis, vitam brutam, cæcam, stultam viveret, bestiarumque vitæ simillimam.

Procacia plebis ingenia. Sed nihil ultra verba ausurum vulgus. Impigræ linguæ, ignavi animi.

Multitudo sibi inserviri cupit. *Plutarchus in Dione.*

Plebs otio lascivit. *Livius.*

Natura ita comparatum est, ut qui apud multitudinem suâ causâ loquitur, gratior eo sit, cujus mens præter publicum commodum nihil videt. *Idem Decad.* 1. *lib.* 3.

Multitudo ex incertissimo sumit animos. *Idem, Decad.* 1. *lib.* 6.

Defensores suos in præcipitem semper locum favore tollit, deinde in ipso discrimine periculi destituit. *Idem eod. lib.*

Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile, quàm animi multitudinis. *Idem.*

Vulgus est voluptatum cupidum: & si eò Princeps trahit, lætum. *Tacitus* 14. *Histor.*

Vulgus est ad deteriora promptum. *Idem* 15. *Histor.*

Vulgus, ut mos est, cujusque motus novi cupidum. *Idem lib.* 15. *Hist.*

Vulgus aut servit humiliter, aut superbè dominatur. Libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt.

Nam plebem nosce, fortior illa ad rebellandum, quàm ad bellandum:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Præsul ut ampiruat, sic vulgus redandruat ipsum:

Saltatorius motus significabatur. Saliorum præsul dicebatur ampiruare.

Nunquam volui populo placere. Nam quæ ego scio, non probat populus: quæ probat populus, ego nescio.

Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.

Multitudo vulgi, more magis quàm judicio, post

alius

alius alium quasi prudentiorem sequuntur, ut pecudes antecedentium gregem.

Vulgus judicii expers. Plebi non judicium, non veritas.

Vulgus ægris oculis alienam felicitatem intuetur.

Vulgus, ingenio mobili, seditiosum, atque discordiosum, cupidum novarum rerum, quieti & otio adversum.

Ut mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur: sic populus sua sponte placatus hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus attollitur.

Utque comes radios per solis euntibus umbra est,
Cum latet hic pressus nubibus illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit. Ovid.

Verum dictum: Nihil ausuram plebem principibus amotis.

Clamo: vitate quæcunque vulgo placent. quæ casus attribuit. ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite. *Seneca.*

Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent, ac perfusoriam voluptatem, & quodcunque inventitium gaudium est, fundamento caret. *Idem.*

Vulgus ignavum est, & nihil ultra verba audet. *Tacitus.*

Est vulgus sine rectore præceps, pavidum, secors, arma temerè capiens, ac statim omittens. *Idem.*

Quò victoria, eodem popularium favor inclinat. *Iov. Pont. Hist. lib.* 4.

De naturâ vulgi lege Politicam *Schonborneri* lib. 3. cap. 44.

Et Philosoph. Historicam *Goulartii* hoc Titulo.

VULTUS. *Faciei. Oris. Genæ. Corporis.*
Vide *Pulchritudinis. Deformitatis.*

VUltuum diversitatem vide in *Theatro Ingenii Humani Cap.*4. Ibidem, quod vultus animi index.

Agesilaus Rex interrogatus, cur affectaret longos capillos: *Quoniam*, inquit, *ex omni ornatu hic pulchrior est venustiorque & sumptus minimi.*

Pompejum olim frontis exporrectæ honor orisque comitas commendavit:

At in *Caligula* truculenta torvitas, corrugatio indecora sævitiam hominis inhumanam & impietatem exsecrabilem significavit.

Venite nunc vos huc conspicuæ probitatis *Ora*; adeste *Genæ* roseo verecundiæ decore pubentes; adeste; ut castum ingenuo Pudori osculum imprimam. Non est tanti vestium cultissimarum decentia, non auri gemmarumve splendor, non præcellentis formæ species; quanti genæ ingenuo pudore flagrantes. *Neuhusius in Th. ing. Hum.*

Cadaverosam faciem vocat *Turnebus*, turpem, invisam. Facies matutina, nubila, corrugata &c. Vide *Had. Iun.* in Nomencl.

Gena est membrana tam superior quàm inferior, quæ tegit oculum.

Dicta Gena, quod in his pili gignantur. Plinius ostendit genas esse duo illa opercula, quibus coëuntibus pupilla obtegitur, quod vulgus palpebras vocat. Sed palpebræ sunt pili illi in ciliis, h. e. in extremo ambitu genarum. Genæ quoque dicuntur partes illæ ab oculis ad mentum, quæ barbâ vestiuntur. Quas radi in fœminis XII. Tabulæ voluerunt.

Cicero. Vultus tacitus sermo mentis est.

Idem hoc vide in *Cent.*I. *Camerarii Cap.*57.

UXORIS. *Mulieris.* Vide *Conjugii. Amorum. Nupt. Adult.*

MUlier quæ ultra mulierem sapit, non sapit. Illaudatum est sexus muliebris pudorem ita perfricari

ut

ut faciat virilia, tum quod infirmum ſemper & fragileſit mulieris conſilium & expers rerum.

Novi ingenium mulieris, dum comuntur, dum moliuntur annus eſt. *Terent.*

In malâ uxore atque inimico, ſi quid ſumas, ſumptus eſt: in bono hoſpite atque amico, quæſtus eſt, quod ſumitur, *Plaut.*

Multa ſunt mulierum vitia; ſed hoc eſt è multis maximum, quod ſibi nimis placent, nimiſque operam dant ut placeant viris. *Idem.*

Nam ita ingenium muliebre, benè cum lauta eſt, terſa, ornata, ficta eſt, infecta eſt tamen.

Θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή.

Novi Ingenium mulierum: nolunt ubi velis: ubi nolis cupiunt ultrò. *Terent.*

Θάλασσα, καὶ πῦρ καὶ γυνή, κακὰ τρία.

Nulla diu fœmina pondus habet.

Rarò *Philonis* Vxori ſimilem invenias fœminam; quæ rogata cur excolendo corpori operā non daret, neque auro uteretur: *Satis*, inquit, *Vxori magnus ornatus eſt mariti ſui virtus.*

Anus dicta eſt ab annorum multitudine, vel quod jam ſit ſine ſenſu, qui Græcè dicitur νοῦς, & α privativ. q. d. *Sine mente.*

Satis ſcitum filum mulieris, *hoc eſt*, oris line amentum ſatis pulchrum.

Foris Helena; intus Hecuba.

Ἐν γὰρ γυναιξὶ πίστιν οὐκ ἔνεστι ἰδεῖν.

In *Heliogabalo* ſtoliditatis miror indolem, qui odio ſui ſexus, execta virilitate in fœminam ſe converti, & pro Baſſiano Baſſiana dici voluit.

Alexander Magnus ad Meretriculæ nutum Perſepolin, regiam Orientis nobiliſſimam incendit. *Ariſtoteles* Herpylli pellici ſacra fecit; *Socrates* Xantippæ cupiditatibus morem geſſit.

Mulieres, quæ maximi boni ſæpe authores fuere. *cap.*xxx. *Off. Text. lib.*2.

Quæ maximi mali authores. *cap.*29.

Quæ doctæ fuerunt. *cap.*12. *lib.*4.

Nam

Nam quod *Plato* dubitare videtur, utro in genere ponat mulierem, rationalium animantium, an brutorum, nihil aliud voluit, quàm insignem ejus sexus stultitiam significare. *Eras. in Moriâ.*

Simia semper est Simia, etsi purpurâ vestiatur. ita mulier semper est mulier, h. e. stulta. *Ibid.*

Equidem, an sit ullum lautum convivium ubi mulier non adsit, viderint alii. *Ibid.*

Nonne huc spectant tot cultus, tot fuci, tot balnea, tot odores, & componendi, pingendi, fingendique vultus oculos & cutem artes? jam, num alio nomine viris magis commendatæ sunt, quàm stultitiæ? *Ibidem.*

An *mulier* ICtis sit *homo*? non est dubium. Arg. lib. 173. de verb. Oblig. tit. 3. §. 4. ff. de hom. lib. exhib.

Platonis legibus cavetur; ut qui ad quintum & trigesimum annum mansisset cælebs, nullo dignus honore, & omnium postremus haberetur.

Tanti est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromechen à fronte videbis,
Post minor est: aliam credas. Iuvenal. Sat. 6.
Verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas.
Pulsari jam nemo tubas, atque æra fatiget:
Vna laboranti poterit succurrere Luna.
Quando sc. Eclipsin patitur. *Ibidem.*

Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator, si qui in orbitate & solitudine cælibes vixissent, eâ afficiebat illos ignominiâ, ut per hyemem forum nudi circumire cogerentur.

Apud *Lacedæmonios* tam laudabile fuit Matrimonium & liberorum procreatio ut apud eos trium liberorum parens à custodiâ & excubiis, quatuor verò ab omni onere immunis foret.

Vide Theatrum *Edonis Neuhusii P.* Cap. 7. lib. 1. De mulierum timiditate; Hebetudine; Levitate; Cultu corporis;

corporis; Garrulitate; Iracundiâ; Dominandi cupiditate; Muliebri etiam Virtute, &c.

Muliebris industriæ conatus neque *Herculis* virtus, neque *Sampsonis* fortitudo, neque *Davidis* pietas, neque *Salomonis* Sapientia, neque *Holofernis* ferocia, neque *Cæsaris* & *Antonii* dominatio, neque *Socratis* aliorumque eruditio potuit sustinere.

Adblandientium oculorum gratia & linguæ Suada, & lusitans in vultu Venus spontaneæ servitutis jugum multis imposuit.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.
Odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem
Servata semper lege & ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus. Iuvenalis Sat.6.

Fœmina, amissâ pudicitiâ, nec alia flagitia abnuit. 4. *Annal.*

Siquidem animo per libidines corrupto nihil honestum inest. 11. *Annal.*

Cicero in Paradoxis: An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat, quod videtur? Qui nihil imperanti negare potest, nihil negare audet? Si poscit, dandum si vocat, veniendum. Si ejicit, abeundum. Si minatur, extimescendum.

Ad demoliendam potestatem mulierum imperiosarum optare aliquis posset ex illa *Pacuvii* arbore surculos, quos sibi *Arius* dari petebat; cum tres illius uxores ad istam se suspendisse audivisset, *Dii boni*, adjiciens, *quanta tibi arbor ista dispendia suspendit!*

Vide, ut melleam in ore linguam volvit, tintinnabulo sonantiorem! ut plena rimarum hac illacque perfluens, ad amicam effutit arcana fidelibus auribus commissa: quibus credidisse quicquam unquam *Catonem* pœnituit.

Athenienses lege caverunt, ne ulla fœminarum foro aut concionibus misceretur.

Romani decreverunt, ne fœmina judicem ageret, non Magistratum gereret, non pro alio interveniret, non procuratrix existeret; penitus à Civilibus officiis remota esset.

Iidem fœminas in tutorum esse potestate voluerunt, neque ullâ Reip. administratione fungi.

Γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιόν ἐστι τῆς οἰκίας.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namque est fœmineâ tutior unda fide.

Præceptum est *Æsopi* fabulatoris: *Fœmina nunquam arcana crediderit.*

Varium & mutabile semper Fœmina.

Κοῦφον γὰρ τὸ τῶν γυναικῶν φῦλον.

Nec mulieri, nec gremio concredi oportere, Vetus proverb.

Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.
At velut exhausta redivivus pullulet arcâ
Nummus, & è pleno semper tollatur acervo. Iuvenal.

De Uxorum Comitatu.

Sed, Magistratum, cui provincia obvenit, an uxor comitetur? sanè dubitatur. Haud enim frustra placitum olim, ne fœminæ in socios, aut gentes externas traherentur. quod insint mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur. 3. *Annal.*

In causâ sexus, qui non imbecillis tantum, sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatis avidus. 3. *Annal.*

Cum plerunque sit muliebre consilium deterius. 15. *Annal.*

At cum viri in eo culpa sit, si fæmina modum excedat, frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferimus. 3. *Annal.*

Ideoque ob unius aut alterius imbecillum animum malè eriperentur maritis consortia rerum secundarum adversarumque. *Ibid.*

Vxorum

Vxorum quippe reperiuntur nonnullæ, quæ à virilibus curis vitia fœminarum exuerunt. 6. *Annal.*

Vix præsenti custodiâ manent illæsa conjugia. Quid fore, si vir ad longinqua imperii iturus, haud æquo animo, ab uxore carissimâ & tot communium liberorum parente divelleretur, & sic conjugia per plures annos in modum dissidii obliterarentur. 3. *Annal.*

Ille excludetur amicus
Iam senior, cujus barbam tua janua vidit.

Iuvenes barbam alebant ad ætatis annum XXI. deinceps radebantur. *Iuvenal. Sat.* VI.

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est. Ibidem de fœminarum tyrannide.

Thucydides optimam esse censet, de quâ minimus apud extraneos sermo habetur.

Gorgias verò *Leontinus* censet mulieris non solum formam; sed egregium quoque nomen & formam, debere apud plurimos esse vulgatam: Quod & *Plutarchus* probat in Lib. de Virtutibus mulierum.

Vxorem ducendam *Plato* præcipit gratiâ liberorum: Sufficientem autem filiorum numerum esse duos, marem sc. & fœminam.

Platonica lex ad familiam stabiliendam filios duos satis esse præscribit. Iuris Consulti excusationem dant parentibus, qui filios quinque genuerunt.

Portius Cato dixit, se pœnitudine duci, si mulieri quicquam aliquando credidisset. Igitur *Æsopus*, egregius ille fabulator:

Τῇ γυναικὶ μηδὲν ποτὲ πιστεύσῃς ἀπόρρητα.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.
Vxor vade foràs, aut moribus utere nostris.
Scire suos fines matrona & fœmina debet.

Plautus. Negotii sibi qui volet vim comparare, navim & mulierem, hæc duo comparato, nam nullæ res magis duæ plus negotii habent.

Nil non permittit mulier sibi: turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum

Auribus extensis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives.
Interea fœda adspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Popeana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti. Iuvenal. Sat. VI.

Vxores Bellicosæ.

Ducit Amazonidas lunatis agmina peltis
Penthesilea furens.

Semiramis regnandi avida, petiit à marito Nino, ut quinque dies tantum imperaret & sceptro uteretur. mox Ninum fecit interfici. sic regnum consecuta Assyriorum. Tandem ipsa interfecta à Nino R. juniore filio, quod ejus concubitum rogâsset.

Felix Hippolite nudâ tulit arma papillâ.

De *Camillâ*, *de Hypsicrateâ*, *Artemisiâ*, *Atalantâ*, *Cleopatrâ* vide officinam Textoris *cap.27. lib.2.*

Sit formosa, decens, dives, fœcunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni,
Crinibus effusis, bellum dirimente Sabinâ
Rara avis in terris, nigroque simillima Cycno. Iuvenal. Sat. VI.

Malo Venusinam, quàm te, Cornelia mater,
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Hannibalem, victumque Syphacem
In castris, & cum totâ Carthagine migra, Ibid.

Hujus enim rari summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo
Plus aloës, quàm mellis habet. Ibid.

Non est hic sermo pudicus
In vetulâ, quoties lascivum intervenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή. Ibid.

Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos, titulo res digna sepulchri

Annos enim computabant numero maritorum: quorum nomina mulierum sepulchris inscribebantur. *Ibid.*

Quem

Quem praestare potest mulier galeata pudorem,
Quae fugit à sexu?
Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet. Ibid.
Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quae sint discrimina? Ibid.
Grandia quae mediis jam noctibus ostrea mordet, &c.
Plura ibidem lege de Ebriet. mulierum, saevitiâ, comâ aliisque. Et de artium studio, &c.
Antiquum, & vetus est alienum Posthume lectum
Concutere, atque sacri Genium contemnere fulcri.
Uxorem, Posthume, ducis?
Dic quâ Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potest dominam salvis tot restibus ullam?
Cum pateant altae caligantesque fenestrae?
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit:
Pusio qui noctu non litigat?
Stulta maritali jam porrigit ora capistro.
O medici mediam pertundite venam.
Delicias hominis. Tarpejum limen adora
Pronus, & auratam Iunoni caede juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Pauca adeo Cereris vittas contingere digna:
Quarum non timeat pater oscula, necte coronam
Postibus, & densos per limina tende corymbos, &c.
Accipis uxorem, de quâ Citharoedus Echion
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules, &c.
Quae moechum sequitur, stomacho valet.
Fortem animum praestant rebus quas turpiter audent.
Ausa Palatino tegetem praeferre cubili.
Nobilis Euryalum, aut mirmillonem exprimat infans.
Juvenal. Sat. VI.
Ibidem de Messalinâ.
Intravit calidum veteri centone lupanar.
Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos.
Tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lycisca.
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.

Excepit blanda intranteis, atque æra poposcit.
Et lassata viris, nondum satiata recessit, &c. Ibid.

Amasia Sentia rea, quia sub specie fœminæ virilem animum gerebat, *Androgyne* appellabatur. *Valer. Max.*

Δειναὶ μὲν αἱ γυναῖκες ἐξευρεῖν τέχνας.
In inveniendis dolis sunt callidæ.

Democritus sciscitatus, cur, cum magnus esset, parvam duxisset uxorem. *Ego*, inquit, *in malo eligendo, quod minimum erat, elegi.*

Protagoras interrogatus, quam ob causam inimico filiam nuptam dedisset; *Quia*, inquit, *nihil ei dare poteram deterius.*

Socrates dicebat: *Mulierem speciosam esse templum super cloacam* ædificatum.

Aliquis ex Scholâ *Marcionis* in *Thalamo & Tumulo* mulieres esse optimas.

Ταμεῖον ἀρετῆς, γυναῖκα γυνή.
Penu virtutis est generosa mulier.

Conjugium *humanæ vitæ Academia est.* Vult enim hoc modo Deus patientiam tuam exerceri ad incrementa virtutum. *Lips.*

Democritus dicebat, eum qui bonum generum nactus sit; invenisse Filium: qui verò malum, simul & filiam perdidisse.

Lacedæmonii non ferebant uxores ab hospitibus laudari. volebant solis maritis illas notas esse.

Iucundum & charum sterilis facit uxor amicum. Iuvenal. Sat. v.

Aristippus mulierem parvam, sed pulchram conspicatus, *parvum*, inquit, *malum*, *sed magnum pulchrum.*

Thucydides sic probam mulierem describit, de cujus laude vel vituperio minimus sit sermo.

Si adolescentula nupta sit seni, nuptias illas vocamus innuptas; ἀγάμους γάμους.

In proverbio est: Non est feliciter natus, qui non feliciter maritatus.

Quidam invitatus ad amici nuptias, qui fortasse non

non ita probæ notæ duxerat fœminam, socium u t unà iret hortatur: Qui sic respondisse fertur: *Nolo solus in amici funus prodire.*

Si enim Maritus vincatur & uxor dominetur, pax perversa est: si autem marito uxor dominanti subjiciatur, Pax recta ait *Augustinus.*

Neque enim omnes mariti induere Socratem possunt, neque uxoris ducendæ is viro est finis, ut patientiæ assuescat tolerandisque clamoribus.

Non placet mihi domus, in quâ gallina cantat, gallus tacet.

Vxor dicitur quasi *Vnxor*, ab ungendo: quia intrans domum mariti postes adipe suillo aut lupino attingebat, ne quid mali medicamenti inferretur, idque non manu, sed lanâ cujus authoritatem Romani religiosam habuerunt.

Vir ex eo dicitur, quod in eo major sit *vis*, quàm in fœmina, & hinc *Virtus* nomen accepit.

Belle femme, mauvaise teste.
Fille fenestriere & trottiere, rarement bonne mesnagere.
Fille qui prend' elle se vend;
Fille qui donne, elle s'abandonne.

Mulieres quæ causas egerunt apud Magistratus. *Val. Max. lib. 8. cap. 3.*

Quas conditio naturæ & verecundiæ stola, ut in foro & judiciis facerent, cohibere non potuit. *Ibidem.*

Romani in Virginibus educandis rectè summam curam posuerunt, illas ad ludum literarum mittentes. *Livius:*

Vir exempli recti domi militiaque, perinde uxor instituta fuerat.

Plutarchus de *Corneliâ* Crassi primo, mox Pompeii uxore, tradit literas eam ac Geometriam probè edoctam. Philosophos quoque cum fructu audire consuevisse. *Meursius* cap. 36. in Philolog. auctario.

In convivio ad fulcra lectorum sedentes cibum capiebant, teste *Suetonio* in Claudio.

In virginitate custodienda summa solicitudo. Nutrices quotidie tempore matutino collum filo metiebantur.

bantur. quod si stuprari illas contigisset, intumuisse comperiebatur. Catull.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

Strangulare eas carnifici non licebat. Suetonius: *Immatura puella, quia nefas erat Virgines strangulari, vitiata prius à carnifice, deinde strangulata.*

De *Marito* & *uxore* agit egregiè *Schonborn. cap.* VI. *lib.* I. *Polit.*

Ibidem de pœnâ cælibum. & quæ circumspectio adhibenda in eligendâ uxore.

Ibidem de Dote, aliisque valde utilibus.

Cui feminea ad audendum omnia,
Virile robur, nulla fama memoria est. Sen. in Med.

De Vxoribus, Sponsalibus agit *Aul. Gell. lib.* 4. *cap.* 2.

De Constantiâ & Fortitudine Mulierum ac Virorum agit *Camerarius Cent.* I. *cap.* 50.

De Vxorum amore ergà maritos *Idem Cent. c.* 51.

De Fœminis, quæ sibi mortem consciscere voluerunt, quàm pudicitiam amittere. *Camerarius Cent.* 3. *c.* 78.

De Patre & Liberis *in c.* VIII. *lib.* I. *agit Schonborn.* *Eundem* vide lib. 2. cap. XII. de Gynæcocratiâ, &c.

INDEX

INDEX

Locorum Communium

FLORILEGII PHILOLOGICI.

A.

Comparandi.

Fœnoris

Licentia.

Parsimonia.

Stultitia.

FINIS.

Ad Lectorem.

Errata quædam in subtili hoc typo irrepserunt. Tuæ humanitatis erit ignoscere oculis sæpe hallucinantibus. Minus de hoc errore laboramus, quia facilè emendari hæc possunt à Docentibus. Nihil enim hîc tradimus, quin ab Antiquitate, aut à Neotericis Scriptoribus huc translatum. Quorum fides abundè constat in operibus ac typis propriis. Vale Lector, & nostros conatus æqui bonique consule.